



Ex Libris Sebasti Jurkowski
Eccl^ae^ Coll^tae^ S. Floriani
Vicecustodis & Sacristiani.
A^o^. 1750.



CLERI.
DVODECEM EXAMINA
His Additi
Tres Tractatus Confessarijs utilissimi
AUTHORITATE
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
STANISLAI
in Magna Witwica
WITWICKI.
DEI & Apostolicæ Sedis Gratia
EPISCOPI POSNANIENSIS.
PER
R. P. ADALBERTUM TYLKOWSKI
Soc. JESU Theologum
CONSCRIPTA,
ET
VARSAVIÆ,
Typis Caroli Ferdinandi Schreiber S. R. M.
Nec non Illustrissimi & Reverendissimi DD.
Episcopi Posnaniensis Typographi.
Data Honori & Zelo eiusdem Illustrissimi DD.
ANNO M. DC. LXXXIX.



LUNAM ultra & STELLAS felix procede SAGitta,
Nam Domino non est altera meta tuo.



ILLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO

STANISLAO

IN MAGNA WITWICA'

WITWICKI

DEI, & Apostolicæ Sedis
Gratiâ

EPISCOPO POSNANIENSI

DOMINO, ac MÆCENATI
AMILISSIMO.



QVi Mæcenatis, cui librum inscribit, decora numerat, suum agi commodum-quantum illustritatis illi affirmat, tantum in suum deduxit Opus, quod necesse præstari habui, ne Modestia Tua me à laudi-

 bus

bus Tuis deterreret. Non alienam quaſi ſolùm, & à Maioribus petitam habes gloriam, quæ licet, ut antiquiſſima, ita amplisſima: nam Galliam, Angliam, Germaniam, Hungariam, Saxoniam, ac noſtram Poloniam, & Gentium iſtarum volumina implevit: WITWICIUM enim dicere, eſt Virtutem, Dignitatem, Gloriam, candorem ſapientiæ proferre. In TVA propria me ſine aliquantum eſſe, & ſines id orantē, pro TUA, quâ antecellis ferè omnes, certè innumeros, humanitate. Defendiſti Eccleſiam contra Novatores: nullis artibus à Tuis Regibus TE avelli permiſiſti, commoda TUA commodis Patriæ menſuraſti ſemper. Fateor, in his plenè recenſendis, Tuâ mihi opus eſſet eloqientiâ. Vix eſt, qui TIBI par ſit eloquio: vix eſt qui tantam panegyri præbeat materiam, Clerum & amas, & ad ſanctiora urges: Cives colis, & à legibus non diſcedis: mauis delinquentium pænitentiam TIBI ſubiectorum, quàm pænam. TE ſcientia non in-

flat,

ſtat, etſi ſit ſumma: Dignitas ad Te acceſſu non prohibet. etſi ferè cuiq; par ſit. Eſt ſumma civilitas cum altitudine: capacitas omnis publici officij cum ſubmiſſione: cum vi magna loquendi candor inſignis, & cum his omnibus vitæ ſumma integritas: quiſq; Te magnum libenter agnoſcit, precatur maiorem. O natum ad Infulas & purpuras! nam quæ diviſa beatos efficiunt, collecta tenes, ipſamq; invidiam in Tvas laudes cogis. zelus pro Eccleſia ingens, par amor in ſtudia, par gratulatio populi. Adeſt civilis prudentia, & ſinceritas incorrupta: eſt eminentia, & inanium tranſmiſſio: eſt in agendo fervor, & naxima quies animi. Totus es in negotijs, & totus in Te, ac DEO: totum Te alij impendis, & totus Tibi manes: neq; curæ vigorem cæleſtis ſpiritûs hebetant, neq; ſpiritus emaciat literarum frequentationem. Divina ita agis, ac ſi nihil prætr illa noſſes. Scribis, legis, ſtudes, acſi nnil aliud ſupereſſet; curas exe-

exequeris publicas perinde ſi nihil diverſum gravaret. Virtutum inſtrumenta in promptu, exercitium in manu, exemplar in opere: & ideò magis, cùm de virtute loqueris, penetras; neque aliter illa ad imitationem proponi poteſt, quia dum, ſic facienda præſcribitur, iam facta eſt. Quid alias illuſtriſsimas magnæ mentis dotes perſequar? Obrui me copiâ video, nuſquam exitum proſpicio. Gaudeat interim, ſupplico, TVIS Præſuleis manibus hoc Opuſculum, quod ut TIBI auderem offerre, cùm me & Theologum Tuum, & Examinatorem Cleri creares, effeciſti: eo non indiges, ſed fortaſſe Clero TVO eſt profuturum. Accipe muniſculum, quod in grande excreſcet munus, ſi TVAM adieceris dignationem. Recipe Ordinandorum Examen qui ipſe Ordinas: Recipe Parochorum, qui ipſo inſtituis. ſine TVO placito Opuſculum nullum eſt: ſi TIBI placuerit, omnibus ut placeat, eſt neceſſe. Merere de hoc ſcripto meo ali-

quid

quid, qui de omnibus mereris & optimè: anima hoc opus Tvâ Sapientiſſimâ mente; nec enim ſi poſſet vivere, aliâ mente animari vellet. & cùm in me toties Tuam benevolentiſſimam effuderis humanitatē, neq; hâc vice nega.

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Celsitudinis Vestræ

Cliens humillimus & apud Deum precator

Adalbertus Tylkowski S. I.



APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

CVm librum P. ALBERTI TYLKOWSKI Societatis nostræ, *Examen Ordinandorum, & ad Beneficia*, approbaverint, quibus id commissum fuit, Nos potestate nobis factâ ab A. R. P. N. IOANNE PAULO OLIVA Præposito Generali, concedimus ut imprimatur. Vilnæ 1673. Martij 10.

LADISLAUS RIDŻINSKI
Præpositus Provincialis per Litvaniam.





PRÆMITTVNTVR QVÆDAM ORDINATVRIS ET ORDINANDIS utilia.

ÆTas incipit à die Natiuitatis, non autem à die Baptismi. Cong. Conc. 4. Decemb. 1627

In Altari priuilegiato pro Defunctis debent celebrari Missæ de Requiem, aliàs indultum non suffragatur. Cong. Rit. 1. Iun. 1601.

Anniversaria die pro Defuncto si contingat in festo, in sequentem diem non impeditam transferenda est. Cong. Rit. 27. Sept. 1604.

Aquæ benedictæ aspersio in Dominicis diebus fieri debe per ipsum celebrantem. Congr. Rit. 29. Nov. 1632.

Pileolo in capite imposito celebrare & Missam dicere nullus potest sine Summi Pontificis licentia, nec sufficit Episcopi facultas. Cong. Conc. 16. Feb. 1619.

Benedicere Ecclesiam novam, vel Oratorium, & Ecclesiam reconciliare non ptest simplex Sacerdos sine licentia Sedis Apostolicæ. Cong. Rit. 19. Maij. 1607.

Bigamus affectus bigamiâ interpretatiua, etiamsi antè constitutus esset in Ordine Ostiariatûs non potest mortuâ uxore dispensari per Episcopum ut in Ordine suscepto ministret. Cong. Con. 13. Apr. 1630.

Ne cadaver sepelitur prohiberi non potest occasione iuris sepulturæ, cùm nulla ratio patiatur, Christianæq; pietati repugnant videatur, maximè vero ob pecuniarium interesse cadaver insepultum manere. Congr. Epilc. & Regul. 17. Sept. 1617.

Candelas benedictas in die Purificationis B. V. ad ædes secularium Parochi transmittere non debent, sed iuxta

 lau-

laudabilem, & obseruatam ab vniuersali Ecclesia consuetudinem, in Ecclesia eas populus recipere tenetur. Congr. Episc. & Regul. 17. Nov. 1617.

Capellæ privatorum palatiorum immunitatis privilegio non gaudent. Cong. Episc. & Regul. 17. Nov. 1617.

Capellani recitantes Officium Divinum cum Episcopo, sive Regulares sint, sive Sæculares, conformare se debent Episcopo vt satisfaciunt. Congr. Rit. 11. Iun. 1605.

Capellani Sæculares Monialium possunt ex gratia celebrare Missas occurrentis de Sanctis ipsius Ordinis, cuius est monasterium. Congr. Rit. 22. Dec. 1612.

Qui pro Missa celebranda accipit eleemosynam, si alteri committat, debet integram dare. Vrb. VIII. 21. Iun. 1625.

Celebrari non potest in altari ex qua subductæ sunt Reliquiæ, quæ in eius consecratione fuerunt in eo inclusæ. Con. Rit. 5. Mart. 1633.

Cinerum benedictio quæ solet fieri prima die Quadragesimæ, connumeratur inter functiones Parochiales, & ideo à Parocho est facienda. Con. Rit. 5. Marr. 1633.

Clavis custodiæ SS. Sacramenti Monialibus non debet committi, sed penes eum Sacerdotem debet esse semper, ad quem spectat illud administrandi cura Congr. Episc. 12. Ian. 1604.

Clerici nefandum crimen committener [id est Sodomiam] Curiæ Sæculari traduntur. Pius V. Horrendum 3. Kal. Sept. 1568.

Clerici in Minoribus non sunt asumendi ad cantandam epistolam, & Evangelium, etiam si sit penuria Subdiaconorum & Diaconorum, non obstante consuetudine. Congr. Rit. 21. Aug 1601.

Clerici quamvis senes possunt per Episcopum compelli ad removen-

movendas famulas etiam Senes. Con. Epil. 15. Feb. 1619.

Clerici Concubinarij notorij sunt etiam hodie ipso iure à Diuinis suspensi, prout in veteri iure erant. Cong. Conc. apud Nic. Garziam. de Benef.

Clericus ab alieno Episcopo sine literis dimissorijs sui Ordinarij ordinatus, est suspensus, & si ministret, efficitur irregularis. Congr. Conc. apud Armand.

Nullus Clericus Saecularis, aut Regularis non professus ad Sacros Ordines promoveri debet sine sufficienti titulo. Pius V. prid. Id. Oct.

Confessarijs non approbatis Confessiones factae sunt nullae. Congr. Conc. apud Palec. *nec approbari ullus potest nisi ab Episcopo*, Cong. Conc. apud Armand. *Et approbati in vna Diœcesi egent approbatione in alijs*. Congr. Conc. 22. Maij 1627. *etiā tempore Iubilaei*. Con. Con. 29. Ian. 1633.

Confessiones dum audiunt Sacerdotes Saeculares debent habere superpelliceum & stolam. Cong. Epil. 8. Nov. 1586.

Dimissoriae ritè & rectè concedi possunt ab Ordinarijs Beneficij. cap. fin. de tem. Ordin. in 6. *& non expirant morte concedentis*. Cong. Episc. 21. Nov. 1600. *Fori privilegio ut gaudere Clericus possit, debent concurrere copulativè tria requisita, videlicet quod gestaverit habitum, & tonsuram Clericalem, & Ecclesiae ex mandato Episcopi servierit*. Con. Controv. 21. Ian. & 8. April. 1626.

Functiones Parochiales, sunt delationes Ss. Sacramenti, & celebrationes Missam feriae quintae in cæna Domini, & & Subbati Sancti, aspersiones domorum, quadraginta horarum orationes. Cong Rit. 18. Maij 1602. *Cinerum benedictio*. Con. Rit. Mart. 1633. *Palmarum benedictio, processiones per Parocum*, Cong. Rit. 26. Febr. 1628.

Gloria in excelsis D, dicitur in Missis votivis B. V.

tam

tam in Sabbatis per annum, quàm in Sabbatis per Adventum Congr. Rit. 19. Maij 1607.

Habitum & tonsuram deferre tenentur Clerici Beneficiati non solùm in Sacris constituti, sed etiam in Minoribus & Clericali tonsurâ insigniti, sub pœna privationis ipso facto ipsoq; iure beneficiorum & pensione absq; ulla monitione ac Iudicis decreto, & Beneficia ipsa liberè alijs conferri possunt, & pensiones cassatæ & extinctæ dicuntur. Sixtus V. Cùm Sacrosanctam.

Homicidium committi mandans in personam unius, si committatur in personam alterius, non incurrit irregularitatem quæ contrahitur ex homicidio voluntario. Congr. apud Nic. Garziam.

Homicidium committens veneno non gaudet immunitate Ecclesiasticâ. Congr. Conc. 3. Dc. 1631.

Immunitate Ecclesiasticâ non gadent publici latrones, viarum grassatores qui itinera publica obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, depopulatores agrorum, homicidia in Ecclesijs & Cæmeterijs perpetrans, qui proditoriè aliquem occidunt, hæresis aut læsæ maiestatis rei. Greg. XIV. *Cùm aliàs. Gaudent Clerici qui perpatrata crimina ad Ecclesiam fugiunt extra casus in* Bul Greg. XIV. *comprehensos.* Congr. Epis. 24. Ian. 1617 *Immunitate Ecclesiasticâ non gaudet Mater occidens Filium infantem.* Cong. Con. 3. Dec. 1632. *Non gaudet mulier quæ medicamentis procurat abortum.* Cong. Conc. 3. Dec. 1632. *Non gaudet qui furatur in Ecclesia* Congr. Immunit. 18. Mar. 1631.

In interstitijs dispensatio potest dari ab Episcopo ex causis comprehensis in Trid. sess. 23 de ref. cap. 12. & 13.

In interstitijs non potest dispensare Episcopus cum non Diæcesano, nisi in dimissorijs hoc concedatur. Congr. Cracov. apud Pialec.

Non incurrit irregularitatem is, qui omni diligentiâ, ut praecaueret exhibitâ, dum operam rei licitae daret, solo casu fortuito homicidium commisit. Cong. Conc. apud Nic. Garziam.

Tempore Iubilaei non licet Regularibus extra suam Religionem confiteri, sed in sua licet cuiq;, quando id Iubilaeum concedit. Clem. VII. Rom. *Saecularibus non licet nisi approbato in hac Dioecesi.* Congr. Conc. 29. Ian. 1633.

Legatum pium quando relinquitur cum onere celebrandi peculiarem Missam de Rosario, extra Ord. Praedicat. celebranda est Missa B. V. votiva de tempore. Congr. Rit. 31. Iul. 1632.

Non potest percipere fructus Parochiae qui ab illa abest propter studia. Cong. Conc. apud Armend. *Licentia Parochi tacita non sufficit ut alius Sacerdos eius loco interveniat Matrimonio.* Cogr. Conc. apud Gonzales.

Litanijs publicis non possunt inseri alij Sancti, etiam titularis Patroni, etiam tempore pestis, praeter descriptos. Congr. Rit. 22. Mart. 1631.

Litaniae maiores si currant die Paschatis transferuntur in feriam tertiam sequentem. Congr. Rit. 25. Sept. 1627.

Ad literaturae titulo nullus promoveri potest. Congr. apud Nic. Garziam.

Missas celebrare anticipatè applicandas postmodum Personis à quibus recipit eleemosynam, omninò non licet. Congr. Conc. 10. Nov. 1605. *Nec qui accepit eleemosynam pro Missa, potest eam alteri committere, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta.* Congr. Conc. 21. Iul. 1625.

Missâ unicâ non potest Sacerdos satisfacere duabus obligationibus. Congr. Conc. 28. Apr. 1629. *Quando Missam tenetur celebrare Parochus non potest pro ea manualem eleemosynam recipere.* Congr. Conc. 1. Sept. 1629.

Missa de Requiem in altari privilegiato non potest dici in die festo duplici de præcepto. Congr. Rit. 24. Apr. 1627. *nec potest dici infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in hebdomada maiori, die Cinerum, in Vigilijs Nativitatis Dñi & Pentecostes* Congr. Rit. 28. Aug. 1626.

In Oratorio privato Missæ celebrandæ non sunt nisi de licentia Summi Pontif. Congr. Conc. 10. Mart. 16 5.

Oratorium privatum non gaude immunitate Ecclesiasticâ. Congr. Immunit. 9. Dec 16 1.

Ordinari quis potest ab Episcoo loci Beneficij quamvis illud sit simplex. Cong. Conc. 2 Maij 1594.

Ordines suscipientes extra tempra, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs ipso iure sunt suspensi, & in ijsdem ministrantes fiunt irregulares. Pius V. *Cum ex sacrorum.* 5 Cal Dec. 1561.

Parochialem Ecclesiam poterit obinere is, qui nullum habet Sacrum Ordinem, *dummodo fra annum ad Sacerdotium promoveri possit.* Cong. Con apud. Nic. Garziam.

Parochi non possunt accipere aliud etiam à sponte dantibus pro administratione Sacramentorum, possunt tamen accipere quod sponte pro eleemosyna ffe tur. Cong. Conc. 5. Febr. 1593.

Parochus nihil potest acciperet ro Matrimonio contrahendo. Congr. Conc. 17. Mart 6 9.

Parochus diebus festis Missam bet celebrare in propria Ecclesia & non in alia quacunq; suetudine in contrarium non obstante. Congr. Conc. 5. Sept & 17. Nov. 1629.

Tempore pestis tenentur Paroc omninò residere in suis Parochialibus, possunt tamen per um idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacrenta Baptismi & Pænitentiæ, & si nonresiderent, contra eos procedendum est se-

varà

vatâ formâ Trid. cap. 1. in fine sess. 23. de Reform. ;ongr. Conc. 10. Dec. 1576.

Regulares die primo Paschatis non possint populo ministra- e Eucharistiam, Cong. Conc. 2. Marc. 1619. Regulares uperiores possunt dare suis subditis dimissorias; si proprius piscopus absuerit vel non esset habiturus ordinationes, dum in oc procedant sine fraude. Congr. Conc. 15. Mar. 1595. ed non possunt dispensare in interstitijs. Congr. Concil. pud Quarant.

Clerici Regulares qui ante professionem factam promoventur d S. Ordines ipso facto suspenduntur. Pius V. Rom. Pont.

Approbatus ad Sæcularium confessiones, non eo ipso est pprobatus pro Monialibus. Cong. Conc. 1623. & approban- is pro uno earum Monasterio non potest in alio audire. Ib.

Qui Parochiam dimisit, etiam approbationem ad audien- as confessiones amisit. Cong. Con. apud Steph. de Alvin.

Sacerdotes nullum Officium aut Beneficium Ecclesiasticum itinentes non possunt cogi ad processiones. Congr. Conc. . Febr. 1632.

Qui Simoniam commisit in Ordinibus, eo ipso ab illis est spensus per decennium sine spe dispensationis, & per annum rceribus mancipari debet. Pius V. Cùm primùm.

Simonia committitur, si provisio fiat mercede & pretio, vel um aliquo pacto vel conditione, & non gratis. Congreg: oncil. apud Nicol. Garz.

Quicunq; Clericus Sodomiam exercuerit omni privilegio lericali & Beneficio Ecclesiastico privatur. Pius V. Horré.

Parocho studiorum causâ, non est danda licentia se à Pa- ochia absentandi. Congr. Conc apud Garz.

Sede vacante infra annum à die vacationis non licet Ca- itulis Ecclesiarum ordinandi licentiam, aut dimissorias dare.

Trid.

Trid. seff. 7, cap. 10. *nisi fuerit quis arctatus occasione recepti vel recipiendi beneficij Ecclesiastici* Ibid.

Nemo potest ascendere ad altiorem Ordinem nisi in inferiore sit probatus. Trid. 11. 12. 13.

Qui sunt in coniugio non possunt ad primam tonsuram admitti Congr. Conc. 1610 Ian. 23

Male est ordinatus qui sine Confirmatione accessit : & si sine hac accepit Beneficium simplex, novâ provisione eget; & ad Papam spectat dispensare vt ad Ordines altiores promoveatur. Congr. Conc. 21. Sept 1601.

Pro prima tonsura opus est annis septem completis, & ut sit confirmatus. Ibid.

Qui non potest aliter probare se primam tonsuram accepisse, probet iuramento. Congr. Conc. 8. Febr. 1602. *Ad Beneficia præscriptus annus sufficit inchoatus* Ib. Dec. 158; *Ad pensionem sufficiunt anni septem.* 6. Febr. 1611.

Qui ordinatur ad patrimonium: eximit illud à potestate Sæculari Congr. Conc. 26. Ian. 1611. *nec potest illud sine licentia Episcopi alienare priusquam acquisiverit aliunde de quo vivat* Ibid. in Maio. 1585.

Nemo potest ordinari ad insufficiens Beneficium, etiamsi Episcopus promittat se suppleturum. Ibid. Sept. 1589 *nec potest ordinari ad opificium ut se ex ipso alat.* Octob. 168; *licetsi iam fuerit promotus ad Sacros Ordines; tamen adhuc ad Præsbyteratum non potest.* Ibid.

Non potest ordinari ad titulum Doctoratûs Theologiæ, vel Ss. Canonum. Cong. Conc. 23. Maij 1609. *Nec ille debet ordinari, cui se aliquis obligavit super omnia bona sua dandam pensionem.* Ibid. 6. Mart 1606.

Si Beneficio insufficienti iungantur eleemosynæ certæ, potest ordinari: non potest verò si Episcopus obliget se ad supplen-

plendum Ibid. 26. Octob. 1569 *Bona subrogata cum licentia Episcopi in locum patrimonij, ad quod quis ordinatus, gaudent immunitate*, 22. Febr. 1610. *Potest ordinari cui alter bona sufficientia donavit, cum onere ut si alia acquisiverit, priora restituat.* 2. Martij 1619.

Possunt dari absenti dimissoriæ ad titulum patrimonij. Seminaristæ non possunt promoveri ad titulum Seminarij, nisi certi illis assignentur redditus. 3. Aug. 1572. Ibid.

Ordines debent publicè in Cathedrali conferri convocatis Canonicis Trid. sess. 23 cap. 8. *nisi pauci sint ordinandi.* Congr. Conc. 20. Nov. 1591. *Qui in aliena Diœcesi obtinuit simplex Beneficiũ potest in ea ordinari.* 6. Maij 1594.

Examinare debet Episcopus pro simplici Beneficio instituens 17. Martij 1603. *Non potest Episcopus familiarem suum triennalem sibi non subditum ordinare ad pensionem, vel Beneficium in aliena Diœcesi, sine dimissorijs proprij*, 10. Nov. 1605. *Non potest nepotes suos ex aliena Diœcesi Ordinare nisi facti sunt illi triennales*, Ibid. *Ad Parochiam sufficiunt anni 25. inchoanti.* Cong. Conc. 30. Aug. 1602. *Cùm Monachus sit Parochus examinetur ab Episcopo, & subsit illi in ijs quæ curam tangunt* 14. Martij 1610. *& sit pro nutu Superiorum amovibilis, habeat socium Professum.* Ib. 8. Maij.

S. Eucharistia semper haberi debet in Parochiali Congr. Conc. 2. April. 1683. *Pensionem habens super Beneficio quod est in aliena Diœcesi, non potest in ea ordinari, sed debet recurrere ad Propriam* Ibid. 1586.

Qui iussus percuti Petrum, si à Mandatario Petrus occidatur incurrit irregularitatem sed dispensabilem. Ibid. 1. Sept. 1603. *Homicida voluntarius, & eius socij possunt obtinere pensiones.* 21. Maij 1618, *Sede vacante potest Vicarius intra annum dimissorias dare illi qui à laicis Patronis*

 præ-

præsentātur, & primam accipiat tonsuram, & sic obtineat Be-neficium Ibid. in Iun. 1586. *Non potest Vicarius intra an-num vacantis Sedis remittere interstitia non arctatis, & hi ut remittat debet agere cum Capitulo* 17. Maij 1602. *Potest Vicarius Sede vacante instituere præsentatū.* 10. Feb. 159 *Quando inferior Episcopo instituit, debet præsentare quoad examen & approbationem Episcopo* in Mart. 1586. *Sede vacante non potest Vicarius instituere non Præsentatum à Pa-tronis* 28. Dec. 1620. *In collatione nihil omnino accipi po-test, etiam pro sigillo, nec obstat ulla contraria consuetudo.* In Martio 1586.

Notarius etiamsi pro pluribus Ordinibus det simul For-matas, non potest accipere ultra decimam partem aurei, idq; si nullum habeat salarium, 8. Iun. 1609. *Qui est promo-tus ad Sacros, sine doctrina, vel provisione, est ab illis suspen-sus, nec promoveri debet ulterius* 13. Ian. 1594. *In summa necessitate Ecclesiæ potest Episcopus partem fructuum, loco provisionis assignare* 13. Febr. 1598. *Potest ordinare ad do-nationem stabilem quæ alienari non poterit absq; licentia Epi-scopi, donec aliunde habeat quo vivat* 14. Apr. 1589. *Qui ad patrimonium promovetur debet alicui adscribi Ecclesiæ* 8. Aug. 1608. Ibid.

Parochus etiam sponte quid oblatum non potest recipere pro administratione Sacramentorum. Ibid. 26. Aug. 159 *Regulares si invito proprio Episcopo ordinentur ab alio, inci-dunt in suspensionem, et si talem ordinem exercuerint, fiunt irregualares Filius Neophytæ non est irregularis* 17. Mart. 1606. *Si Episcopus non bene novit dimittendum, committit illius examen ordinaturo.* 28. Iul. 1580. *Cui dat Pa-dimissoriales, nihilominus ab Ordinante debet examinari de moribus* 12. Sept. 1620. *Minores omnes potest simul Episco-*

pus

pus conferre, sed id debet fieri ex iusta causa. 10. Sept. 1595. *Vel si sit consuetudo* 16. Sept. 1597. *Familiarem suum per triennium potest Episcopus ordinare ad utilitatem suæ Ecclesiæ, sed si talis ordinetur ad patrimonium, erit suspensus ad arbitrium proprij Episcopi.* 6. Aug. 1600.

Regulares ab eo sunt Ordinandi in cujus sunt Diæcesi, hoc est, habent Monasterium in quo degunt 17. Maij 1539. *Dimissoriæ possunt ab eo Episcopo concedi in cuius Diæcesi habet Beneficium, qui tamen prius te examinet* 5. Maij 1595.

Si proprius Episcopus ordinet alios, sed Regularem non vult, tunc Superior illius non potest dare illi dimissorias ad alium Episcopum, sed debet appellare 23. Apr. 1614.

In interstitijs potest dispensare Vicarius Sede vacante 21. Apr. 1591. *In interstitijs non dispensandum nisi in causis expressis* Tridentino 30. Maij 1609. *Regulares exempti debent ad audiendas confessiones approbari absolutè, & non ad tempus, ab Episcopo* 26. Iul. 1601. *Solus Ordinans remittit interstitium, sed de causis informari debet à Superioribus Regularium* 12. Sept. 1609. *Nulli autem promovendi ulterius nisi se in prioribus exercuerint.* 26. Ian. 1581. *Minores conferendi diebus festis ad populum. Ex Societate IESV possunt non expectato anno Sedis Vacantis promoveri, ita respondit* Eminentissimus Cardin. Pallavicinus Nuntius in Polonia, *sine dubio, ut est vir doctissimus, ex aliqua decisione Apostolica.* 2. Decem. 1687. *Idem Româ rescripsit P. Esparsa de hoc sub idem tempus consultus.*

Annus pro Ordinibus computatur à similibus temporibus ad similia. 5. Febr. 1583 *Non possunt Episcopi dispensare cum promotis per saltum.* 25. Febr. 1617. *nec cum male promotis, etsi non ministraverint.* Ibid.

Approbatus in una Diæcesi pro confessionibus debet in alia

approbari. Pro hac approbatus, non potest extra illam au
dire etiam huius Diœcesis homines. 22. Maij 1610. Sæcu
lares semel à se approbatos potest iterum Episcopus examina
re: Regulares verò nonnisi à suo Vicario approbatos. 11.
Sept. 1610. aut nolus.

Absolutus à Censuris per Regularem privilegiatum, etiam
parte satisfactâ, manet ligatus in foro exteriore. 22. Iun.
1624. Nulli omninò Regularium Sæcularium, etiam Sacer
dotum, audire possunt Confessiones, nisi per examen, aut ali
modo reperti fuerint idonei, & approbati 20. Iul. 1619. S
prævio examine Regulares ad audiendas Sæcularium Con
fessiones sunt approbati, non possunt iterum ab eodem Epi
scopo, nisi ob causam ex ipsa confessione erumpentem exami
nari. 14. Maij 1610.

Pro literis approbationis ad Confessiones nihil potest accip
18. Febr. 1633. Regularis generaliter approbatus ad au
diendas confessiones debet adhuc approbari ab Episcopo pr
audiendis Monialibus. 10. Febr. 1624. Potest Episcopus e
causa, datam à se licentiam audiendi confessiones, revoca
re, potest & suspendere, ab hoc Pænitentiarius semel ap
probatus non potest iterum examinari. Possunt ex vrgen
causa confessiones in privatis ædibus audiri. Regulares Me
dicantes possunt in Paschate Confessiones audire: non appr
bati verò possunt audire eos qui sunt de illorum familia &
commensales. 13. Sept. 1586.

Ordinari quispiam non potest ex eo, quia est devotu
etiamsi habeat sufficiens patrimonium, nisi utilitas & nece
sitas Ecclesiæ accesserit. in Sept. 1588. Clericus huic Eccle
siæ adscriptus potest ad aliam transire cum consensu Episc
pi. 5. Martij 1597. Ab Ordinario proprio habeat litera
qui vult Sacra in aliena Diœcesi exercere. 4. Iul. 1579

Non

Non potest Clericus in aliena Diœcesi recipi sine testimonio proprij Episcopi in scripto 23. Martij 1625.

Non potest Episcopus absolvere à Censuris incursis propter ingressum ad Monasterium Monialium etiamsi sit occultus Decisum refert Riccius in praxi Resol. 544. Potest absolvere percussorem Clerici ob levem non notoriam iniuriam Sylu. Crux debet collocari in medio altaris etiamsi in eo Sacra Eucharistia asservetur, etiamsi in icone pictus sit Crucifixus. Gavant.

Clericus Christum, vel B. Virginem expressè blasphemans, primâ vice privatur fructibus Beneficiorum unius anni. Sed altera vice Beneficio privatur, pro tertia vice omnibus dignitatibus, & in exilium mittitur. Si autem caret Beneficio luat pœnam pecuniariam vel corporalem pro prima vice, pro altera carceri datur, pro tertia verbaliter degradatur & ad triremes mittatur. Pro blasphemia in Sanctos arbitrio iudicis, habitâ ratione Qualitatis blasphemiæ, personæ. Pius V 1566. puniatur.

Non expirant dimissoriæ post mortem dantis, neq; post ingressum novi Episcopi. Congr. Epil. anno 1600.

Dimissorioales ab alijs dari non possunt nisi ab Episcopo, sub pœna impetrantibus suspensionis ad arbitrium Episcopi si ordinentur in Maioribus: si verò in Minoribus quod non gaudeant privilegio Clericali, præsertim in criminalibus. Trid. Sess. 23. cap. 10. Dantur gratis, & sponte oblatum reijciatur sess. 21. cap. 1.

Oratio a Superiore iussa dici ultra collectas de die, non dicitur in Festis primæ Classis, Congr. Rit. 28. Aug. 1627. In Missa feriæ Quatuor temporum, in die Octava Nativitatis B. Virginis præfatio erit ferialis. Congr. Rit. 12 Decemb. 1620. Filij Hebræorum non excluduntur ab Ordinibus. Decisum refert Armendar.

Exa-

Examinatus ab Episcopo qui dat dimissorias, debet rursum examinari ab Ordinante. Trid. sess. 12. cap. 11. *Dispensatio in interstitijs pertinet ad Episcopum ordinandi, non ad Ordinantis.* Congr. Episc. 15. Apr. 1590.

Nemo ordinetur, qui Ecclesiæ aut pio loco non adscribatur, etsi locum deserat Episcopo inconsulto, ei Sacrorum exercitium interdicatur. Trid. sess. 23. cap. 16.

Titulares Episcopi, etiam in loco in ullius Diæcesis, aut exempto, conferendo Ordines, aut primam tonsuram alicui non habenti dimissorias, etiam si habeant privilegium Ordinandi quoscunq; accedentes, incurrunt suspensionem à Pontificalibus, reservatam Papæ. Trid. sess. 14. cap. 2.

Regulares participantes in privilegijs Greg. XIII. *Societatis* Iesu Clementis VIII & S. *Ioannis in Portugalia, possunt ordinari non servatis interstitijs, neq; præviâ functione priorum ordinum, & extra tempora.* Diana tom. 2. tr. 2. de Dubijs Regul. resol. 31. 32. 112.

Militibus, etiam quòd non sint præliati denegatur prima tonsura. Congr. Episc. 22. Aug. 1619. *Itali primâ tonsurâ, aut Minoribus Ordinibus ab altero Episcopo cum falsis dimissorijs initiati, non gaudent privilegio fori* Vrb. VIII An. 1624. *Primâ tonsurâ non initientur nisi prius confirmati.* Trid. sess. 23. cap. 4. *Fidei rudimenta sciant, & legere, & scribere, & coniectura sit probabilis, eos Deo servire velle,* Ibid. *Ad Minores Ordines testimonium habeant à Parocho & Magistro Scholæ.* Trid. l. c. c. 4. *Iis conferentur qui Latinam linguam intelligunt, & quos scientiæ spes maioribus Ordinibus dignos ostendat.* Ibid. cap. 11. *Si dentur dimissoriæ, dentur uni & certo Ordinario ad electionem Concedentis cum intentione dictæ diligentiæ: alias promotus ab executione collati, & à susceptione superioris Ordinis*

dinis

dinis perpetuò ſuſpenſus ſit, & Ordinans ſeu dimiſſorias concedens, à collatione Ordinum, eo ipſo, per annum. Congr. Cardin. 10. Iul. 1623.

Poteſt quis ordinari ad titulum Beneficij, cuius tamen fructus non percipiet. niſi poſt Sacerdotium. Refert. deciſum Garz. Non poteſt quis ordinari ad titulum menſæ Epiſcopalis. Congr. Episc. 20. Febr. 1590. Ordinatus ſine titulo non eſt ſuſpenſus, ſed Epiſcopus eum tenetur alere, & non promoveatur ad alios Ordines Deciſum refert Barbos.

Ad Subdiaconatum non admittatur nonniſi poſt annum à ſuſceptis Minoribus, niſi adſit neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. & doceat de exercitio Minorum Ordinum Ibid. cap. 13. Sacri Ordines nonniſi in Miſſa conferantur. Cap. Quòd ſicut elect. Cum promotis per ſaltum ſi non miniſtraverint Epiſcopus ex cauſa poteſt diſpenſare. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14.

Ad Diaconatum non poteſt quis ordinari promotus ob utilitatem alicuius Eccleſiæ ab alio Epiſcopo, ſub quo domicilium habet, ſed debet ab eo qui eum Subdiaconum creavit, niſi cum huius licentia diſceſſerit. Trid. ſeſſ. 23. cap. 16.

Eiecti Regulares extra Religionem degentes, ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublatâ Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi ſeu moderandi. Vrb. VIII. Poſſunt Regulares miniſtrare Euchariſtiam & Extremam unctionem hoſpitibus infirmis in eorum Monaſterijs. Pius V. Id. Febr. 1567. Non poſſunt Regulares aggregare ſuæ Religioni Perſonas in articulo mortis conſtitutas. Congr. Rit. 29 Ian. 1600. Pro Sacramentorum adminiſtratione, hoc titulo, nihil poteſt accipi, etiam à ſponte dantibus. Quod offertur ſponte pro eleemoſyna accipi poteſt. Congr. Conc. 1. Febr. 1593.

Poteſt

Potest Episcopus absolvere à Simonia occulta Trid. sess. 24. cap 6. *Clericus si percutiatur, modica est percussio pugni, palmae, manûs, baculi, lapidis, quae ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non accessit.* Ioan. XXII *Factum tamen, facti qualitas, percutiendi modus & iniuriandi, circumstantia loci & personae, attendantur, loci ut in theatro, vel foro, coram Praelato, vel Iudice: in Ecclesia coram multis, vel in alio loco publico: Personae, ut Magister, Iudex, Pater, Patruus, vel quis in dignitate, vel personatu constitutus, ab inferiori, vel humili, in dubio citra metas potiùs est decernendum quàm ultra* Ibid.

Sciant universi Sacratissimos Canones exactè ab omnibus & quoad fieri poterit indistinctè observandos. Quodsi urgens iustaq; ratio, & maior quandoq; utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atq; gratis, à quibuscunq; ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum: aliterq; facta dispensatio surreptitia censeatur. Trid. sess. 25. cap. 18. de Reform.

In Examine debet ordinandorum genus, persona, aetas institutio, mores, doctrina, & fides diligenter investigari Trid. sess. 23. cap. 7. De Reform. *Filios, & nepotes haereticorum ius ab Ordinibus excludit usq; ad secundum gradum per lineam masculinam, vel usq; ad primum per lineam faemininam, nisi illi haeretici se antè emundavissent.* Barbos. in l. c.

Fratres Minores, & omnes qui cum illis in privilegijs communicant, possunt extra tempora ordinati Clem. VIII. *Dies in quibus ordines conferuntur debent esse Festi de praecepto & celebres* Urb. VIII. *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non potest nisi per triennium secum fuerit*

com-

commoratus, & Beneficium quacunq; fraude cessante, statim reipsâ illi confert. Trid. sess. 23. de reform. cap. 9. Sed hoc titulari Episcopo non servire, docet Barbos. ibid. sess. 14. de reform. c. 2. & sufficit, si inceperit triennium ante Episcopatum, refert decisum Ricc. Et hoc ipsum valet etiam in prima tonsura dicit Nau. Consilio 24.

Dimissoriæ possunt concedi ab Ordinario Beneficij. cap. fin. de temp. Ord. Possunt dari & familiari trienni conferendo illi statim Beneficium. Pialec. in praxi.

Minoribus ordinandi servent interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videtur. Exerceant Ordines in Ecclesia cui adscripti, nisi fortè causâ studiorum absint. Trid. sess. 23. de refor, cap. 11. Professio fidei facienda ante susceptionem Ss. Ordinum. Const. Synod. an. 1630. Feriâ quartâ fiat examen. Ibid. Cum ficta provisione suscipientes Ordines ipso facto sunt suspensi, & ulteriores nunquam accipient, & qui sic providit excommunicatur. Syn. Gnelnen. an. 1628. In dimissorialibus exprimatur causa, & quòd sint examinati de natalibus, moribus, Beneficio. non admittantur periuri, vsurarij manifesti, ebriosi, infames, obligati rationibus, mancipia, epileptici: epist. Pastoral. Clericidæ ad quartam generationem ordinari non possunt. Synod. Crac. Añ. 1621. Reiectus ex examine expectet vnum annum. Locum ad quem est ordinatus, si deserverit, suspendatur. nec sufficit quòd illi tanquàm Vicario alter Parochus maius assignet salarium, sed solùm si Beneficium per institutionem sit accepturus, vel Religionem ingressurus. nec ordinetur nisi Beneficium pacificè possideat. Examen fiat feriâ quartâ. Commendantium nomina inscribantur ut deinde possint conveniri. Ibid. Regulares nisi testimonium tulerint professionis cum ætate, Mense, die, sunt ipso facto suspensi, exceptis So-

cietatis Iesu propter Bullam Gregorij XIII. Qui feriâ quartâ non comparent, non audiantur, Ibid.

Regulares dum accedunt ad examen, afferant consensum Superioris, de interstitijs, de ætate, de professione. Ibid. Dantes falsam provisionem, commendantias falsas, ipso facto excommunicantur. Synod. Cracov. 1607.

Regulares debent afferre literas non antiquiores trimestri de moribus, de suscepto ordine & quod in interstitijs opus dispensatione, & quòd exercuerint ordinem priorem, & qui ritè professi. De Franchis. Si Sabbato confert unum S. Ordinem Episcopus, alterum Dominicâ continuato ieiunio fit ipse suspensus à collatione, & ordinatus ab executione, dum nec a Papa dispensetur. Si ordinet ignorans an sit dispensandum in interstitijs, non dispensat; si scit dispensat, idem est de dante dimissoriales. Causa dispensandi cum Clericis ad Subdiaconatum in interstitijs, est Ecclesiæ necessitas cum Subdiacono ad Diaconatum minor causa requiritur cum Diacono Ecclesiæ necessitas & utilitas. Non sufficit ordinari in spem dimissionis. In dimissorijs si soli Minores exprimantur, non potest ad Sacros ordinari Dimissoriæ non expirant etiamsi moriatur ille qui eas dedit. Franchis. Qui furtive ad Ordines accessit, excommunicatur. Confiteri accedentes debent, & ad hoc sit deputatus Confessarius qui eo ipso facultatem habet absolvendi à reservatis, & dispensandi. Synod. Gnesnen. 1630.

Natus in via ibi habet domicilium originis, ubi Pater. Si Regularis Superior daret dimissorias non suo Regulari subdito, esset per annum suspensus ab officio, ac Beneficio ipso iure. Non est familiaris Episcopi qui peregrè moratur, etsi illius sumptibus. Rebaptisati ob magnum metum possunt dispensari ab Episcopo. Filij Hebræorum ad quartam generationem

tionem non possunt ad Sacros promoveri, ut decrevit Paulus IV. Pislec. in praxi. Ab Hæreticis baptisati & qui distulerunt Baptismum ad ætatem adultam, vel ad ægritudinem, non sunt ordinandi. Ibid.

Scienter ordinati, ab Hæretico, Apostata, suspenso, interdicto, Simoniaco declarato, in acceptis Ordinibus ut ministrent, opus dispensatione, nec ulterius ordinari possunt, nisi Papa concesserit. Si id nescientes fecerunt, possunt dispensari ab Episcopo. idem est, si ex metu gravi Violatores edicti si sunt in ordine, ulterius ordinari non possunt. Excommunicatus etiam Minores accipiendo, fit irregularis. Natus ex Matrimonio illegitimo impedito est illegitimus. Illegitimitas quoad ordines tollitur per ingressum Religionis Greg. XIV. Cum Illegitimo Episcopus solum potest dispensare ad Minores, Beneficium simplex Ibid.

Descendentes ex Iudæis si ante rationis usum baptisati sunt, possunt ordinari, & sunt capaces officiorum & Beneficiorum, & quamvis Neophyti sunt irregulares, id verum est de his qui nuper ad fidem conversi sunt, cuiusmodi non sunt baptisati à nativitate. Sanch lib. 2. cap. 28, licet adhuc Parentes perseverent in Iudaismo. Soar. 5. tom. in 3. p. d 43. sect. 24. ar. 7. Sed etiamsi non ante rationis usum sint baptisati poterint ad Ordines admitti & ad Beneficia, si Episcopi iudicio probantur Contr. apud Sanch. l. c.

Promovendus ad Minores, testimonium habet bonum, à Parocho, & Magistro. Trid. sess 23. cap. 7. de reform.

Strictissimè inhibemus Examinatoribus nostris, ne ullum cuiuscunq; gradûs, aut conditionis existat, ad SS. Ordines suscipere præsumant, nisi prius illis constiterit, de integritate morum Promovendi, & de congrua scientiâ ad

Ordines Sacros requisitá præditus. Ita statuit Illustrissimus & Reverendissimus DD. STANISLAUS in Magna Witwicá WITWICKI tunc Episcopus Luceorieñ & Bresteñ in Synodo Anni 1684.



EXAMEN



EXAMEN ORDINANDORVM

Inprimis

AD QVEMCVNQVE ORDINEM.

QVæritur, *an Ordinandi cognitionem Sacramentorum Sanctæ Ecclesiæ, seu nouæ Legis habere debeant, saltem in genere.*

Resp. Maximè, quia Ordo, quo insigniri volunt, est Sacramentum. Sed circa Ordinis Sacramentū multa particularia scire tenentur.

2. Q. *An ipsi Ordinandi, præter multa particularia ad Ordinis Sacramentum spectantia, teneantur scire plurima particularia, quæ attinent ad alia Sacramenta.*

℟. Nequaquam, nisi velint citò exercere curam animarum, in quo casu videant, & considerent attentè ea, quæ explicantur à Cardinale Toleto, seu ab alijs Auctoribus approbatis circa eadem Sacramenta.

3. Q. *Quotuplex sit Sacramentum.*

℟. Sacramentum, cùm sit nomen æquivocum, non dicitur tantùm de uno unius speciei, sed de pluribus plurium specierum dicitur; unde Sacramentum, quoad primam sui

divisionem, duplex est; scilicet Sacrament veteris Legis, & Sacramentū novæ Legis: S cundariò dicitur, quòd Sacramentum t plex est: Primum est omne, quod est occu tum. Secundum est iuramentum, quod mil tes antiquitùs offerebant: Tertium est aggr gatum ex rebus, & verbis; quod quidem Sacramentum novæ legis, cùm fiat ex rebu & verbis; & hoc à Theologis definitur, infra patet.

4. Q. *An Sacramenta novæ Legis sint utilia,* *necessaria.*

℟. Quia sunt utilia, & necessaria, ut Mag ster sententiarum exponit, homo per ipsa S cramenta humiliatur, eruditur, & exercetu

5. Q. *An Deus possit salvare hominem sine S cramentis.*

℟. Deus potest salvare hominem absq; S cramentis de potentia absoluta, non aute de potentia ordinaria, iuxtà communem se tentiam Theologorum.

6. Q. Quæ sit potentia absoluta, & pote tia ordinaria.

℟. Potentia absoluta est illa, quæ nulla a stringitur Lege, nedum naturali: Pontent verò ordinaria est illa, quæ est in usu iux Decreta, moderna Divina.

7 Q. Quæ, & quot Sacramenta Eccles sint magis necessaria.

℟.

℞. Tria ſcilicet Baptiſmus, Pœnitentiæ, & Ordo; quæ quidem in Sacramenta inæqualiter ſunt neceſſaria, quia Baptiſmi Sacramentum eſt neceſſarium abſolutè unicuique. Pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſarium tantummodò illis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt, & Ordinis Sacramentum eſt neceſſarium non ſingulis fidelibus, ſed toti Eccleſiæ.

8. Q. Quotuplex ſit neceſſitas apud Theologos Doctores.

℞. Duplex ſcilicet neceſſitas medij, ſine qua de Lege ordinaria nullus ſalvari poteſt; & neceſſitas præcepti, qua homo tenetur ad aliquid ſolùm ex præcepto; quod ſi ignoret ignorantia invincibili, ſeu probabili poteſt ſalvari.

9. Q. Qua neceſſitate ſunt neceſſaria Sacramenta.

℞. Aliqua Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ut Baptiſmus; & poſt peccatũ mortale Pœnitentia in adultis: Alia verò Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, & hæc ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti ratione perſonæ ſingularis, non autem ratione totius Eccleſiæ militantis: ratione enim ipſius totius Eccleſiæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij.

10. Q. Quid ſit novæ Legis, Sacrementũ.

℟. Est signum rei sacræ.

Sive ℟. Sacramentum novæ Legis est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostrã justificationem à Christo Domino institutum.

Sive ℟. Est secundùm Theologos ipsum definientes, & sic magis propriè dicendo; Sacramentum novæ Legis signum practicum sensibile rei sacræ sanctificantis homines, à Christo Domino institutum.

11. Q. Quid nomine signi intelligatur in ipsa definitione.

℟. Nomine signi intelligitur materiale, quo utitur Minister inconficiendo aliquo Sacramento, ut aqua in Baptismo, ut vocatur materia ipsius Sacramenti; & etiam intelliguntur verba, quæ proferuntur à Ministro, quando conficit Sacramentum; quæ quidem verba appellantur Sacramenti forma.

12. Q. Quare ipsum Sacramentum novæ Legis dicatur signum practicum.

℟. Quia homo utitur Sacramento, in quantum idem Sacramentum facit id, quod significat, ut est Dei instrumentum per virtutem eidem ab ipso Domino Deo inditam; unde dicitur causare gratiam ex opere operato, id est ex vi, & efficacia ipsius Sacramenti ultra dispositionem, & meritum, aut exigentiam recipientis Sacramentum.

13. Q. An Sacramentum nouæ Legis conferat

ferat gratiam iuſtificantem ex opere operato de condigno, ideſt, quando meritum fit ab exiſtente in gratia propter aliquod bonum opus ab eo factum, & etiam de congruo, ſcilicet, quando quis exiſtens in peccato mortali facit quod in ſe eſt; ut ſi proponat confiteri; ſi Deum oret, ut eripiatur à peccato; quamvis hæc facere nequeat, niſi mediante aliquo auxilio ſupernaturali.

℟. Maximè, propter coniunctionem iuſtitiæ Dei cum miſericordia ipſius.

14. Q. An Deus poſſit inſtituere Sacramentum ſignum ſpirituale.

℟. Maximê; ſed eſſet Sacramentum, quod Angelis inſerviret.

15. Q. Quare idem Sacramentum novæ Legis dicatur non ſolùm ſignum practicum, ſed etiam ſenſibile.

℟. Quia omne Sacramentum in aliquo ſigno externo ſenſibus ſubiecto ſaltem ex parte conſiſtit, & hoc factum eſt à Christo Domino, quia homo corporeus eſt, & propter hoc nihil intelligit in præſenti ſtatu, niſi per modum rei corporeæ, & ſenſibilis

16. Q. Quare ſacra res ab ipſo Sacramento novæ Legis ſignificata dicatur ſanctificans homines.

℟. Quia omne Sacramentum cauſat gratiam ſanctificantem, vel augmentum ipſius

modo iam dicto, ideſt ex opere operato in homine non ponente obicem, ſeu rectè diſpoſito ad recipiendum tale Sacramentum: & quodlibet Sacramentum confert aliquem alium particularem effectum.

17. Q. Quare idem Sacramentum novæ Legis à Chriſto Domino fuerit inſtitutum.

℟. Sacramentum novæ Legis fuit inſtitutum à Chriſto Domino, ut ſecundùm eius mentem homo intelligeret ipſum Sacramentum novæ Legis eſſe ſignum contradiſtinctum à ſignis purè naturalibus, quia ſecundùm mentem ipſius Chriſti ſignificat rem ſacram ſupradictam, & ut ipſemet homo etiam adhiberet ipſum Sacramentum ad conſequendam gratiam iuſtificantem ab ipſo ſignificatam, & æternam ſalutem.

18. Q. An Sacrámenta veteris, & novæ Legis differant.

℟. Licet in ratione ſigni conveniant, vtraque enim ſunt ſigna non naturalia, ſed ad placitum, & ex inſtituto Dei; tamen differunt pluribus modis. Primò differunt, quia Sacramenta veteris Legis ſolùm ſignificabant gratiam dandam, ſed Sacramenta novæ Legis eam ſignificant, & efficiunt. Secundò, illa erant ſigna ſignorum, ideſt noſtrorum Sacramentorum; hæc ſunt ſigna rerum, ideſt gratiæ ſanctificantis, & aliarum virtutum,

quæ illam consequuntur. Tertio, illis initiabantur solùm iusti, his verò etiam iniusti, qui iustificari volunt. Quartò, illa non aperiebant cœlum, hæc autem aperiunt. Quintò, illa conferebant gratiam legalem ex opere operantis tantùm; hæc verò conferunt gratiam iustificantem ex opere operato. Sextò, illa non constabant ex verbis, sed solis rebus; hæc verò ex rebus, & verbis constant.

19. Q. An Sacramenta antiqua, & naturalia in pueris causaverint gratiam sanctificantem aliquo modo ex opere operato.

℟. Maximè, tamen non causabant illam gratiam ex vi, & efficatia sua, sed Deus causabat ipsam gratiam intuitu professionis fidei, & devotionis, quam illi in talibus profitebantur; & ideò eadem Sacramenta erant inferiora nostris.

20. Q. An aqua lustralis, seu benedicta, & cætera Sacramentalia, in quorum usu homo iustus acquirit augmentum gratiæ, sint Sacramenta.

℟. Nequaquam: quia non causant gratiæ augmentum ex opere operato, sed secundùm dispositionem operantis.

21. Q. An omnia opera bona, & meritoria hominis iusti, eleemosinæ, & opera misericordiæ, immo actus perfectæ charitatis, aut perfectæ contritionis extra Sacramentum,

etiamsi habeant annexam primam gratiam & remissionem peccatorum, sint Sacramenta novæ Legis.

℟. Nequaquam; quia non causant gratiam ex opere operato nec ad hoc sunt instituta à Deo; sed causant gratiam solùm secundùm dispositionem operantis.

22. Q. Quot sint partes essentiales Sacramenti novæ Legis.

℟. Duæ; hæ sunt materia, & forma; quarum vna deficiente, non conficitur Sacramentum; vt pane triticeo, & vino deficiente quæ sunt materia Eucharistiæ, non conficitur Sacramentum, licet adhibeatur forma.

23. Q. Cur res dicantur habere rationem materiæ, & verba formæ.

℟. Quia sicut materia contrahitur, & determinatur à forma; sic res contrahuntur, & determinantur à verbis; & ex his, & illis conficitur Sacramentum.

24. Q. Quotuplex sit materia Sacramentorum.

℟. Duplex; scilicet remota, & propinqua seu proxima; illa est elementum in conficiendo Sacramento, hæc est vsus talis elementi ut aqua est materia remota, ablutio verò materia proxima Baptismi; & in Sacramento Ordinis calix, vel liber, aut aliud tale, vel tale est materia remota, & traditio illorum est materia proxima.

25. Q. Quanta debeat esse materia Sacramentorum,

℟. Modica, seu pauca quoad conficiendũ Sacramentum, sed quoad usum fidelium debet esse multa, ut quando conservantur particulæ pro Communione multorum.

26. Q. An materia in conficiendis Sacramentis debeat esse sanctificata, & benedicta.

℟. In quibusdam Sacramentis materia debet esse sanctificata, & benedicta, vel à Sacerdote, ut aqua Baptismi; vel ab Episcopo, vt oleum in Sacramento Extremæ Vnctionis, & Calix cum Patena in Sacramento Ordinis, & Chrisma in Sacramento confirmationis; in aliis autem Sacramentis non requiritur materia sanctificata, & benedicta, cuiusquidem differentiæ ratio est, quia in illis Sacramentis abundantia gratiæ datur; ideò requiritur duplex sanctificatio, vna super materiam, alia in susceptione Sacramenti, ut asserit Albertus Magnus in 4. dist. 23. ar. 3. Et advertendum est, quòd quantum ad Baptismum, & sacram Ordinationem, non est de necessitate Sacramenti, quòd materia sit consecrata, sed solùm de necessitate præcepti; quantum verò ad Sacramenta Extremæ Vnctionis, & Confirmationis est de necessitate Sacramenti.

27. Q. An sit utendum materia dubia.

℟. Nequaquam, nisi in casu necessitatis, quando certa materia haberi non potest.

28. Q. An materia mixta ex propria, & extranea materia, possit consecrari.

℟. Maximè, si propria materia sit in maiori quantitate, quàm extranea, sed consecrans peccabit si hoc scienter fecerit.

29. Q. Quando Minister debeat vti materia in conficiendo Sacramento.

℟. Quando profert formam, & hoc intelligitur moraliter, scilicet paulò antè, vel paulò post; sed tutius est, si physicè, idest naturaliter simul materia, & forma adhibeantur.

30 Q. Vbi debeat esse materia Sacramenti conficiendi.

℟. Debet esse præsens Ministro, ita ut oculis eam videat, & manibus tractet, non tamē necesse est, ut ipsam tangat.

31. Q. Quod modis forma Sacramentorum variari possit.

℟. Septem. primò, diverso idiomate, seu diversa lingua, vt Græca, Latina, &c. Secundò, interpositione, ut tussiendo, aut loquendo. Tertiò, additione, ut addendo verba non necessaria. Quartò, corruptione, ut dicendo vatizo, loco verbi baptizo; & dicendo Matris loco Patris, &c. Quintò, transpositione, ut ego te baptizo in nomine Filij, Patris, & Sancti Spiritus, &c. Sextò, verbi pro verbo

bo positione, ut ponendo loco Patris nomen Genitoris, & loco Filij, nomen Geniti, &c. Septimò, subtractione alicuius verbi, ut omittendo verbum, Baptizo, aut aliquam Divinam Personam. Circa quos modos variationis adverte fieri Sacramentum, dummodò non mutetur sensus verborum; & circa interpositionẽ, dummodò parva mora intercedat.

32. Q. Quot sint effectus Sacramentorum.

℞. Duo, unus communis omnibus Sacramentis, & est gratia; alter verò particularis aliquorum Sacramentorum, & est character, qui est effectus particularis Baptismi, Confirmationis, Ordinis.

33. Q. Quid nomine gratiæ intelligatur.

℞. Nomine gratiæ intelligitur habitus supernaturalis infusus immediatè à Deo in creatura intellectuali rationali, per quem vel fit digna vita æterna, & grata ipsi Deo; vel præparatur, ut fiat digna, & grata. Ipse habitus supernaturalis, quando efficit creaturam dignam vita æterna, & gratam ipsi Deo, vocatur gratia gratum faciens, quæ stare non potest cum peccato mortali; quando verò ipse habitus præparat ipsam creaturam, ut fiat digna, & grata, vocatur gratia excitans, seu præveniens, quæ stare potest cum peccato mortali.

34. Q. In quo genere causæ Sacramenta novæ Legis, gratiam conferant.

℞.

℟. Circa hoc duplex eſt opinio, quarum prima aſſerit Sacramenta efficere gratiam in genere cauſæ moralis, quatenus intuitu Sacramentorum Deus producit gratiam, quam confert ſuſcipientibus Sacramenta. Altera opinio affirmat, eadem Sacramenta efficere gratiam in genere cauſæ phyſicè inſtrumentalis, quatenus materia Sacramentorum verè attingit productionem gratiæ per elevationem effectam à Deo, vti ad effectum improportionatum reſpectu naturæ ipſius materiæ, ut exempli gratia patet de materia in Baptiſmo, quia Deus elevando inſtrumenta creata ad producendum aliquod ſupernaturale, tribuit dignitatem, & excellentiam ipſis Sacramentis.

35. Q. Quis ſit Miniſter Sacramentorum novæ Legis.

℟. Eſt Sacerdos habens iuriſdictionem quantum ad aliqua Sacramenta, ſeu alius iuxta qualitatem eiuſdem Sacramenti, & intelligentiam illius, qui accepturus eſt ipſum Sacramentum. Et advertendum eſt Baptiſmum in caſu neceſſitatis etiam ab infideli poſſe cõferri, ſervatis ſervandis.

36. Q. An Angelus, vel Dæmon, vel Anima ſeparata poſſit eſſe Miniſter Sacramentorum novæ Legis.

℟. Nequaquam de Lege ordinaria talis

Mini-

Minister Sacramentorum dari potest.

37. Q. Qualis debeat esse Minister ordinarius Sacramentorum.

℟. Debet habere quatuor conditiones, scilicet; scientiam, prudentiam, probitatem, & iurisdictionem iuxta laudabilem traditionē; & consvetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Doctrinam Toleti, & aliorum Summistarum de Sacramentis.

38. Q. Quid requiratur, ut Minister Sacramentorum dignè perficiat Sacramentum.

℟. Requiritur, ut ipse Minister prudenter existimet se esse in gratia, & non habere conscientiam peccati mortalis, quod quidem verificatur præcipuè in Ministro, qui ex officio; & peculiari consecratione perficit aliquod Sacramentum.

39. Q. Quid facere debeat Minister Sacramentorum, ut data occasione dignè perficiat aliquod Sacramentum si sciat se esse in peccato mortali, & adsit casus, in quo confiteri nō teneatur, ut quando non habet copiam confessarij, aut alius adest casus non confitendi.

℟. Tenetur habere contritionem de peccato mortali, & confiteri tempore opportuno post administrationem ipsius Sacramenti, sed post Missam quàm primùm.

40. Q. Quid requiratur ad habendam cōtritionem de peccato mortali.

℞. Tria requiruntur ad habendam ipsam contritionem: Primum est dolor de peccato commisso. Secundum est propositum de non ampliùs committendo peccato. Tertium est quòd ipse dolor, & idem propositum sint ex motivo amoris Dei, scilicet quatenus peccatum est, & offensa ipsius Dei; & secundùm Navarrum sufficeret dolor de non habendo dolorem perfectum.

41. Q. An occultè excommunicatus peccet, & fiat irregularis, si urgeat necessitas celebrandi, vel administrandi aliis Sacramenta; & ideo sine confessione, sed cum sola contritione celebret.

℞. Nequaquam, quia ad irregularitatem requiritur temeritas, quæ in hoc casu non datur.

42. Q. An minister melior conferat maiorem gratiam suscipienti Sacramenta.

℞. Nequaquam, nisi quatenus est aptior ut actius excitet suscepturos Sacramenta ad ea suscipienda cum maiori devotione.

43 Q. An Sacerdos sine potestate iurisdictionis possit administrare Sacramenta.

℞. Potest in articulo mortis, & præsertim Baptismum, & Pœnitentiam.

44. Q. Quis sit articulus mortis.

℞. Et quando mors de proximo instat sive naturaliter, sive violenter, qui quidem articu-

lus

lus mortis differt à periculo mortis propriè loquendo.

45. Q. An Minister sciens se esse in peccato mortali; & non habens contritionem, & tamen adhibens omnia necessaria ad aliquod Sacramentum, perficiat validè ipsum Sacramentum.

℟. Perficit validè ipsum Sacramentum; quia existere in gratia non est necessarium ad validitatem Sacramenti.

46. Q. Quale peccatum sit conficere Sacramentum in peccato mortali.

℟. Est sacrilegium, quia est circa rem sacram; quia omne Sacramentum est res sacra.

47. Q. quot sint necessaria ad Sacramenti novæ Legis validitatem.

℟. Quatuor, scilicet materia, forma, Minister, huiusque intentio conficiendi Sacramentum.

48. Quæritur, quid sit intentio.

℟. Est actus voluntatis circa finem.

49. Q. quotuplex possit esse intentio Ministri.

℟. Triplex, videlicet actualis, virtualis, & habitualis.

Actualis intentio duplex est, alia directa, & exercita; alia reflexa, & veluti signata: Actualis intentio directa est, quando aliquis verè, & explicitè habet voluntatem faciendi

id, quod facit, sed non advertit per alium actum reflexum se habere talem voluntatem; actualis autem intentio reflexa est, quando quis advertit, & cognoscit clariùs se habere talem voluntatem.

Virtualis intentio est, quando aliquis habuit jam dictam directam actualem intentionem faciendi aliquid, & postea habuit distractiones, aut cogitationes varias, & facit illud, quod priùs facere volebat, quam voluntatem modò non habet; sed per contrariam volitionem, aut voluntatem non retractavit, & non retractat; seu non mutavit, & non mutat; & ideò illa prior intentio, quæ fuit actualis, habet vim, seu virtutē, & hinc dicitur virtualis.

Habitualis autem intentio est, quando aliquis non habet actualem, neque virtualem intentionem faciendi aliquid, & illud facit retinendo habitualem qualitatem, idest habitum illud faciendi, quem habitum acquisivit ex frequentatis actibus in illo faciendo.

Adverte autem inferiûs proximè, non omnem intentionem supradictam sufficere in conficiendis Sacramentis.

50. Q. An ad perficiendum Sacramentum sufficiat quælibet intentio supradicta.

℞. Ad perficiendum Sacramentum necessaria est intentio vel actualis, vel virtualis faciendi quod facit Ecclesia, non autem habitualis,

tualis, quæ habitualis intentio etiam manet in dormiente, & in amente.

51. Q. An intentio differat ab attentione.

℟. Differt, quia intentio est actus voluntatis circa finem, ut dictum est, & attentio est actus intellectus, secundum quem homo considerat ea, quæ facit.

52. Q. quod sint seu novæ Legis Sacramenta.

℟. Septem; scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio. Ordo, & Matrimonium.

53. Q. An Sacramenta novæ Legis ob aliquam rationem supradicto Ordine disposita sint.

Sive quæritur, an Sacramenta novæ Legis ad quædam ordinentur.

℟. Maximè, quia ordinata sunt contra animæ defectus, quorum primus est culpa orginalis, contra quam institutus est Baptismus. Secundus est pronitas ad malum, quæ diminuta est propter ipsum Baptismum, contra quam est Confirmatio instituta. Tertius est amissio spiritualium bonorum, contra quam adest Eucharistia. Quartus est lapsus in actuale peccatum, quod Pœnitentia delet. Quintus sunt reliquiæ peccatorum, contra quas Extrema Vnctio ponitur. Sextus sunt communes defectus spirituales, contra quos est

Ordo, qui respicit spiritualem generationem. Et septimus sunt communes defectus corporales, qui cum culpa coniunguntur; contra quos est Matrimonium, quod respicit generationem corporalem.

54. Q. An eadem novæ Legis Sacramenta sint tredecim, cùm Ordinis Sacramentum dividatur in quatuor Ordines minores, & tres maiores seu sacros, & singuli sint Sacramenta, iuxta sententiam communem, & probabiliorem; & ideò videntur esse tredecim.

℟. Minimè: quia omnes Ordines sunt unum Sacramentum totale, & perfectum; quilibet Ordo est Sacramentum secundùm partem, id est partiale; sive quia singuli Ordines sunt Sacramenta non disiunctivè alter ab altero, sed inclusiuè, seu coniunctivè, scilicet quatuor minores cum duobus sacris perfectê in Sacerdotio, quod est vnum Sacramentum perfectum.

55. Q. quomodo eadem Sacramenta novæ Legis differant inter se.

℟. Differunt inter se, quia aliqua ipsorum præter gratiam iustificantem, quam conferunt, seu tribuunt, imprimunt characterem, & non possunt iterari, ut sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo; alia verò conferunt solùm gratiam, & iterari possunt: differunt etiam, quia quædam tribuunt primam gratiam,

am, quæ est iustificatio peccatoris, ut Baptismus, & Pœnitentia; & ideò vocantur Sacramenta mortuorum, quatenus hominem mortuum peccato, reviviscere faciunt ad gratiam iustificantem, seu sanctificantem. Cætera autē Sacramenta conferunt gratiæ augmentum, & vocantur Sacramenta vivorum.

56. Q. In quo consistat ipsum gratiæ augmentum.

℟. Consistit in hoc, quòd aliquis per susceptionem Sacramenti ratione maioris dispositionis supernaturalis plus actibus gratiæ valde magis proficit in virtutibus Theologicis; quæ sunt Fides, Spes, & Charitas, quia ad ipsas magis inflammatur, & alacriùs in illis se exercet. Adverte etiam augmentum gratiæ dari per collationem novi doni supernaturalis extra Sacramenta, sed cùm proposito recipiendi eadem Sacramenta.

57. Q. Quod Sacramentum sit dignissimum, seu maximum omnium Sacramentorū.

℟. Eucharistia, seu Sanctissimum Sacramentum, cùm contineat Iesum Christum donatorem omnium gratiarum.

58. Q. Cur Sanctæ Ecclesiæ Sacramenta sint septem.

℟. Quia quinque prima pertinent ad perfectionem particularem uniuscuiusque per quamdam analogiam ad vitam corporalem,

duo verò vltima ad perfectionem Ecclesiæ
nam circa vitam corporalem homo indig-
primò generatione, & natiuitate, cui in vi-
spirituali correspondet Baptismus: Secund-
indiget augmento necessario, cui correspon-
det Confirmatio: Tertiò indiget nutrimen-
to, cui correspondet Eucharistia: Quartò in-
diget medicina post morbum, cui correspon-
det Pœnitentia: Quintò indiget aliquo adiu-
torio ad tollendas reliquias morbi, cui corre-
spondet Extrema Vnctio. Et quia Ecclesia
quæ est congregatio Fidelium, indiget pro-
pagatione, seu multiplicatione spirituali,
corporali, ideò circa propagationem spiritua-
lem est Sacramentum Ordinis; circa ver-
propagationem corporalem est Matrimoni-
Sacramentum.

59. Q. An sit de fide Sacramenta nov-
Legis esse illa septem. Baptismum, Confirma-
tionem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extre-
mam Vnctionem, Ordinem, & Matrimoni-

℟ Maximè. iuxta Concilium Tridentinum

60. Q. An ipsa septem Sacramenta impri-
mant characterem.

℟. Non omnia, sed tria tantùm imprimun-
characterem, videlicet Baptismus, Confirma-
tio, & Ordo.

61. Q. An ipsa tria Sacramenta Bapti-
mus, Confirmatio, & Ordo possint iterari.

Respon-

℟. Non possunt iterari.
62. Q. quare non possint iterari.
℟. Quia imprimunt characterem.
63. Q. Quid sit character Sacramenti Ordinis.
℟. Est signum quoddam spirituale, & indelebile à Deo animæ impressum, dum suscipitur aliquis Ordo.
64. Q. An character possit deleri de potentia Dei absoluta.
℟. Character de potentia Dei ordinaria non potest deleri, sed de potentia Dei absoluta deleri potest, cùm etiam ipsa creatura rationalis annihilari possit, loquendo de ipsa Dei potentia absoluta.
65. Q. An character recipi possit sine gratia, & gratia recipi possit sine charactere.
℟. Character sine gratia recipi potest, quando aliquis ordinatur, dum est in peccato mortali, quia gratia nullo modo stare potest cum peccato mortali, sed cum hoc charactere stare potest; at dum quis in gratia ordinatur, ipse sine charactere non potest recipere gratiam, idest gratiæ augmentum, quia ei, qui in gratia ordinatur, confertur gratia, idest gratiæ augmentum ab ipso Ordinis Sacramento ex opere operato.
66. Q. Quotuplex sit character Sacramentorum.

℟. Triplex. Primus est Baptiſmi, per qu homo eſt aptus ad recipienda alia Sacramen ta; & ideò ipſe Baptiſmus vocatur ianua o mnium Sacramentorum: Secundus eſt cha racter Confirmationis, per quem homo fi aptus ad eliciendos actus virtutis, & præci puè fidei actus: Tertius eſt character Ordi dinis, quo ipſe homo deputatur ad actione hierarchicas, quæ conſiſtunt in adminiſtran dis Sacramentis.

67. Q. Quis ſit capax characteris.

℟. Omnis homo tam maſculus, quàm fœ mina capax eſt characteris Baptiſmi, & Con firmationis, ſed ſolus homo maſculus Bapti zatus, & Confirmatus, non fœmina, nequ hermaphroditus eſt capax Sacramenti Ordi nis. Vide quæſitum 110.

68. Q. Vnde colligatur characterē dat

℟. Hoc colligitur ab auctoritate S. Ec cleſiæ.

69. Q. An character Sacramenti ſit qu litas naturalis.

℟. Non eſt qualitas naturalis, ſed eſt qu litas ſpiritualis; & ideò non pertinet propri ad ullam ſpeciem qualitatis naturalis, ſed im propriè ad aliquam talem ſpeciem dicitu pertinere, hincque probabiliter aliqui ipſun characterem reducunt ad habitum, & diſpo ſitionem; alij ad potentiam, & alij ad figu

ram;

ram; reducunt ad habitum, quia ſicut ipſe character eſt indelebilis, ita & habitus quodammodò indelebilis eſt, & quatenus fixus, & immobilis exiſtit; reducunt ad diſpoſitionem amplè ſumptam, quatenus benè afficit ſubiectum; reducunt ad potentiam, quia homo poſt acceptum characterem poteſt aliquid plus, quàm poterat ante: reducunt ad figuram, quia per characterem configuramur Chriſto; hæc autem impropriè, & metaphoricè dicuntur.

70. Q. In quo character collocetur tam, quam in ſubiecto.

℞. Secundùm D. Thomam, Toletum, Henriquez, & alios collocatur in intellectu, ſed ſecundùm Marſilium, Gabrielem, & Suarez collocatur in ſubſtantia animæ rationalis, & hæ duæ ſunt probabiles opiniones.

71. Q. An in ſingulis Ordinibus ſint diſtincti characteres.

℞. Maximè: ſed advertendum eſt, quòd in Ordinibus, in quibus dantur plures poteſtates, ut fit in Ordinibus ſacris, & in Acolytatu, quando impreſſo charactere, confertur alia poteſtas, per alias cæremonias non imprimitur novus character, ſed extenditur, vel perficitur prior ante impreſſus.

72. Q. An character unius Ordinis ſupponat characterem alterius Ordinis.

 ℞. Chara-

℟. Characteres omnium Ordinum ſupponunt characterem Baptiſmi neceſſitate Sacramenti; ſed character vnius Ordinis non ſupponit characterem alterius Ordinis neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate Eccleſiaſtici præcepti. Et eſt advertendum tenentes Epiſcopalem characterem, ſupponere characterem Sacerdotalem neceſſitate Sacramenti; & conſequenter Epiſcopatum à Sacerdotio non eſſe diſtinctum, concomitanter tenere Epiſcopatum non poſſe conferri illi, qui non eſt Sacerdos, & infanti; ſed tenentes Epiſcopalem characterem non ſupponere characterem Sacerdotalem; & conſequenter Epiſcopatum à Sacerdotio non eſſe diſtinctum, concomitantur tenere Epiſcopatum poſſe conferri non Sacerdoti, etiam Laico, & infanti, quibus tamen propter ſcandalum non licet exercere ipſum Epiſcopatum. Adverte etiam Toletum dicere opinionem aſſerentem Epiſcopatum nó eſſe à Sacerdotio diſtinctum, & opinionem hoc negantem eſſe opinionem probabilem, & ideò dato caſu, quòd Laicus, ſive infans, ſive alius, qui non eſt Sacerdos, ordinaretur Ordine Epiſcopatus, eſſet iterum ordinandus ſub conditione priùs accipiendo Sacerdotium, & poſtea Epiſcopatum.

73. Q. An ſit de fide imprimi characterem per ſacram Ordinationem.

℟. Est de fide, ut Andreas Victorellus advertit, qui circa hoc præcisè dicit, Concil. dicit sacram Ordinationem, non sacros Ordines, volens dicere hoc esse verum quoad Ordinationem Ordinis cuiuscunque.

74. Q. Quale peccatum committat ille, qui iterat Baptismum, Cofirmationem, & Ordines supradictos.

℟. Committit Sacrilegij peccatum, cùm sint res sacræ ipsa Sacramenta.

75. Q. An Baptizatus, Confirmatus, & Ordinatus, si moriatur, & postea resurgat, sit iterum Baptizandus, Confirmandus, & Ordinandus.

℟. Non est iterum Baptizandus, Confirmandus, & Ordinandus; quia in anima character indelebilis fuit impressus, dum Baptizatus, Confirmatus, & Ordinatus fuit.

76. Q. Quando imprimatur character.

℟. Quando Episcopus porrigit materiam, & simul pronunciat formam.

77. Q. Quæ sint illa Sacramenta, quæ possunt iterari.

℟. Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, & Matrimonium.

78. Q. Quare Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, & Matrimoniũ possint iterari.

℟. Quia non imprimunt characterem.

79. Q. Quis sit capax Sacramentorum.

℟. Solus homo Viator.

80. Q. Quid nomine viatoris intelligatur

℟. Viator intelligitur ille, qui nondum pervenit ad æternam felicitatem, ad quam tamen, Deo auxiliante, ac bonis operibus mediantibus, pervenire aptus est.

81 Q. An Angeli, & Beati Sacramenta suscipere possint.

℟. Nequaquam, quia sunt creaturæ spirituales, quibus non competunt Sacramenta nostra, cùm in rebus materialibus, & sensibilibus consistat.

Et, si quis contradicat, dicendo, quòd in Psalmo 77. dicitur (Panem Angelorum manducavit homo) qui panis in ipso Psalmo interpretari potest Sanctissimum Sacramentum, & dicat, concludi debere, Angelos esse Sacramenti capaces.

℟. Quòd ibi panis Angelorum intelligitur manna; non quia ipsi Angeli talem cibum comedant, cùm nullo indigeat cibo materiali; sed quia ipsorum ministerio in cœlo aereo talis cibus formabatur, iuxta expositionem Lyrani.

82. Q. Qualis debeat esse Susceptor Sacramentorum.

℟. Debet esse usurationis præditus (non tamen Baptismi susceptione, cùm etiam infantes baptizentur) debet etiam habere debitam

bitam saltem virtualem intentionem suscipiendi Sacramenta, & debet esse sine peccato, censura, & fictione, & (si fieri potest) devotione, orationibus, & ieiunio præmunitus.

83. Q. Quanta ætas requiratur ad usum rationis.

℞. Regulariter ætas septem annorum quãdoque parùm minus, & hoc rarò evenit, & quandoque parùm plus, & id sepè occurrit; sed hoc relinquitur iudicio Ministri prudentis, qui ut id rectè iudicet, considerare, & observare debet responsiones, & actiones ipsius parvæ ætatis.

84. Q. An Sacramenta cum fictione, id est sine suscipientis convenienti dispositione accepta conferant gratiam, postquam fictio recesserit.

℞. Omnia Sacramenta, excepto Pœnitẽtiæ Sacramento, cum fictione accepta, recedente fictione, conferunt gratiam, dummodò serventur substantia ipsorum Sacramentorum; sed adverte circa Sanctissimam Eucharistiam, quòd ipsa, postquam fictio sublata est, gratiam confert, nisi species, seu accidẽtia ipsius consumptæ fuerint; & idem fit ab Extrema Unctione, sublata fictione, dummodò eadem infirmitas duret; & etiam Matrimonium, ablata fictione, confert gratiam, dummodò coniuges in vita ambo maneant,

& nulla

& nulla etiam difficultas est de Sacramentis characterem imprimentibus, Baptismo, Confirmatio, & Ordine; quia in sua manet virtute.

85. Q. An quis teneatur petere Sacramenta a Ministro, ut validè suscipiat eadem Sacramanta.

℟. Tenetur petere explicitè Sacramentum Pœnitentiæ, cùm actus pœnitentis sint pars huius Sacramenti; alia verò Sacramenta tenetur petere implicitè, & hoc modo censetur petere, si catholicè vivere solitus sit; ideò morienti debet administrari Sacramentum Extremæ Vnctionis, nisi certò sciatur amisisse usum rationis in actu peccandi usum rationis amisisset, censeretur esse in peccato mortali. Et adverte, regulariter adhibendam esse diligentiam, ut non petantur Ministri, ut administrent Sacramenta, si aliqua censura, aut irregularitate sint maculati: quia præter alia incōvenientia, ipsi ad peccandū inducuntur.

86 Q. An sit licitum petere Sacramenta à Sacerdote publicè concubinario, & liceat audire Missam illius.

℟. Suarez q. 65. art. 9. disp. 18. lect. 1. asserit, quòd licèt antiquitùs hæc prohibita fuerint, nunc tamen probabilius arbitratur, hanc prohibitionem sublatam fuisse ex vi Decreti Constantiensis; & circa hoc Valentia subdit, quòd hoc maximè verum est in locis, in quibus

in quibus plurimi tales concubinarij reperiuntur, & huic non obstat contrarium assertum à Nauarro: quia hoc verum non est, nisi secundùm iuris antiqui rigorem, quod nunc ut dictum est, sublatum fuit.

87 Q. An quis cognoscens aliquem Ministrum concubinárium sedentem ad audiendas confessiones, possit eligere licité ipsum in Confessarium, relictis alijs Confessarijs sic sedentibus, qui pro bonis habentur.

℞. Maximè immò ipsum eligere debet, si doctior alijs sit ad regulandum meliùs ipsum pœnitentem, dummodò non sit tam publicus peccator, vt præsentes scandalizentur; & hoc asseritur à Soto 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 6

88 Q. An ille, qui petit Sacramenta, teneatur scire, si Minister sit benè dispositus.

℞. Non tenetur scire, neque etiam tenetur quærere id ab alijs, sed satis est non constare ipsum esse malè dispositum, & administraturum Sacramenta cum ipsa mala dispositione; ita asseritur iuxta probabilissimam opinionem Suarez.

89 Q. An ille, qui in articulo mortis confitetur non Parocho, si superueniat proprius Parochus, teneatur relinquere priorem illum Confessarium, & confiteri eidem proprio Parocho.

℞. Se-

℟. Secundùm probabiliorem, & verissim opinionem non tenetur, quia simplex Sacer dos in articulo mortis absoluit iure Diuino vel quia habet iurisdictionem à Papa, ex Ec clesiæ institutione.

90. Q. Quid sit Ecclesiasticus Ordo.

℟. Ordo Ecclesiasticus est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potesta traditur ordinato.

91. Q. An ipse Ordo differat ab Ordinati one.

℟. Differt, quia Ordo definitur ut supr proximè; Ordinatio verò definitur hoc mo do: Ordinatio est signum sensibile sacrum quod consistit in porrectione certæ materi cum quadam verborum prolatione, quæ for ma vocatur, significans gratiam & potesta tem perpetuam faciendi aliquid circa corpu Christi verum, quod est Sanctissima Euchari stia, in ordine ad Corpus Christi mysticum quod est Ecclesia, quæ est Congregatio fideli um Christianorum existentium in Christi vni tate.

92 Q. Cur Ordo dicatur signaculum, non signum.

℟. Dicitur signaculum, quia secundùm O rigenem signaculum propriè dicitur illud quod significat alicuius rei custodiam, quam nemo alius, nisi ille, qui signaculum impressi

tollere

tollere poteſt, & ſic ſignificat characterem indelebilem impreſſum in anima Ordinati.

93 Q. Quare homo baptizatus, qui habet characterem Baptiſmi, poſſit accipere Ordinem Eccleſiaſticum, cùm character non ſit repetendus, quia ipſius virtute ipſe Baptiſmus non poteſt iterari; & tamen character repetitur in eo, qui ordinatur aliquo Ordine Eccleſiaſtico poſt ſuſceptum Baptiſmum.

℞. Quòd quando baptizatus ordinatur aliquo Ordine Eccleſiaſtico, non repetitur character Baptiſmi, ſed oritur character Ordinis in ipſo Ordinato, & datur etiam alius character, qui eſt character Confirmationis, & ſic dantur tres characteres, vnus Baptiſmi, alter Confirmationis, & tertius Ordinis, & ſunt ſpecie differentes, & ſic nullum eſt inconveniens dari homines habentes tres characteres, cùm ipſi characteres ſint ſpecie differentes.

94 Q. Cur in Baptiſmi Sacramento, quando definitur, non ponatur ſignaculum in definitione ipſius, ſicut ponitur in definitione Ordinis, cùm character imprimatur in vtroque.

℞. Quia in Baptiſmo principalis effectus non eſt character, ſicut eſt in Ordine; ſed ablutio animæ, per quam ablutionem tollitur macula peccati originalis, hincque Baptiſmus per ablutionem, & Ordo per ſignaculum definitur.

95 Q. Cur in definitione Ordinis dicatu in quo traditur spiritualis potestas, & no potentia.

℟. Quia in ipso Ordine traditur potent activa significata per hoc nomen potestas, non passiva: quia potentia, iuxta sententia D. Thomæ, est communis ad potentiam act vam, & passivam; potestas verò dicitur de s la potentia actiua.

96 Q. Quare Ordo Ecclesiasticus dicatu Ordo.

℟. Quia per illum in gradu, quodam, certo Ordine Ecclesiastico homo locum tene

97 Q. An mens Conciliorum fuerit stat ere omnia necessaria Sacramento Ordinis, alijs Sacramentis.

℟. Minimè; sed mens eorum fuit statue aliqua necessaria Sacramentis pro illoru temporum necessitate, & Ecclesiæ vtilitat non tamen negaverunt illa necessaria, quæ Christo Domino generaliter instituta sunt, ab Ecclesia nostris temporibus particularite statuta fuerunt, & vsu sunt recepta, ut pat apertissimè de varijs Ordinum materijs: hoc notat Martinus Fornarius de Sacramen to Ordinis, c. 2.

98 Q. An sit de fide Ordines esse in San cta Ecclesia Romana.

℟. Maximè: & hoc est secundùm comm

nem

nem sententiam Doctorum Theologorum.
99. Q. An sit de fide Ordinem Ecclesiæ esse Sacramentum.
℟. Maximè.
100. Q. Quis instituerit Ordinis Sacramentum.
℟. Christus Dominus, quando in die Cœnæ, postquam communicavit Apostolos, dixit eis: Hoc facite in meam commemorationem.
101. Q. Quotuplex sit institutio Sacramenti Ordinis, sive quotuplex sit actio in tradendo toto Ordinis Sacramento.
℟. Septuplex, sicut septem sunt Ordines, quia quilibet Ordo constituitur per propriam materiam, & per propriam formam.
102. Q. Quare Ordinis Sacramentum sit institutum.
℟. Ipsum Ordinis Sacramentum est institutum primariò ad communem utilitatem Ecclesiæ, nempe ad spiritualem generationem; sicut Matrimonium fuit institutum ad propagationem naturalem: secundariò verò ipsum Ordinis Sacramentum institutum fuit ad perfectionem propriam illius, qui suscipit illud.
103. Q. Quod sint Ordines propriè dicti.
℟. Septem, quorum quatuor sunt minores, & sunt Ostiariatus, Lectoratus, Exorci-
 status,

ſtatus, & Acolytatus; & tres ſunt maiore qui ſunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Pr ſbyteratus.

104. Q. Quare Oſtiariatus, Lectoratu Exorciſtatus, & Acolytatus, dicantur Ord nes minores, & Subdiaconatus, Diaconatu & Preſbyteratus dicantur Ordines maiore

℟. Quia Oſtiarij, Lectores, Exorciſtæ, Acolyti minorem habent functionem Sacri cio Miſſæ, quàm Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri: quia iſti tres propiùs accedunt miniſterio Altaris, & tenentur obſervare ſ lemne votum caſtitatis, & recitare Officiu Divinum

AD PRIMAM TONSVRA

105. Q. An prima Tonſura, & Cantorat ſint inter Ordines numerandi.

℟. Poſſunt dici Ordines impropriè dicti

106 Q. Quid ſit prima Tonſura.

℟. Prima Tonſura non eſt Ordo prop dictus, ſed diſpoſitio ad Ordines ſuſcipie dos, & conſiſtit in circulo quodam in verti capitis poſito, per amputationem capilloru ad imitationem coronæ ſpineæ Domini; q quidem circulo Clerici à ſæcularibus laicis ſtinguuntur.

107. Q. Quis primus in Lege nova To ſuram habuerit.

℟. Primus fuit S. Petrus Apoſtolus.

108. Q. An aliquis appellaverit Tonsuram nomine characteris.

℟. Sixtum Quintum appellasse Tonsuram nomine characteris, accipiendo characterem communiter, non propriè; & ideò ex hoc nõ esse inferendum, & concludendum, ipsam Tonsuram esse Ordinem; tamen concedi potest, Tonsuram esse Ordinem impropriè dictũ.

109. Q. An hæc corona posita in vertice capitis deferatur æqualiter ab omnibus Ordinatis.

℟. Minimè: sed qui maiorem habent dignitatem in Ecclesia: vel qui maiorem contemptum mundi profitentur, maioris amplitudinis eam deferunt.

110. Q. An initiandus prima Tonsura debeat esse confirmatus Sacramento Confirmationis.

℟. Maximè, non necessitate eiusdem Tonsuræ, sed necessitate præcepti.

111. Q. Quomodo ab Episcopo conferatur prima Tonsura.

℟. Confertur abscindendo capillos illius, qui initiandus est prima Tonsura, Episcopo in persona Tonsurati dicente: Dominus pars hæreditatis meæ, &c.

112. Q. An verba supradicta proximè, scilicet: Dominus pars hæreditatis meæ, &c. sint de essentia in conferenda ipsa Tonsura.

℟. Non sunt de essentia, & ideò sine ipsis verbis esset valida ipsa Tonsura, quia cùm non sit Ordo, non habet materiam, & formam essentialem. Ita Sotus, & alij multi dicunt expressè.

113. Q. Quid significet illa amputatio capillorum in conferenda prima Tonsura.

℟. Significat rerum temporalium contemptum, quia res temporales sunt contemnendæ à Tonsuratis, ut contemnuntur capilli quatenus vanitatem præseferunt.

114. Q. Quis sit capax primæ Tonsuræ.

℟. Solus homo masculus baptizatus, & confirmatus, de quo Episcopus debet habere fidem certam à parocho, vel à Patrinis: infidelis autem, & fœmina non sunt capaces primæ Tonsuræ.

115. Q. An quando Monialibus præciduntur capilli, ipsa capillorum præcisio possit vocari Tonsura directa ad Ordines suscipiendos.

℟. Nequaquam, quia non fit ab Episcopo, & cum ipsius Episcopi benedictione, sed fit ab earum Abbatissa in signum contemptus rerum sæcularium & etiam perfectæ humilitatis Christianæ.

116. Q. Quæ sint privilegia Ecclesiastica quibus gaudent illi, qui sunt initiati prima Tonsura.

℟. Sunt hæc quatuor. Primum est, quod subditi

subditi sunt soli Iudici Ecclesiastico: Secundum est, quòd à gabellis, taleis, & pedagijs sunt immunes; Tertium est, quòd gaudent illo Canone, Si quis suadente diabolo, in Clericum violentas manus iniecerit, &c. Quartum est, quòd sunt capaces beneficiorum Ecclesiasticorum.

117. Q. An omnes Clerici Ordinati quocumque Ordine Ecclesiastico privilegio Canonis, & fori, & alijs privilegijs gaudeant supradictis.

R. Maximè; & tali nomine Clericorum intelliguntur etiam Tonsurati, & utique prima Tonsura sufficit ad constituendum hominem Clericum, licet ipsa Tonsura non sit Ordo, neque Sacramentum. Sed adverte, quòd iuxta Concil. Trident. Sess. 23. cap. 6. de ref. Ordinati prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus gaudent ipsis privilegijs, si habeant Ecclesiasticum beneficium, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniversitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versentur.

Et quoad Clericos coniugatos Concilium Trident. ead. Sess. 23. cap. 6. de ref. dicit, quòd servetur Constitutio Bonifacij VIII. quæ

incipit: Clerici, qui cum unicis; modò hi Clerici alicuius Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Clericali habitu, & Tonsura utantur.

118. Q. Quam pœnam incurrat ille, qui percutit habentem primam Tonsuram.

℞. Incurrit excommunicationem maiorem, si illum percutiat suadente diabolo, id est cum peccato mortali: & si ipse Clericus percussus Ecclesiasticum beneficium habeat, aut alias circumstantias habeat supradictas in responsione ad quæsitum proximè supra positum. Et Turrecremata ait, quòd Clericus si reliquisset habitum tertiò admonitus, & non correctus, vel scurram & macellarium agens etiam minori tempore, quam per annum, & admonitus non resipiscat, caret privilegio Canonis, si quis suadente diabolo, &c. ita vt ille qui percutit ipsum Clericum non incurrat excommunicationem.

119. Q. An habens solùm primam Tonsuram incurrat irregularitatem, si aliquid sui officij faciat, existens in excommunicatione maiori.

℞. Non incurrit irregularitatem, quia ipsa prima Tonsura non habet sibi annexum aliquod officium Ecclesiasticum solemniter exercendum.

120. Q. An irregularitas accedens ad Tonſuram, & eā recipiens peccet mortaliter.

℞. Maximè: quia irregularitas eſt Canonicum impedimentum non ſolùm ad Ordines ſuſcipiendos, verùm etiam ad recipiendam diſpoſitionem ad eoſdem; & ideò ipſamet irregularitas eſt Canonicum impedimentum ad primam Tonſuram, cùm ipſa prima Tonſura ſit diſpoſitio ad Ordines recipiendos.

121. Q. An ſuſcipientes primam Tonſuram, & minores Ordines animo non miniſtrandi in illis, ſed tantùm Clericalibus privilegiis utendi, committant peccatum mortale, cùm Concilium Tridentinum velit adeſſe animum miniſtrandi.

℞. Committunt tantùm veniale peccatum, quia ipſum Concilium Tridentinum non præcipit, ſed iudicat quid ſtatus illius decentia requirat; ſed peccaret mortaliter, ſi ordinari vellet ad finem mortaliter peccandi.

122. Q. An prima Tonſura imprimat characterem.

℞. Non imprimit characterem, quia non eſt Ordinis Sacramentum, ſed diſpoſitio ad ſuſcipiendum ipſum Ordinis Sacramentum, ut dictum eſt ſupra.

123. Q. Quæ ætas requiratur in initiando prima Tonſura.

℞. Ætas ſeptem annorum.

124. Q. An Episcopus pœnam aliquàm incurrat, si alicui conferat primam Tonsuram ante septennium completum.

℟. Incurrit suspensionem per annum à collatione primæ Tonsuræ: sed nota ipsum Episcopum incurrere talem suspensionem, nisi initiatus eadem prima Tonsura ingrediatur Religionem.

125. Q. Quæ sint scienda ab Ordinandis prima Tonsura.

℟. Ab eis sunt scienda prima Fidei rudimenta, legere, & scribere, & est decentia, ut habeant intentionem serviendi Deo in Ecclesiasticis ministerijs, ut dictum est supra.

126. Q. Quis possit conferre Tonsuram.

℟. Episcopus, & Abbates mitrati respectu suorum subditorum; alij etiam ex privilegio vel commissione Papæ.

127. Q. Vbi, & quando quis Tonsura initiari possit.

℟. In omni loco, & omni tempore: sed ordinariè quatuor temporibus anni, quando conferuntur Ordines minores, & Sacri Ordines. Et adverte Episcopos posse conferre ipsam primam Tonsuram extra Diœcesim, & Ecclesiam sine licentia alicuius: sed sic, non posse conferre Ordines minores, & maiores.

128. Q. Quis sit habitus Clerici, primam Tonsuram habentis.

℞. Veſtis talaris. nigri coloris, cum birreto Crucem habente in capite poſito, & ſuperpelliceo albo, & mundo, quo ab Epiſcopo conferente Tonſuram induitur, quod quidem ſuperpelliceum dicitur, quia tempore antiquo ipſum ponebatur ſuper tunicas pelliceas animalium mortuorum, & ſignificat munditiem caſtitatis, & virtutem charitatis, quibus præditi ſunt probi tonſurati, & Ordinibus initiati.

129. Q. An ille, qui ſuſcipit Ordines ſine prima Tonſura, ſit propriè Ordinatus.

℞. Maximè: ſed remanet ſuſpenſus uſque ad beneplacitum Epiſcopi, & ſi malitiosè hoc feciſſet, peccaret mortaliter; ſic ille, qui initiaretur Ordine Lectoratus ante Oſtiariatum, eſſet Ordinatus, tamen remaneret ſuſpenſus uſque ad beneplacitum Epiſcopi. Et nota ipſam primam Tonſuram eſſe neceſſariam ad accipiendos Ordines non neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate præcepti.

130. Q. An ſupradictus, qui eſt propriè, & conſequenter validè Ordinatus ſine Prima Tonſura, teneatur ad ipſam ſuſcipiendam primam Tonſuram.

℞. Nequaquam, quia per actum Miniſtri conferentis Primum Ordinem ſufficienter diſpoſitus fuit ad Ordinem eundem, & ad alios Ordines; & ſic Prima Tonſura, quæ eſt diſpo-

sitio ad Ordines suscipiendos, non necessari in hoc casu rectè censetur; & hinc ipse Ordinarius non tenetur ad eandem suscipiendam.

131. Q. Quomodo Prima Tonsura initiatus rectè vocetur Clericus.

℞. Recte vocatur Clericus Ecclesiasticus, & infimus Minister, ut communiter in praxi vocatur.

132. Q. An Episcopatus sit Ordo distinctus ab ipsis septem Ordinibus supradictis.

℞. Episcopatus secundùm communiorem sententiam non est totaliter novus Ordo, sed quidam gradus Sacerdotij, & veluti extensio ipsius, cum novæ potestatis additione.

133. Q. Cur plures sint Ordines in Ecclesia militanti.

℞. Ordines in Ecclesia militanti sunt plures propter tres rationes: Prima est, quia per plures Ordines Sapientia Dei commendatur magis, quæ maximè licet in rerum distinctione: Secunda est, quia mediantibus pluribus Ordinibus infirmitas humana magis adiuvatur, non enim unus Ordo omnia supplere potest: Tertia, quia per plures Ordines amplior fit via proficiendi; & hæc vera sunt iuxta doctrinam D. Tho. 4 dist. 24. q. 2. ar. 1.

134. Q. Cur Ordines sint tantum septem.

℞. Quia omnium Sacramentorum Auctor Christus Dominus suæ Ecclesiæ Regnum cō-

tra

tra omnem servitutem ab Adamo in prolis suæ damnum effectam ostendere voluit, mediantibus eisdem Ordinibus septem; quia ipsa servitus ab ipso Adamo introducta septuplex fuit. Prima fuit servitus peccati; Secunda ignorantiæ; Tertia dæmonis; Quarta inferni, Quinta carnis; Sexta timoris; Septima mortis contra servitutem peccati est Ostiariatus, quia per ipsum indigni expelluntur; contra servitutem ignorantiæ est Lectoratus, quia propter legendi facultatem, quam tribuit, ipsam ignorantiam servitutem tollit; contra servitutem dæmonis est Exorcistatus, quia contra ipsos dæmones exercetur, ipsosmet expellendo; contra servitutem Inferni, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, cùm sit teterrimus, & obscurissimus carcer, adest Acolytatus, quia propter suam potestatem ferendi luminaria, nos excitat ad fugiendas tenebras ipsius Inferni, mediantibus splendoribus virtutum; contra servitutem carnis est Subdiaconatus, quia ipsam carnem vincere facit propter votum castitatis; contra servitutem timoris est Diaconatus, cùm ipsum timorem expellat minimè Evangelium erubescendo; contra servitutem mortis est Sacerdotium; per ipsum enim nobis cibus vitæ præbetur, quo quidem vitæ cibo mors depellitur æterna, juxta Iesu Christi promissiones.

135. Q. Qualis sit divisio Ordinis in tot Ordines.

℟. Est divisio Analogi in sua Analogata; siquidem Analogum definitur sic: Analogum est quid commune habens suam potentiam multiplicatam in sua inferiora secundùm remissionem; talis autem est Ordo, qui in Presbyteratu maximam habet potestatem, in alijs verò Ordinibus habet potestatem maiorem, & minorem, quia eam habet in esse remisso, & propter hoc aliqui dicuntur minores, & non Sacri; alij veró dicuntur maiores, & Sacri.

Vel ℟. Ipsa divisio Ordinis in tot Ordines est divisio totius potestativi, cuius natura est, ut cuilibet parti adsit secundùm essentiam illius, licet non secundùm completam unitatem, cùm unitas completa in una sola parte principaliori reperiatur, quæ quidem pars principalior est Sacerdotium, seu Presbyteratus.

136. Q. An Diaconus ante Sacerdotium possit suscipere Episcopatum.

℟. Ante Sacerdotium Diaconus non potest suscipere Episcopatum, quia Ordo Sacerdotalis est de essentia Episcopatus.

137. Q. An Episcopatus à Sacerdotio differat.

℟. Secundùm Cardinalem Bellarminum

Epi-

Episcopatus cum Sacerdotio, est unus Ordo genere, sed ab ipso differt specie, & continet in sua essentia Presbyteratum quoad Ordinis potestatem.

138. Q. An Episcopalis Ordinatio sit verè, & propriè Sacramentum efficiens gratiam, & imprimens characterem.

℞. Maximè, secundùm Cardinalem Bellarminum; qui etiam dicit integrum characterem Episcopalem esse quid compositum ex charactere Sacerdotali, & Episcopali, Episcopum non constitui sine duobus Sacramentis, scilicet Sacerdotio, & Episcopatu.

139. Q. An Episcopatus sit à Christo Domino institutus.

℞. Secundùm Vasquez citantem graves Doctores Episcopatus à Christo Domino institutus fuit

140. Q. An in Ecclesia Catholica sit Hierarchia, idest Sacer Principatus, Divina Ordinatione instituta, quæ ex Episcopis Presbyteris, & Ministris constat.

℞. In ipsa Ecclesia Catholica adest ipsa Hierarchia, iuxta Concil. Tridentinum.

141. Q. Quæ sit materia & forma Episcopatus.

℞. Materia Episcopatus est manuum impositio facta à tribus Episcopis super caput viri Ordinandi in Episcopum. Forma verò sunt

illa

illa verba, quæ ab ipsis tribus Episcopis pro-
feruntur: Accipe Spiritum Sanctum. Ita
Vasqu. asserit maxima probabilitate

142. Q. An postquam alicui collatus est
Episcopatus, ipse teneatur suscipere conse-
crationem intra tempus determinatum.

℟. Maximè, quia iuxta Concil. Trid. te-
netur suscipere ipsam consecrationem intra
tres menses post collationem ipsius Episco-
patus.

143. Q. Quot Episcopi requirantur ad
consecrandum novum Episcopum.

℟. Tres ordinariè ad minimum, sed di-
spensante Summo Pontifice, vnus Episcopus
consecrans, cui adsint Abbates, qui infula,
quæ vulgo dicitur mitra, uti, & Episcopo-
rum vice fungi possint, sufficit ad ipsum Epi-
scopum consecrandum.

144. Q. An omnes Apostoli fuerint con-
secrati Episcopi à Christo Domino.

℟. Minimè. sed solus D. Petrus Episcopus
à Christo Domino consecratus fuit: & idem
D. Petrus plures Episcopali Ordinatione de-
coravit. Statutumq; de tribus Episcopis
consecrantibus Episcopum locum non habe-
bat initio nascentis Ecclesiæ propter Episco-
porum paucitatem.

145. Q. An Archiepiscopus ab omnibus
Provinciæ Episcopis consecrandus sit.

℟. Maximè. 146.

146. Q. Qui sint Episcopi Titulares.

℞. Illi, qui Ecclesiarum consistentium in regionibus infidelium sunt Episcopi, qui Christiano populo carent, & sedem permanentem non habent.

147. Q. Quot rationibus aliquis subditus Episcopo fieri possit.

℞. Tribus, scilicet ratione originis, si in illius Diœcesi sit natus; ratione domicilij, si natus sit in aliena Diœcesi, sed in ipsius Episcopi Diœcesi domicilium fixerit animo permanendi perpetuo ibidem; & ratione beneficij, quod in eiusdem Episcopi Diœcesi habet.

148. Q. An servus liberetur à conditione servili, si ordinetur Ordine Episcopatus, aut Presbyteratus.

℞. Maximè, si sciente, & non contradicente domino, tali Ordine ordinetur.

149. Q. Quid necessarium sit, ut coniugatus possit Episcopus, & Cardinalis fieri.

℞. Necessarium est, ut vxor illius in approbata Religione professionem emittat. Id asseritur à Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 41.

150. Q. Quæ spectent ad officium Episcoporum.

℞. Consecratio Basilicarum, Vnctio Altarium, &c. Consecratio Chrismatis, impositio manuum, idest administratio Confirmationis,

tionis, & Ordinis, communis populi benedictio, distributio beneficiorum Ecclesiasticorum, Benedictio Virginum, Prædicatio Evangelij ac defensio fidei Christianæ; ex quibus manifestum est, in ipsis Episcopis magnam scientiam, & virtutem requiri.

151. Q. Quid agendum, si Episcopus in ordinando incidat in syncopem, & deficiat.

℟. Supplendum est ab alio Episcopo, qui incipiet actionem Ordinandi, ubi ille dimisit eam, nisi fuerit aliqua cohærentia, seu connexio, ut quando fit unctio, & dicitur Oratio, quia in hoc casu utrumq; supplendum est, etiamsi alterum fuisset expletum, siquidem unctio est ut materia, & Oratio est ut forma.

152. Q. An Episcopus Divino iure superet simplicem Sacerdotem Ordinis potestate, & dignitate.

℟. Affirmativè.

153. Q. An omnes Ordines Ecclesiastici, nullo excluso, sint Sacramentum.

℟. Est magis consonum Sacris Concilijs & Doctrinæ Sanctorum Patrum, omnes ipsos Ordines esse Sacramentum.

154. Q. An omnes Ordines sint unum Sacramentum, vel plura Sacramenta.

℟. Omnes Ordines secundùm Durandum sunt vnum Sacramentum perfectione, qui ad Eucharistiam referuntur.

Vel respondetur, omnes Ordines secundum D. Thomam sunt vnum Sacramentum potentiale, quia tota plenitudo huius Sacramenti Ordinis est in Ordine Sacerdotij, quod potest omnia, quæ inferiores Ordines possunt; sed è contra, inferiores Ordines non possunt omnia, quæ Supremus Ordo, idest Sacerdotium potest.

Vel ℟. Omnes Ordines sunt vnum Sacramentum totale, & perfectum, & quilibet Ordo est Sacramentum secundùm partem, seu partiale.

155. Q. An differant à Sacramentalibus.

℟. Differunt quidem, quia Sacramentalia sunt actiones, vel circumstantiæ Religiosæ, quæ in Sacramentorum administratione, vel Sacrificio observantur, præter ea, quæ sunt de essentia Sacramentorum, & Sacrificij.

156. Q. An rectè dici possit omnes Ordines esse vnum Ordinem.

℟. Maximè, quia omnes Ordines sunt vnus Ordo vnitate attributionis, quia omnes ad Sacerdotium intendunt, cui quidem Sacerdotio attribuitur potentia aliorum Ordinum, quia, ut iam dictum est, idem Sacerdotium potest omnia, quæ Ordines inferiores possunt.

157. Q. An Ordines maiores, & minores imprimant characterem.

℟. Maximè,

Circa Characterem vide etiam q. 63. 64. &c. vsq; ad 76. inclusivè.

158 Q. Quando in aliquo Ordine traditur duplex materia cum duplici forma verborum, in qua traditione character imprimatur.

℟. Imprimitur vel in ultima traditione, vel in digniore; verò est, quæ propiùs accedit ad ministerium Sanctissimæ Eucharistiæ, ad quam omnia ordinantur; ideò in Acolytatu imprimitur character potiùs in traditione vrceoli, quàm candelabri; & in Subdiaconatu imprimitur character in porrectione, seu traditione Calicis magis, quàm in libri Epistolarum traditione.

159. Q. Quot, & qui sint effectus Sacramenti Ordinis.

℟. Duo, scilicet conferre gratiam animæ, & imprimere characterem in ipsa anima, dando suscipienti illud facultatem exercendi Ordinem receptum.

160 Q. Quot sint de substantia Sacramenti Ordinis.

℟. Sunt sex. Primum est potestas Ordinantis, qui debet esse Episcopus. Secundum est materia, & tactus illorum, quæ tangenda sunt. Tertium est forma verborum. Quartum est sexus virilis, quia mulier non recipit Ordinis characterem. Quintum est intentio debita

debita, ut Epiſcopus intendat conferre, & Clericus ſuſcipere Ordinem. Sextum eſt, quod Ordinandus ſit baptizatus, quia Baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorum Eccleſiaſticorum.

PRO OSTIARIATV.

161. Q. Quid hoc nomen Oſtiarius ſignificet, & quid ſit Oſtiariatus.

℟. Hoc nomen Oſtiarius ſignificat illum, qui habet Ordinem Oſtiariatus & ipſe Oſtiariatus eſt poteſtas, per quam Ordinatus in Oſtiarium poteſt recipere dignos, & excludere indignos ab Eccleſia.

162. Q. Qui ſint illi, qui ſunt indigni, quibus Oſtiarius debet claudere oſtium Eccleſiæ, à qua etiam eos excludere debeat.

℟. Sunt Apoſtatæ, Heretici, Excommunicati, Interdicti, Infideles, & Catechumeni poſtquam Euangelium lectum, ſive cantatum eſt.

163. Q. Quem locum inter Ordines teneat hic Ordo Oſtiariatus.

℟. Primum tenet locum, ut ſignificatur, quando ei offeruntur Eccleſiæ Claues, quia hæ ſignificant quaſi poſſeſſionem ſervitutis in ipſa Eccleſia exhibendæ.

164. Q. Quando hic Ordo Oſtiariatus inſtitutus ſit.

℟. Quando Christus ementes, & vendentes eiecit de Templo.

165. Q. Quæ sit materia Ordinis Ostiariatus.

℟. Claues Ecclesiæ:

166. Q. An hæ claues Ecclesiæ sint materia proxima, vel remota ipsius Ordinis Ostiariatus.

℟. Sunt materia remota ipsius Ostiariatus.

167. Q. Quæ sit materia proxima, seu propinqua eiusdem Ordinis Ostiariatus.

℟. Traditio ipsarum Clauium Ecclesiæ est materia proxima ipsius Ordinis Ostiariatus.

168. Q. Quis tradat ipsas Claues Ecclesiæ Ordinando Ordine Ostiariatus.

℟. Episcopus manu dextera tenens ipsas Claues offert eas ipsi Ordinando, dicens: Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his Clauibus recluduntur: quæ quidem actio offerendi Claues dicitur moralis traditio ipsarum Clauium, & sufficit ad Ordinandum Ordine Ostiariatus eum, cui easdem sic tradit. Post hanc Episcopi actionē Archidiaconus eas accipit Claues, quas tradit Ordinando, quibus Clauibus claudit, aperitq; Ecclesiæ Ostium, & pulsat tintinnabulum idem Ostiarius ad significandum, quod etiam vocandi populum ad Ecclesiam potestatem accepit.

169. Q. Quare Archidiaconus ſic tradat Claues Eccleſiæ ipſi Ordinando, cum ipſe Archidiaconus non conferat ipſum Ordinem Oſtiariatus, ſed Epiſcopus conferat Ordinem eumdem.

℟. Archidiaconus ſic tradit Claues Eccleſiæ ipſi Ordinando, non quia ipſum Ordinem conferat, ſed quia ſic faciendo inſeruit Epiſcopo in illa actione offerendi Claues eidem Ordinando.

170. Q. Quando character Oſtiariatus imprimatur.

℟. Quando Epiſcopus offert Claues Eccleſiæ proferendo illa verba: Sic agite, &c. imprimitur character: & omninò eſt falſa opinio illorum, qui dicunt characterem Oſtiariatus imprimi, dum campano cum Clauibus tangitur.

171. Q. Quare hic Oſtiariatus Ordo non ſit dicendus ſuperuacaneus, ſeu ſuperfluus, cum etiam Laici, qui non ſunt ordinati Oſtiarij, claudant, & aperiant Oſtia Eccleſiarum, & campanas pulſent, ſic ad Eccleſiam populum vocando.

℟. Non eſt dicendus ſuperuacaneus, quia ipſas actiones claudendi, & aperiendi Oſtia Eccleſiarum, & pulſandi campanas Laici faciunt non ex officio; ſed illi, qui ſunt ordinati Ordine Oſtiariatus, eaſdem actiones ex

officio, ideſt ex proprio ſuo exercitio diſtinĉto ab alijs, faciunt.

172. Q. An Ordinandus Ordine Oſtiariatus neceſſitate Sacramenti, materiam, ideſt Claues Eccleſiæ tangere debeat.

℞. Debet tangere ipſam materiam tactu phyſico, aut morali.

173. Q. Quis ſit tactus phyſicus.

℞. Eſt tactus naturalis, qui dicitur rigoroſus in occaſione Ordinationis.

174. Q. Quis ſit tactus moralis.

℞. Eſt tactus, qui eſt ſecundùm hominum mores, & exiſtimationes.

175. Q. Quæ ſit forma Oſtiariatus.

℞. Sunt verba ab Epiſcopo prolata, quæ ſunt hæc; ſic agite quaſi reddituri, &c. quæ quidem verba ab ipſo Epiſcopo proferuntur, quando offert materiam Ordinando, vt ipſam tangat.

176. Q. Qui ſit effectus Oſtiariatus.

℞. Duplex eſt effectus Oſtiariatus, vnus eſt gratia, alter verò eſt character, iuxtà ſupradicta de Sacramentis in genere.

177. Q. Quod ſit officium Oſtiarii.

℞. Officium Oſtiarii eſt obſeruare claues Templi, aperire, & claudere ianuas eius, excludere ab ipſa Eccleſia eos, quibus non licet intereſſe Sacris, pulſare campanas, cuſtodire ea, quæ intra Eccleſiam reperiuntur, & aperire librum ei, qui prædicat.

178. Q. Quis ſit Miniſter huius Ordinis Oſtiariatus.

℟. Epiſcopus, vel Abbas mytratus, reſpectu ſuorum ſubditorum; vel alius de licentia, aut commiſſione Pontificis Maximi.

179. Q. Quando Oſtiariatus, & alij Ordines minores conferri poſſint.

℟. Conferri poſſunt diebus feſtis, & feria quarta quatuor temporum mane, & etiam extra Miſſarum ſolemnia, non tamen in die Nativitatis Domini, niſi venerit in Dominica. Ita Abb. cap. Subdiac. de temp. Ordin. qui addit in hoc multos erraſſe.

180. Q. In quo loco Ordines minores conferri poſſint.

℟. Conferri poſſunt in qualibet Eccleſia Epiſcopatus, ſed non extra Diœceſim ſine licentia Epiſcopi talis Diœceſis.

181. Q. An Ordinandus Ordine Oſtiariatus debeat habere Primam Tonſuram neceſſitate Sacramenti.

℟. Debet habere Primam Tonſuram non neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate præcepti, ut ſupra patet.

182. Q. An Ordinandus ipſo Ordine Oſtiariatus debeat eſſe Confirmatus Sacramẽto Confirmationis neceſſitate Sacramenti.

℟. Debet eſſe eodem Sacramento Confirmationis confirmatus ſimiliter ſolùm neceſſitate præcepti.

183. Q. Qualis esse debeat Ordinandus Ordine Ostiariatus.

℟. Ordinandus Ordine Ostiariatus debet esse prima Tonsura insignitus, Confirmatus, rudimentis Fidei Christianæ instructus, saltem linguæ latinæ intelligens, atque habens ætatem saltem septem annorum, & alicuius Ecclesiæ seruitio adscriptus. Et circa intelligentiam, quam habere debet linguæ Latinæ iuxta Concilium Tridentinum adverte aliquem dici propriè intelligentem linguæ Latinæ, si per omnes regulas Grammaticæ fecerit dictata, seu compositiones, & aliquas artium liberalium audiuerit lectiones; sed iuxta declarationem Sacræ Congregationis, illi qui sunt Illyricæ regionis, possunt Ordinibus initiari, etiamsi linguã Latinam ignorent.

184. Q. Quid requiratur in eo, qui est alienæ Diœcesis, ut possit rectè ordinari Ordine Ostiariatus, & alijs Ordinibus minoribus.

℟. Requiruntur non solùm proximè supradicta, sed etiam requiritur, ut habeat litteras dimissorias proprij Episcopi, sine quibus Ordinatus est ipso iure suspensus ab executione Ordinum susceptorum, neque gaudet priuilegio Clericali, præsertim in criminalibus, si autem exerceret solemniter actum ipsorum Ordinum susceptorum, incurreret

irre-

irregularitatem, in qua solus Papa dispensare potest.

Circa dimissorias vide q. 554. 555. &c. usque ad 574. inclusiuè.

185. Q. Quomodo accedere debeant ad recipiendos Ordines illi, qui Ostiariatu, & alijs Ordinibus minoribus sunt ordinandi.

℟. Ordinandi Ostiariatu, & alijs Ordinibus minoribus debent esse ab Examinatoribus approbati, & debent habere vestem talarem nigri coloris ad collum clausam, birretum in formam Crucis, superpelliceum album, Tonsuram patentem; candelam offerendam, & sufficientem præparationem ad Sanctissimam Communionem.

186. Q. Quantæ latitudinis debeat esse Tonsura, seu signum primæ Tonsuræ in eo, qui Ordinibus minoribus ordinari vult.

℟. Secundùm communissimam opinionē debet esse talis, vt non superet quantitatem, quam particula, quæ vulgo dicitur, Communicant, habere solet. Et aduerte, ipsam Tonsuram faciendam esse maiorem, iuxta Ordines suscipiendos.

AD LECTORATUM.

178. Q. Quid hoc nomen Lector sibi velit, vel significet.

℟. Significat illum, qui habet Ordinem Lectoratus.

188. Q. Quid ſit Lectoratus.

℟. Eſt poteſtas, per quam Ordinatus i Lectorem poteſt legere Lectiones, & Pr phetias.

189. Q. Quomodo ipſe Lector legere d beat Lectiones.

℟. Debet eas legere ita ſcienter, clarè, diſtinctè, ut excitet auditores ad deuotio nem; propterea accuratè ſtudere debet, u verborum ſenſus quo ad accentus, admirati ones, & interrogationes, intelligat rectè.

190. Q. Quando inſtitutus ſit hic Or Lectoratus.

℟. Quando Chriſtus in medio ſenioru librum Iſaiæ Prophetæ aperuit; & comple lectione Prophetiæ; clauſit, & dedit miniſtro

191. Q. Quæ ſit materia Lectoratus.

℟. Eſt liber lectionum ſacrarum, & præſe tim Prophetarum.

192. Q. An ipſe liber Sacrarum lectio num ſit materia proxima, vel remota ipſiu Lectoratus.

℟. Eſt materia remota ipſius Lectoratus.

193. Q. Quæ ſit materia proxima eiuſdem Lectoratus.

℟. Eſt traditio ipſius libri, quando Epiſco pus ipſum librum tradit Ordinando.

194. Q. An ad validitatem ipſius Ordini Lectoratus Ordinandus tangere debeat i pſum librum.

℟. Debet illum tangere tactu naturali, vel saltem morali.

195. Q. Quæ sit forma Lectoratus.

℟. Sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur, quando Episcopus librum tradit Ordinando.

196. Q. Quis sit effectus Lectoratus.

℟. Duplex est effectus ipsius Lectoratus, scilicet gratia, & character.

197. Q. Quando character Lectoratus imprimatur.

℟. Quando in tradenda materia ipsius Lectoratus profertur ab Episcopo forma eiusdē.

198. Q. Quod sit officium Lectoratus.

℟. Est legere populo in Ecclesia Lectiones veteris, & novi testamenti, & docere Catechumenos rudimenta fidei Christianæ.

199. Q. Quomodo accedere debeat ad Ordinationem ille, qui Lectoratu est ordinandus.

℟. Accedere debet eo modo, quo accedere debet ille, qui ordinandus est ordine Ostiariatus, vt patet in responsione ad quæsitum suprapositum 185.

200 Q. Qualis esse debeat ille, qui ordine Lectoratus est Ordinandus.

℟. Debet esse Confirmatus, & prima Tonsura, & Ostiariatu insignitus, rudimentis fidei Christianæ instructus, & saltem linguæ

Lati-

Latinæ intelligens, habens ætatem ſaltem ſeptem annorum completorum, & alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcriptus.

AD EXORCISATVM.

201 Q. Quid hoc nomen Exorciſta ſibi velit, vel ſignificet.

℟. Significat illum, qui habet Ordinem Exorciſtatus.

202 Q. Quid ſit Exorciſtatus.

℟. Eſt poteſtas, per quam Ordinatus in Exorciſtam poteſt expellere diabolum, ne impediat aliquem à ſumptione Sacramenti Euchariſtiæ.

203 Q. Quando inſtitutus ſit Ordo Exorciſtatus.

℟. Quando Chriſtus tetigit aures ſurdi, & muti, dicens, Epheta, quod eſt adaperire: & quando de Maria Magdalena ſeptem dæmonia eiecit.

204 Q. Quæ ſit materia Exorciſtatus.

℟. Eſt liber Exorciſmorum.

205 Q. An ipſe liber Exorciſmorum ſit materia proxima, vel remota Exorciſtatus.

℟. Eſt materia remota.

206 Q. Quæ ſit materia proxima Exorciſtatus.

℟. Eſt traditio eiuſdem libri Exorciſmorũ.

207 Q. Quæ ſit forma Exorciſtatus.

℟. Verba ab Episcopo prolata, dum porrigit materiam tangendam Ordinando, sunt forma Exorcistatus; quæ quidem verba sunt hæc formalia: Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendæ manus super energumenos, siue baptizatos, siue Catechumenos.

208 Q. An ad validitatem Exorcistatus Ordinatus tangere debeat librum Exorcismorum.

℟. Tangere debet illum tactu physico, vel saltem morali.

209 Q. Quis sit Energumenus, super quẽ imponit manus ipse Exorcista.

℟. Est ille, qui est à dæmone obsessus.

210 Q. Quis sit effectus Exorcistatus.

℟. Duplex, scilicet gratia, & character.

211 Q. Quando imprimatur character Exorcistatus.

℟. Quando in tradenda materia profertur ab Episcopo forma.

212 Q. Quod sit Officium Exorcistæ.

℟. Est imponere manus super Energumenos, seu vexatos à spiritibus immundis ad eijciendos ipsos malos spiritus, ne impediant aliquem à sumptione, vel adoratione Sanctissimæ Eucharistiæ: item officium ipsius Exorcistæ est exercere Catechumenos; olim etiam solebat facere, vt qui non communicarent,

darent locum communicantibus, & infunderent aquam, siue in ministerium Baptismi, siue ad ablutionem post communionem communicantibus.

213 Q. Quomodo accedere debeat ad Ordinationem ille, qui Ordine Exorcistatus est ordinandus.

℟. Debet accedere eo modo, quo accedere debet ille, qui Ordinandus est Ordine Ostiariatus, & Ordine Lectoratus, vt supra patet in responsionibus ad quæsita 185. & 199.

214 Q. Qualis esse debeat ille, qui Ordine Exorcistatus est ordinandus.

℟. Debet esse Confirmatus, & prima Tonsura, Ostiariatu, & Lectoratu insignitus, rudimentis fidei Christianæ instructus, & saltem linguæ Latinæ intelligens, habens ætatem saltem septem annorum, & alicuius Ecclesiæ servitio adscriptus.

215 Q. An Exorcista statim postquam Ordinatus est ipso Ordine Exorcistatus, possit imponere manus super Energumenos, & dæmones adiurare.

℟. Debet habere potestatem iurisdictionis, cùm habeat solùm Ordinis potestatem.

216 Q. Quare Exorcista non sit dicendus superfluus, sed superuacaneus, cùm etiam Ostiarius expellat ab Ecclesia indignos, quales sunt etiam illi, qui sunt à dæmone obsessi.

℟.

℟. Exorcista non est superfluus, seu supervacaneus, quia licet etiam Ostiarius expellat illos, qui sunt à dæmonibus obsessi; tamen Ostiarius illos expellit quatenus sunt indigni qui maneant in Ecclesia; sed Exorcista illos expellit, quatenus ipsi sunt á dæmonibus obsessi, & etiam quatenus sunt subiecti potestati ipsius Exorcistæ in tali subiectione, vtipsemet Exorcista possit ex officio expellere dæmones ab ipsis obsessis à dæmonibus eisdem.

AD ACOLYTATVM.

217 Q. Quid hoc nomen Acolytus sibi velit, vel significet.

℟. Significat illum, qui habet Ordinem Acolytatus.

218 Q. Quid sit Acolytatus.

℟. Est potestas, per quam Ordinatus in Acolytum potest portare candelabrum cum cereo, & vrceolos cum vino, & aqua.

219 Q. Quando institutus sit hic Ordo Acolytatus.

℟. Quando Christus dixit: Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ.

220 Q. Quæ sit materia Acolytatus.

℟. Vrceoli vacui, & candelabrum cum cereo extincto, hæ sunt duæ materiæ partiales ipsius Acolytatus.

221 Q. An ipsi vrceoli vacui, & ipsum candelabrum cum cereo extincto sint materia proxima, vel remota ipsius Acolytatus.

℟. Sunt materia remota ipsius Acolytatus.

222 Q. Quæ sit materia proxima Acolytatus,

℟. Traditio ipsorum vrceolorum, & candelabri.

223 Q. Quare vrceoli debeant esse vacui & candelabrum debeat esse cum candela extincta.

℟. Vt significetur potestatem tradi Acolyto ad præparandum vinum, & aquam in ipsis vrceolis, & ad accendendam candelam seu intorticium in Missæ, & Officij celebratione.

224 Q. An in traditione vrceolorum aut in traditione candelabri supradicti character imprimatur, si hæ duæ materiæ seorsum tradantur Ordinando.

℟. Imprimitur character in traditione vrceoli, secundùm D. Thomam; sed in traditione candelabri extenditur, & perficitur character; & hæc est probabilior opinio, quia vrceolus significat principaliorem potestatem, quia propiùs accedit ad materiam necessariam in Sacrificio Missæ, scilicet ad vinum consecrandum; & nihil obstat, quòd Archidiaconus tradat ipsum vrceolum Ordinando,

nando, quia priùs Episcopus, cui ipse Archidiaconus seruit, eundem vrceolum offert Ordinando.

225 Q. Quæ sit forma Acolytatus, & qui effectus.

℟. Forma sunt verba, quæ proferuntur ab Episcopo in tradenda materia Ordinando; effectus verò sunt gratia & character.

226 Q. Quod sit Officium Acolyti.

℟. Est præparare ampullas vini, & aquæ ad Sacrificium Missæ, & porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem Sacrificium, & illi ministrare; vndè dictus est Acolytus, quasi subsequens, seu pedissequus, dictus est etiam ceroferarius, quod significat illũ ferre cereum.

227 Q. An suspensionem incurrat ille, qui ante duodecim annos ad Acolytatum promouetur.

℟. Nequaquam; quamvis, vt notant Zerol. Ordo p. 2. dub. 3. & alij. Xystus V. contrarium asseruerit.

228 Q. An omnes quatuor minores Ordines eadem die recipi possint.

℟. Possunt recipi eadem die, si hoc Episcopo expedire magis videatur, vt patet per Concilium Trident. Sess: 23. c. 11.

229 Q. Quomodo Episcopus cognoscere possit, an id magis expediat.

℟. Potest hoc cognoscere ex magna do-

ctrina, & bonis moribus Ordinandorum, v
ex necessitate Ecclesiæ, quæ scilicet valdè i
digeat Ministris.

230 Q. An Acolytatus cum Subdiacona
eodem die eidem Ordinando conferri possi

℟. Nequaquam hoc fieri potest tuta co
scientia de iure communi, sed si fieret, Or
nes ipsi validi essent. Et aduerte iuxta Con
lium Tridentinum sess. 23 cap 11. Acolytu
debere expectare integrum annum, priusq
ascendat ad Subdiaconatum, sed id relinqu
tur iudicio Episcopi, qui, vt rectè iudicet, d
bet cognoscere, si necessitas, aut vtilitas E
clesiæ requirat ipsos Ordines Acolytatus,
Subdiaconatus eodem die conferendos e
eidem Ordinando.

Circa dicta in hac resp. vide q. 542. 54
&c. vsq; ad 552. inclusiuè.

231 Q. An Acolytus ex officio possit ben
dicere domos, cantare Litanias eleuata Cr
ce in processione; item commendare Deo a
mas morientium, & recitare passionem D
mini in hebdomada sancta.

℟. Non potest hæc facere solemniter.

232 Q. Clericus Ordinatus tantùm mino
ribus Ordinibus, si excommunicatus sit pr
pter percussionem alicuius Clerici, incurr
irregularitatem, si Officium suum exercea
& cum superpellicco in Choro canat.

℟. Sc.

℟. Secundùm aliquos fit irregularis; sed alij asserunt ipsum nullam incurrere irregularitatem; quia actus minorum Ordinum, fiunt etiam à Laicis, iuxta consuetudinem approbatam.

233 Q. An Ordinati minoribus Ordinibus teneantur recitare aliquod Officium, aut Orationes ratione ipsorum Ordinũ minorum.

℟. Nequaquam; quia nullum ius præcipit eis talem recitationem.

234 Q. An minoribus Ordinibus Ordinati, si nolint sua munera exercere, nisi pacti pecuniam, incurrant Simoniam.

℟. Incurrunt quidem Simoniæ peccatum, si propriè non pro labore corporali, sed pro spiritualitate pecuniam accipere curent.

235 Qualis esse debeat ille, qui Ordinandus est Acolytatu.

℟. Debet esse Confirmatus, & Prima Tonsura, Ostiariatu, Lectoratu, & Exorcistatu insignitus, rudimentis Fidei Christianæ instructus, & saltem linguæ Latinæ intelligens, habens ætatem saltem duodecim annorum, & alicuius Ecclesiæ seruitio adscriptus.

Circa scientiam Ordinandorum, vide q. 829. 830. & circa ipsorum ætatem vide q. 520. 521. &c. vsq; ad 530. inclusiuè.

236 Q. Quomodo accedere debeat ad Ordinationem ille, qui Ordinandus est Ordine Acolytatus.

℟. Debet accedere eo modo, quo accedi ille, qui Ordinandus eſt Ordinibus Oſtiaria tus, Lectoratus, & Exorciſtatus, vt patet ſu pra in reſponſionibus ad quæſita 185. 189. 213.

237 Q. An Clericus aliquem Ordinem ſe uare debeat in extinguendis candelis in fi Miſſæ.

℟. Iuxta notata à Gauanto p. 2. tit. 12. pr ùs debet extinguere candelam exiſtentem i cornu Euangelij, deinde aliam, quæ exiſtit i cornu Epiſtolæ, vt ſtatim poſſit accipere Mi ſale, & birretum Sacerdotis; ſed ambas ca delas extinguere debet, poſtquam à Sacerdo te totum Euangelium vltimum lectum eſt.

AD SVBDIACONATVM.

238 Q. Quid hoc nomen Subdiaconus ſi velit, vel ſignificet.

℟. Significat illum, qui habet Ordin Subdiaconatus.

239 Quæritur, quid ſit Subdiaconatus.

℟. Eſt poteſtas, per quam Ordinatus i Subdiaconum poteſt portare Calicem cu vino ad Altare, & præparare etiam alia n ceſſaria ad Sacramentum Euchariſtiæ, & di tur Subdiaconus, quia Diacono inſeruit, ſtat ſub ipſo.

240 Quæritur, quando inſtitutus ſit h Ordo Subdiaconatus.

℞. Quando Christus linteo se præcinxit, & pedes discipulorum lauit.

241 Q. Quæ sit materia Subdiaconatus.

℞. Calix vacuus cum patena vacua superposita, & liber Epistolarum, quæ sunt duæ materiæ partiales, quæ simul possunt dici vna materia totalis, & perfecta.

242 Q. An de necessitate Sacramenti Ordinandus, ipsam materiam tangere debeat.

℞. De necessitate Sacramenti eam tangere debet tactu physico.

243 Quæritur, an Calix, & patena, quæ traduntur ipsi Ordinando Ordine Subdiaconatus, debeant esse consecrata.

℞. Debent esse consecrata solùm de necessitate præcepti, cùm hoc sit in vsu Ecclesiæ; & non est dicendum debere esse consecrata necessitate Sacramenti, quia Christus Dominus in communi vase Sacerdotium instituit: sic Filliucius dicit expressè.

Et si quis dicat in Concilio Laodicensi prohiberi Subdiacono tangere sacra vasa, & propterea non esse asserendum Calicem, & Patenam debere esse consecrata, quando traduntur ipsi Ordinando Ordine Subdiaconatus.

Respondendum est, Concilium cit. Laodicense intelligi de vasis sacris, quando actualiter, seu formaliter ipsa vasa sacra continent Sanctissimum Sacramentum; & ideò argu-

 men

mentum proximè formatum eſſe nullum.

Et ſi quis iterum dicat: Quando Calix, & Patena traduntur Ordinando Ordine Subdiaconatus, nulla profertur forma verborum, ideò concludendum eſt, dicendo; ergo Calix & Patena non eſt materia Subdiaconatus; & probatur conſequentia, quia in conficiendis Sacramentis materia, & forma ſimul eſſe debent.

℟. Quòd quando Calix, & Patena traduntur Ordinando Ordine Subdiaconatus, ipſi Calix, & Patena, quæ ſunt materia, ſunt ſimul cum forma verborum non quidem phyſicè, ſed moraliter, quia quando traduntur tangenda ipſi Ordinando, præcedentia, & ſequentia verba ſignificant poteſtatem ipſius Ordinis Subdiaconatus dari, ſeu conferri eidem Ordinando; & hoc ſufficit ad conficiendum ipſum Ordinem Subdiaconatus.

244 Q. An liber Epiſtolarum, & ipſe Calix, & Patena ſint materia proxima, vel remota Ordinis Subdiaconatus.

℟. Sunt materia remota.

245 Quæritur, quæ ſit materia proxima ipſius Subdiaconatus.

℟. Traditio ipſius libri Epiſtolarum, Calicis, & Patenæ ipſi Ordinando.

246 Q. Quæ ſit forma Subdiaconatus.

℟. Verba ab Epiſcopo prolata, dum porrigit

git ipſas duas materias tangendas Ordinando, ſunt forma ipſius Subdiaconatus.

247 Q. Quis ſit effectus Ordinis Subdiaconatus.

℞. Duo ſunt effectus Ordinis Subdiaconatus, ſcilicet gratia, & character.

248 Q. An in traditione libri Epiſtolarũ, vel Calicis, & Patenæ imprimatur character Subdiaconatus.

℞. Probabile eſt, vt imprimatur in traditione vtriuſq;, ſed probabilius, vt imprimatur in ſola traditione Calicis vacui cum Patena, quia hæc materia eſt dignior, cùm propiùs pertineat ad conficiendum Sanctiſſimum Sacramentum.

249 Q. An conferatur Ordo Subdiaconatus, ſi Epiſcopus ſolùm tradat Calicem cum Patena, & non librum Euangeliorum, aut ſi ſolùm tradat, & non Calicem cum Patena.

℞. Secundùm Henriquez ipſe Ordo Subdiaconatus confertur, ſi Epiſcopus tantummodò tradat Calicem cum patena; at Ordo non confertur, ſi Epiſcopus ſolùm tradat librum Euangeliorum, & non Calicem cum Patena, quia ipſe Subdiaconatus per ſacra vaſa confertur.

250 Q. An ipſe Ordo Subdiaconatus conferatur, ſi Epiſcopus ſolùm tradat Calicem ſine Patena, aut Patenam ſine Calice.

℟. Maximè; quia Calix significatur in Patena, & ipsa Patena significatur in Calice; Calix enim ad Patenam, & Patena ad Calicem habet relationem; hincq; Patena, & Calix correlatiua vocantur sed tutius contrarii

Circa quæ si objiciatur dicendo si in traditione libri Epistolarum non imprimitur character; ergo Subdiaconus, quando cantat Epistolam, non cantat eam ex officio, siue ex vi ipsius Subdiaconatus.

Respondet ipsemet Henriquez concedendo, quòd ipse Subdiaconus non cantat Epistolam ex officio, aut ex vi ipsius Subdiaconatus, quia cantat eam ex Ecclesiæ præcepto seu commissione, quod habet evidentiam per privilegium Religionis Minoritarum, qui ipsi ex priuilegio habent, quod Acolyti ipsius Religionis consuetudine in Missarum solemnijs Epistolam legant.

251 Q. Quod sit Officium Subdiaconi.

℟. Est immediatè subordinari Diacono ad Sacrificium Missæ, Calicem, & Patenam illi tradere, vrceolum cum aqua præbere, & Epistolam solemniter in Missa legere, aut cantare; ac etiam abluere pallas, corporalia, & purificatoria, vt indicat Magister sententiarum lib. 4. dist. 24.

252 Q. Quis sit Minister Ordinis Subdiaconatus.

℟. E. pi-

℟. Episcopus respectu suorum subditorum, & etiam aliorum, si hi habeant competentem licentiam, & litteras dimissoriales.

Circa Ministrum Sacramenti Ordinis vide qu. 613. 614. &c. vsq; ad 640. inclusiuè.

253 Q. An Ordinandus Ordine Subdiaconatus teneatur habere cognitionem dicendi, seu recitandi Officium Diuinum iuxta rubricas Breuiarij Romani.

℟. Maximè, quia postquam Ordinatus est ipso Ordine Subdiaconatus, incipit obligari ad recitandum ipsum Officium Diuinum; & ideò debet legere attentè ipsas rubricas, vt ipsi obligationi satisfacere possit.

254 Q. Quæ sint principaliora, quæ requiruntur in eo, qui Ordine Subdiaconatus est ordinandus.

℟. Septem: Primum est, quòd Ordinibus minoribus sit ritè, & rectè Ordinatus: Secundum, est legitima ætas: Tertium est vitæ bonitas ab Episcopo ordinante cognita: Quartum est Titulus sufficiens ad vitæ corporalis sustentationem: Quintum est, quòd integritatem seruet: Sextum est scientia conueniens ad cognoscenda ea, quæ ad Subdiaconatum spectant: Septimum est, quòd sit liber à censuris, & ab omni alio canonico impedimento.

255 Q. An incurrat aliquam pœnam ille, qui omissis Ordinibus minoribus, ordinatur Ordine Subdiaconatus.

℞. Quamuis hic validè ordinetur, tamen quia ordinatur per saltum, incurrit suspensionem ab executione Ordinis suscepti, etiam ante sententiæ declarationem, si hoc modo ordinetur scienter, vel etiam ignoranter, dũmodò ignorantia sit culpabilis, quæ crassa vocatur.

256 Q. Quæ ætas requiratur ad Subdiaconatum.

℞. Requiritur ætas viginti vnius anni completi, ita vt vigesimus secundus sit incœptus; si autem ante hanc ætatem Ordinatus esset, suspensus esset ipso facto. Circa ætatem Ordinandorum vide q. 520. 521. &c. vsq; ad 530, inclusiuè.

257 Q. An ille, qui ante legitimam ætatem ordinatus est Subdiaconus, & propter hoc suspensus, possit sine absolutione à tali suspensione, se exercere in eodẽ Ordine Subdiaconatus post aduentum ipsius legitimæ ætatis.

℞. Nequaquam, quia illa suspensio durat etiam post aduentum ipsius legitimæ ætatis, quia ipsa suspensio sine vlla temporis limitatione imposita est: & hinc est, quòd si Episcopus, cui reseruata est, absolueret eum ab ipsa suspensione ante legitimam ætatem, ipse absolutus non posset ante ipsam ætatem vti eodẽ Ordine suscepto, nisi dispensaretur à Papa.

Et

Et aduertendum est, supradictam absolutionem obtentam ante completam ætatem efficere duo, primum est, quòd si Officium ipsius Ordinis Subdiaconatus exercetur ante ipsam legitimam ætatem, quamuis committeret peccatum, non tamen irregularitas incurreretur: Secundum est, quòd completa eadē ætate, talis Ordo absq; dispensatione exerceri posset.

258. Q. Quæ Subdiaconus scire debeat.

℟. Scire debet linguam Latinam, & censuras, & irregularitates saltem quoad casus cōmuniores; & ea, quæ ad officium suum spectant; hæc enim sciens, cognoscet pariter officium suum, & eius impedimenta. Circa scientiam Ordinandorum vide q. 829. 830.

259. Quæritur, ad quæ teneatur qui Ordine Subdiaconatus est ordinatus.

℟. Tenetur sub præcepto ad recitandum Diuinum Officium, & ad obseruandum solemne votum castitatis, & ad deferendum habitum Clericalem, & Tonsuram. Et aduerte votum solemne, quod est promissio facta Deo coram Superiore per publicam actionem; & votum simplex, quod est promissio facta ipsi Deo priuatim, obligare sub mortali.

260 Q. Cur Titulus requiratur in Ordinando Ordine Subdiaconatus.

℟. Quia Ordinatus in Sacris non debet

dicare cum Ordinis dedecore, aut alio modo facere sordidum quæstum, sed debet habere prouisionem de patrimonio sufficienti, quo viuere, & rebus Diuinis liberè vacare possit. Sed quoad mendicationem aduertendum est, quòd Regularibus professis mendicare gloriosum est; & ideò ipsi Regulares professi sacris Ordinibus ordinantur ad titulum paupertatis. Circa Titulos, ad quos ordinantur illi, qui suscipiunt Ordines Sacros, vide q. 575. 576 &c. vsq; ad 596. inclusiuè.

261 Q. Quod sit bonum testimoniũ, quod habere debet ille, qui ordinandus est Ordine Subdiaconatus, iuxtà Concilium Tridentinum sess. 23 c. 13.

℟. Est bona fama, quæ quidem bona, est qua quis putatur bonus, vel idoneus ad aliquod bonum peragendum.

262 Q. An Subdiaconus, & Diaconus nõ percipientes Sacram Communionem saltem Dominicis diebus, & diebus festiuis solemnibus, cùm Altari ministrauerint, peccent mortaliter propter vim verborum sacri Concilij Trident. sess. 23. c. 13. Quæ quidem verba sunt hæc: Sciantq; maximè decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cùm Altari ministrauerint, Sacram Communionem perceperint.

℟. Minimè mortaliter peccant, si scanda-

lum

lum ſit remotum, quia ipſa Concilij verba ſupradicta, ſcilicet; Sciantq; maximè decere, ſi ſaltem, &c. non ſtrictè præcipiunt ipſam Communionem, ſed indicant eandem Communionem eſſe conuenientem, honeſtam, & conſentaneam tempori, loco, & perſonæ; vt ſignificat expreſsè ſupradictum ipſius Concilij verbum, decere.

263 Q. An Subdiaconus inſeruiendo ad Altare in Miſſa ſolemni, exiſtens in mortali, peccet mortaliter.

℟. Nequaquam; quia talis actio non eſt tanti valoris, & exiſtimationis, vt ſunt Sacramentorum actiones; Diaconus autem in mortali exiſtens, ſi interueniat in ipſa Miſſa ſolemni, mortaliter peccat, quia maiorem facultatem in ſua Ordinatione accepit; & inſuper quia tenetur ſumere Euchariſtiam in defectu Sacerdotis.

264 Q. An Subdiaconus legendo, aut cantando Epiſtolam in Miſſa, legat,& cantet fungendo officio legentis, aut orantis.

℟. Fungitur officio orantis, quia in eius Ordinatione dicitur: Accipe poteſtatem legendi Epiſtolam tàm pro viuis, quàm pro defunctis.

265 Q. An Subdiaconus excommunicatus exercens officium ſuum, incurrat aliquam pœnam.

℟. Incurrit irregularitatem, vt quicunque alius Ordinatus etiam in minoribus, si existens in excommunicatione exerceret actum sui Ordinis; sed aduerte ipsos Ordinatos exercendo actus suorum Ordinum incurrere Irregularitatem, si excommunicati sint excommunicatione maiori, non autem minori.

266 Q. Quibus vestibus induatur Subdiaconus, quando est ministraturus ad Altare.

℟. Induitur vestibus illis, quibus Episcopus eum vestit, quando illi confert Ordinem Subdiaconatus, quæ quidem vestes sunt Amictus, Alba, Cingulum, Tunicella, & Manipulus.

267 Q. Quæ sit propria vestis, qua Subdiaconus ab alijs Ministris differt, & propriè Subdiaconus cognoscitur.

℟. Est Manipulus positus in brachio sinistro sine stola propriè ad differentiam Diaconi, & Presbyteri, quia ipsi deferunt manipulum similiter in brachio sinistro, sed non solùm Manipulum, verùm etiam Stolam habent. Circa vestes Ecclesiasticorum vide q. 414. 415. &c. v. q. ad 436. inclusiuè, & etiam q. 510. 511. 512 513. 514.

268 Quæritur, cur Manipulus ponatur in brachio sinistro.

℟. Ponitur in brachio sinistro, vt dextera, quæ est pars potior, sit magis libera, & expedita,

dita, vt Officio proprio faciliter fungi possit: Et aduertendum est, ipsum Manipulum ponendum esse non supra, sed infra cubitum ipsius brachij sinistri.

269 Q. An Subdiaconus ad Altare ministrando sine Manipulo peccet.

℟. Peccat mortaliter, si culpabili negligentia sine ipso Manipulo ministret, sed non fit irregularis, quia hoc non est expressum in iure: Si autem ipse non accepisset ipsum Manipulum propter naturalem obliuionem, non peccaret.

270 Q. Quid facere debeat Subdiaconus, si ministraturus in aliqua Ecclesia non habeat Manipulum.

℟. In hoc casu potest accipere Stolam, & eam ad brachium adaptare loco manipuli; quia omnia indumenta Sacerdotalia communi benedictione consecrari solent.

271 Q. An Subdiaconus inseruiturus ad Altare, dum induit sacras vestes, teneatur recitare illas Orationes, quas Sacerdos recitat, dum celebraturus Missam induit ipsas vestes sacras.

℟. Minimè, quia est proprium Sacerdotis recitare ipsas Orationes.

272 Q. An Subdiaconus ad Altare inseruiens debeat genuflectere toties, quoties celebrans genuflectit.

℟. Minimè: sed Diaconus hoc facere debet, quia est proprius Minister Celebrantis, idemq; semper ad eius latus existit, & cum ipso semper genuflectere debet, quando eidē inseruit.

273 Q. Quomodo ille, qui vult ordinari Subdiaconus, debeat accedere ad Ordinationem.

℟. Debet accedere examinatus, approbatus, & ab Archidiacono præsentatus Episcopo, cui ipse Archidiaconus ipsum Ordinandum præsentans, dicit hæc verba: Reuerendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia, &c. Et Episcopus Archidiacono dicit: Scis eum esse dignum? Et Archidiaconus respondet; Quantum humana fragilitas sinit, scio. Propterea ipse Ordinandus debet accedere conuenienter dispositus ad Sacram Communionem, & debet secum ferre sacras vestes supradictas, & candelam offerendam, & habere Tonsuram patentem.

274 Q. An Archidiaconus cognoscens ipsum Ordinandum Ordine Subdiaconatus esse indignum, peccet mortaliter, si eum præsentet.

℟. Peccat mortaliter, si contra conscientiam respondeat eum esse dignum; & secundùm Tabien. Ordo 6. aduertendum est, quòd si Archidiaconus cognoscat eum esse indi-

gnum,

gnum, debet ſine præſentatione cogitare, quomodo ſecretò id nunciet Epiſcopo, qui, hoc audito, ſi nolit eum repellere, ipſemet Archidiaconus ſe abſentet, ſi poſſit ſe abſentare, bono, & laudabili modo; ſi autem minimè valeat ſe tali modo abſentare, poteſt tuta conſcientia præſentare eundem Ordinandum proferens eum eſſe dignum, dummodò tanquam Eccleſiæ Miniſter illum eſſe dignum proferre intendat, quia tanquam Eccleſiæ Miniſter non debet iudicare de occultis, ſicut eadem Eccleſia non iudicat de occultis in foro exteriori.

275 Q. An ſupradictæ veſtes Tunicella, & aliæ debeant eſſe benedictæ.

℟. In praxi obſeruatur, quòd ab Epiſcopo, vel ab habente facultatem à Papa ſint benedictæ.

276 Q. An peracta Ordinatione Subdiacono aliquid recitandum imponatur.

℟. Ipſi Subdiacono imponi ſolet recitandum Nocturnum Officij Diuini illius diei, & hoc ſeparatum ab ipſo Officio Diuino, quod incipit ab illa hora, in qua Ordinatus fuit, quod quidem tenetur recitare, licèt antea recitaſſet, ſi recitaſſet ſine intentione ſatisfaciendi, quia obligatio recitandi Officium Diuinum incæpit poſt ordinationem completam eadem hora, & ad hæc obligatur ſub mortali.

Idemque Diacono imponitur.

Ordinatis autem Tonſura, & quatuor Ordinibus minoribus imponitur recitare ſemel Septem Pſalmos Pænitentiales cum Litanijs Verſiculis, & Orationibus poſitis poſt ipſos Pſalmos.

AD DIACONATVM.

277 Q. Quid hoc nomen Diaconus ſibi velit, vel ſignificet.

℟. Significat illum, qui habet Ordinem Diaconatus. Obſeruandum tamen eſt ipſum Diaconum appellari etiam Leuitam: quod quidem nomen Leuita Latinè ſignificat aſſumptum, quia Diaconus à carnalibus deſiderijs debet eſſe aſſumptus, id eſt disjunctus.

278 Q. Quid ſit Diaconatus.

℟. Eſt poteſtas, per quam Ordinatus in Diaconum poteſt diſpenſare corpus Chriſti fidelibus, & legere, ſeu canere Euangelium in Eccleſia Dei.

279 Quæritur, quando inſtitutus ſit hic Ordo Diaconatus.

℟. Quando Chriſtus in vltima cæna corpus, & ſanguinem ſuũ miniſtrauit Diſcipulis.

280 Q. Quæ ſit materia Diaconatus.

℟. Eſt liber Euangeliorum, nempè Miſſalis cum impoſitione manus dexteræ, & ſunt duæ materiæ partiales.

281 Q. An ipse liber Euangeliorum sit materia proxima, vel remota Diaconatus.

℟. Est materia remota.

282 Q. Quæ sit materia proxima Diaconatus.

℟. Est traditio eiusdem libri Euangeliorum, & est etiam impositio dexteræ manus Episcopi super caput Diaconi.

283 Q. An Ordinandus Ordine Diaconatus tangere debeat ipsam materiã traditã sibi.

℟. Eam tangere debet tactu physico.

284 Q. Quare etiam manus dexteræ impositio sit materia Ordinis Diaconatus, cùm in Concilio Florentino nulla fiat mentio de ipsa manus dexteræ impositione, vbi statuit pro materia librum Euangeliorum.

℟. Quia tacitè ibi intelligitur etiam manus dexteræ impositionem esse materiam ipsius Ordinis Diaconatus; de hoc enim, quod in vsu erat, non erat dubitatio in Armenis, qui ab ipso Concilio Florentino instruebantur, vt asserit Bellarminus: Ipsum autem Concilium statuit librum Euangeliorum pro materia Ordinis Diaconatus, nulloque modo excludit ipsam manus dexteræ impositionem à determinatione materiæ eiusdem Ordinis Diaconatus.

285 Q. An initio Ecclesiæ Diaconi Ordinarentur per solam manus dexteræ impositionem.

 ℟. Dia-

℟. Diaconi tunc ordinabantur non per solam manus dexteræ impositionem, sed etiam per traditionem alicuius chartulæ, in qua fidei nostræ mysteria scripta erant; & ipsa chartula erat loco Euangeliorum.

286 Q. An chartula, in qua scripta essent fidei nostræ mysteria, sufficeret pro materia Ordinis Diaconatus loco libri Euangeliorum.

℟. Nequaquam; quia Concilium Florentinum statuit adhibendum esse pro materia librum Euangeliorum; & ideò neq; etiam Breuiarium, in quo sint initia Euangeliorum, neq; liber, in quo esset passionis Christi historia tantùm, sufficeret loco libri Euangeliorum pro materia ipsius Ordinis Diaconatus.

287 Q. Quare chartula supradicta, in qua scripta sint nostræ fidei mysteria, non sufficeret loco libri Euangeliorum pro materia ipsius Ordinis Diaconatus, cùm ipsamet chartula initio Ecclesiæ sufficeret pro materia eadem.

℟. Chartula ipsa non sufficeret hoc tempore, quia ipsa chartula permittebatur ad tēpus, non autem ad semper, quia tempus aliud erat venturum, quo aliquis liber erat componendus, qui conuenientiùs adhibendus erat pro materia ipsius Ordinis Diaconatus, & nunc idem tempus aduenit, quo compositus fuit liber Euangeliorum, id est Missalis, qui quidem conuenientiùs adhibendus fuit loco

ipsius

ipsius chartulæ, & nunc, & futuris temporibus abhibendus est pro materia eiusdem Ordinis Diaconatus, quia, vt dictum est, Concilium Florentinum statuit adhibendum esse pro eadem materia ipsum librum Euangeliorum.

288 Q. Quare liber Euangeliorum, non Calix sit materia Diaconatus, cùm ipse Calix, quatenus propiùs accedit ad Sacrificium, sit dignior, quàm liber Euangeliorum.

℟. Quia Calix cum vino, & aqua, & patena cum Hostia superposita, sunt materia Presbyteratus, quia Presbyter potest consecrare panem, & vinum, & Calix vacuus, & patena vacua sunt materia Subdiaconatus, quia Subdiaconus tradit Calicem, & patenam Diacono in Sacrificio Missæ; hincq; est, quòd liber Euangeliorum sit materia ipsius Diaconatus, quia ipse liber Euangeliorum significat eundem Diaconum esse proprium ministrum Sacerdotis celebrantis; & ideò ipsemet Sacerdos in Missa solemni dicit ipsi Diacono, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter annuncies Euangelium suum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

289 Q. An traditio libri Euangeliorum sit materia dignior, quàm impositio dexteræ manus.

℟. Traditio libri Euangeliorum est materia dignior, & in ipsa imprimitur character; impositio autem manus dexteræ Episcopi super caput Diaconi non videtur esse de essentia huius Sacramenti, vt Nugnus obseruauit, qui quidem Nugnus hoc probat ex c. Presbyt. de Sacr. non iterand. quia ibi habentur hæc verba: quòd si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos, cautè supplendum.

290 Q. Quid significet illa dexteræ manus impositio ab Episcopo facta super Diaconi caput.

℟. Significat, quòd ipse Diaconus ad Sacrum Officium consecratur: & est aduertendum, ipsam impositionem manus fieri à solo Episcopo, & non ab alijs Sacerdotibus astantibus ad differentiam Sacerdotum, quibus Episcopus, & ipsi Sacerdotes manus imponunt, & fieri soli Diacono, & non Subdiacono, quia illi Sacramentorum dispensatio competit ex commissione, quod quidem Subdiacono nequaquam conuenit.

291 Q. Quare imponatur super caput Diaconi potiùs manus dextera, quàm sinistra.

℟. Imponitur potius manus dextera, quia cum ordinariè maiores habeat vires, significat maiorem potestatem tribui Diacono, quã

Sub-

Subdiacono; imponitur autem super eius caput, quia ipsum caput nobilior, & dignior pars corporis optimo iure existimatur: ambæ autem manus nequaquam imponuntur ad differentiam potestatis Sacerdotum.

292 Q. An Episcopus tangere debet caput Ordinandi tactu physico, id est naturali, quando imponit manum.

℟. Sufficit manus extensio, quæ est tactus moralis, in consecratione Diaconi; sed in consecratione Presbyteri non sufficit, sed requiritur tactus physicus, quod patet, quia Sacerdotes astantes, qui manus imponunt, prohibentur tangere caput ordinandi ordine Presbyteratus, quæ quidem prohibitio fit propter reuerentiam tactus corporalis, id est physici, seu naturalis ab Episcopo antea facti, quo tetigit propriè summitatem capitis ipsius Ordinandi Ordine Presbyteratus.

293 Q. An Diaconus fiat irregularis, si exerceat actum Ordinis Diaconatus, in cuius collatione, seu Ordinatione omissa sit manus impositio, cui non sit suppletum in alia Ordinatione.

℟. Maximè, sicut etiam irregularitatem incurrit ille, qui exercet actum ipsius Ordinis suscepti ante legitimam ætatem, cum eadem currat ratio de Ordinato ante legitimam ætatem, & de eo, qui recipit characterem sine

manus impositione, vt Abbas significat cap. cùm venisset, de Sacram. Vnct. num. 2. in hoc enim cap. inquit, quòd quædam sunt solemnia necessariò, vt tempus, ætas, manus impositio, & in talibus aut dispensatur in executione, vel in ætate, & tempore.

294 Q. Quæ sit forma Diaconatus.

℞. Verba ab Episcopo prolata, dum porrigit materiam tangendam Ordinando, sunt forma ipsius Diaconatus.

295 Q. Quod sit officium Diaconi.

℞. Est cantare solemniter Euangelium in Missa, ministrare immediatè Sacerdoti in omnibus, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium, vestire Altaria, Crucem ferre; item ex commissione Sacerdotis prædicare, & baptizare, non tamen cum solennitate baptizare, quod est in praxi propter Sacerdotum magnam multitudinem; sed in Insulis, vbi pauci Sacerdotes reperiuntur, Diaconus potest solemniter baptizare ex Episcopi, vel Parochi commissione.

296 Q. Quis sit minister Ordinis Diaconatus.

℞. Minister ipsius Ordinis est Episcopus respectu suorum subditorum, & aliorum cum sufficienti licentia suorum Episcoporum.

297 Q. An Episcopus omnibus censuris irretitus, & irregularis, possit conferre Diaconatum, & alios Ordines validè.

℞. Con-

℟. Confert validè ipsos Ordines, quamvis graviter peccet.

298 Q. An Subdiaconus ordinatus à Papa possit Ordine Diaconatus, & Ordine Presbyteratus ordinari ab Episcopo.

℟. Nequaquam potest ab Episcopo ordinari sine expressa licentia Papæ, & hoc propter excellentiam ipsius Papæ, qui ipsum Ordine Subdiaconatus ordinauit; ipse tamen Subdiaconus ordinatus à Papa potest iudicari ab Episcopo, vt quilibet subditus ipsius.

299 Q. An Episcopus, qui non est Diaconus, quia suscepit Sacerdotium per saltum, possit conferre Diaconatum.

℟. Maximè, quia potestas conferendi Ordines non habetur propter Diaconatum; sed propter validum Episcopatum: & propterea non valet argumentum, quod contra hoc adduci solet, consistens in dicendo; nemo dat, quod non habet, &c.

300 Q. Quid sit agendum, si Episcopus in Ordinationis functione in syncopem incidat, & non possit terminare ipsam functionem.

℟. Ab alio Episcopo supplendum est, & in hoc casu ipse Episcopus supplens debet incipere vbi ille dimisit, nisi adsit aliqua cohærentia, vt quando simul vnctio fieri, & oratio dici debet, quia si hoc occurrat, vtrumq; supplendum est, licèt vnum tantummodo sit ex-

 pletum,

pletum, quia vnctio est, vt materia, oratio verò, vt forma.

301 Quæritur, quis sit effectus Ordinis Diaconatus.

℟. Duplex est effectus ipsius Ordinis Diaconatus, scilicet gratia, & proprius Character.

302 Q. An Diaconus legat Euangelium per modum Orationis.

℟. Legit quidem per modum orationis tam pro viuis, quàm pro defunctis vt dicitur in eiusdem Ordinatione.

303 Quæritur, quid hoc nomen Euangelium significet.

℟. Hoc nomen Euangelium Græcum est, significatq; annunciationem gratiæ Diuinæ exhibitæ generi humano per Saluatorem nostrum; & hinc ipsum Euangelium annunciatio bona appellatur.

304 Q. Quid significet illud dictum, Dominus vobiscum, prolatum à Diacono, antequàm incipiat legere Euangelium in Sacrificio Missæ.

℟. Significat idem, quod significat hoc dictum, Dominus in vobis maneat cum gratiæ suæ largitione.

305 Q. Quare dicatur, Dominus, & non dicatur, Deus vobiscum.

℟. Quia hæc nomina, Deus, & Dominus differunt in hoc, quòd Deus respicit Creatio-

nem, Dominus autem respicit imperium super creaturas; & ideo in Gen. cap. 1. vbi agitur de creatione, semper Deus nominatur; vbi verò agitur de ipso imperio super res creatas, dicitur Dominus, vt ibidem dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas; hincq; Diaconus dicit, Dominus vobiscum, antequam incipiat legere Euangelium, ad significandũ, quòd ipsum Euangelium est lex Domini, & quòd debet audiri vt lex Domini, ad ipsius gloriam. & honorem, & ad salutem animarũ.

306 Q. An Diaconus existens in mortali mortaliter peccet, si inseruiat Sacerdoti celebranti ad Altare.

℟. Ipse Diaconus existens in peccato mortali, si inseruiat Sacerdoti celebranti peccat mortaliter, sed Subdiaconus in tali statu inseruiens nequaquam peccat mortaliter; & ratio differentiæ est, quia Diaconus maiorem potestatem recipit, Subdiaconus verò minorem circa Missam.

307 Q. An Diaconus debeat complere, & perficere Sacrificium, si Sacerdos peracta cõsecratione incideret in syncopem, nec posset vlteriùs prosequi Missam.

℟. Nequaquam, sed debet vocare alium Sacerdotem, vt suppleat; at si nullum inueniat Sacerdotem supplentem, debet reponere Hostiam consecratam in Tabernaculo; sed si

Ta-

Tabernaculum non adesset, posset sumere illam reuerenter, non ad complendum Sacrificium ipsum, sed ad reuerenter tractandum Sanctissimum Sacramentum.

308 Q. An Diaconus teneatur esse ieiunus, quando ad Altare inseruit celebranti.

℟. Diaconus benè facit, si ieiunus inseruiat celebranti, sed non tenetur sub mortali esse ieiunus, quia de hoc nullum est præceptum.

309 Q. An Subdiaconus, & non Diaconus debeat sumere Eucharistiam, si deficiente Sacerdote, facta consecratione, Diaconus non sit ieiunus, sed solùm Subdiaconus sit ieiunus.

℟. In hoc casu Subdiaconus non debet manibus suis accipere Hostiam consecratam, sed debet sumere ipsam à Diacono, quia Subdiaconus non potest tangere Hostiam consecratam, Diaconus autem non solùm tangere, sed etiam præbere eam alijs potest.

310 Q. Quæ ætas requiratur ad suscipiendum Ordinem Diaconatus.

℟. Requiritur ætas 22. annorum completorum, & vigesimus tertius annus sit inceptus; & hoc est iuxtà Concilium Tridentinū.

311 Q. An Ordinatus Ordine Diaconatus ante supradictam legitimam ætatem aliquam pœnam incurrat.

℟. Incurrit suspensionem, si cum lethali culpa ante ipsam legitimam ætatem Diaco-

natus

natus Ordinem accipiat, quod tunc esset, quando scienter illum ante ipsam ætatem legitimam accepisset; si autem probabiliter se habuisset legitimam ætatem credidisset, non incurreret suspensionem, & non esset irregularis exercendo actum ipsius Ordinis Diaconatus.

312 Q. Quæ Ordinandus Ordine Diaconatus scire debeat.

℟. Debet scire ea, quæ Subdiaconus scire tenetur, & etiam ea, quæ ad suum proprium Officium spectant, & quæ ad Eucharistiæ, & Baptismi administrationem solemnem pertinent propter casus, qui occurrere possunt. Circa scientiam requisitam in Ordinandis vide q 829, 830.

313 Q. An Diaconus in casu necessitatis Extremã Vnctionem, Pænitentiam, & Matrimoniũ administrare possit de licẽtia Parochi.

℟. Nequaquam, quia Sacerdos requiritur ad ipsa tria Sacramenta administranda, sed excipitur casus quoad Matrimonium tantùm, quando Parochus nondum Ordinatus est Presbyter, sed est Diaconus, in hoc enim casu iuxtà Concilium Tridentin. Matrimonio validè assistit, sed hoc ipse Diaconus Parochus non potest concedere ei, qui non est Sacerdos; sed nullus datur casus, in quo Diaconus possit administrare Pænitentiam, & Extremam Vnctionem.

314 Q. Quibus vestibus Diaconus debeat esse indutus, quando solemniter est administraturus Sacramentum Baptismi, aut est delaturus sanctissimam Eucharistiam.

℟. Ipse Diaconus in his actionibus debet esse indutus superpelliceo albo, & mundo cum stola ex transuerso, vt cognoscatur expressè Diaconus, & non Sacerdos; ipse enim Sacerdos ponit sibi stolam pendentem ab vtroq; humero: & aduertendum est, quòd si Diaconus stolam ab vtroq; humero pendentem gestaret, vt Sacerdos facere solet, euaderet irregularis, quia in foro exteriori præsumeretur vsurpasse Sacerdotis facultatem, quàm quidem minimè habet.

315 Q. An Diaconus manu propria possit porrigere Eucharistiam Sacerdoti infirmo, cui ipsam detulit.

℟. Sacerdos infirmus proprijs digitis ipsã Eucharistiam de Pyxide accipere, & ore sumere tenetur, si hoc facere possit, cùm sit Sacerdos, & nisi hoc facere queat, ipse Diaconus in casu hoc necessitatis ipsi Sacerdoti infirmo, & impotenti eam præbere potest.

316 Q. Quas obligationes habeat ille, qui ordinatus est Ordine Diaconatus.

℟. Easdem obligationes, quas habet Subdiaconus, id est tenetur seruare votum castitatis, recitare septem Horas Canonicas quo-

libet die, & deferre habitum, & Tonsuram; Circa dicta in hac resp. vide in Indice Verba Votum castitatis, Horæ Canonicæ, Vestes, & Tonsura.

317 Q. An Diaconus promittat seruare castitatem, recitare Officium Diuinum, & deferre habitum, & Tonsuram; & quando hæc promittat.

℟. Diaconus hæc tria in sua Ordinatione non promittit expresse, sed implicitè & tacitè promisisse supponitur, quando Subdiaconus ordinabatur; quia tunc ipse sciens eidem Ordini easdem obligationes ex Ecclesiæ institutione esse coniunctas, ipsum Ordinem sacrum voluntariè accepit; & ideò censendum est ipsas voluntariè accepisse obligationes, & tantò magis eas ratificat, quantò ad Ordines ascendit sublimiores.

318 Q. An Diaconus teneatur dicere, Dominus vobiscum.

℟. Tenetur absente Sacerdote, sed ipso Sacerdote præsente non debet dicere, Dominus vobiscum, nisi de licentia eiusdem Sacerdotis, vt in Rubricis Breuiarij c. 30. n. 3. de Oratione patet. Et aduerte ibidem in Rubricis præcipi Diacono dicere, Dominus vobiscum, absente Sacerdote; quia in eodem cap. & num. dicitur expressè, quòd vers. Dominus vobiscum, dicitur etiam quando aliquis solus reci-

recitat Officium, & de Diacono fit mentio expressa circa hoc idem.

319 Q. Quare in ipsis rubricis in loco supra proximè citato præcipiatur Diacono, quòd non dicat, Dominus vobiscum, præsente Sacerdote, nisi de licentia ipsius Sacerdotis.

℞. Id præcipitur propter reuerentiam erga Sacerdotem, & vt Diaconus cognoscatur inferior ipso Sacerdote.

320 Q. Qualis esse debeat Ordinandus Ordine Diaconatus, quando ad sacram Ordinationem accedit.

℞. Debet esse Ordinibus minoribus, & Ordine Subdiaconatus ordinatus, examinatus circa pertinentia ad ipsum Ordinem Diaconatus, eodem Sacro Ordine dignus repertus, benè dispositus ad Sacram Communionem, indutus vestibus illis, quibus indutus erat, quando Subdiaconus fuit ordinatus; & debet ferre secum sacras vestes, scilicet Dalmaticam, & stolam, quibus ab Episcopo est induendus; & candelam offerendam iuxtà consuetudinem vsu receptam.

321 Q. Qualis vestis sit Dalmatica.

℞. Dalmatica olim erat casula sine manicis, & ea Sacerdotes vtebantur tempore Apostolorum, & vocabatur pectoralis Tunicella, quam cum manicis ad cubitum vocamus vulgariter Tunicella, quæ quidem sic cum mani-

manicis habet alas pertusas, & dicitur Dalmatica, quia in Dalmatia reperta fuit, & primo texta iuxta relationem Gavant. p. 1. tit. 19. & secundùm aliquos significat lætitiam, & charitatem erga proximum nostrum.

322 Q. Quomodo Diaconus stola utatur.

℟. Diaconus utitur stola hoc modo aptat illam super humerum sinistrum, & deducit eam sub brachio dextro ad differentiam Sacerdotis, qui quando est celebraturus Missam, format eam ab utroq; humero in modum Crucis ante pectus super Albam; quando verò in alijs Officijs Divinis se exercet in Ecclesia, eam de superpelliceo æqualiter pendere deorsum sinit.

323 Q. Quid significet ipse modus ferendi stolam aptatam super humerum sinistrum, & deductam sub brachio dextro.

℟. Cum humerus sit corporis pars maximè potens ad onera ferenda, ipse modus ferendi stolam super ipsum humerum significat Diaconum ipso modo utentem accepisse onus vitæ activæ, & accepturum esse onus vitæ contemplativæ quando suscipiet ordinem Presbyteratus, sive Sacerdotij, postquam enim hunc ordinem acceperit, stolam aptabit super humerum dexterum, & sinistrum, & utiq; stola super utrumq; humerum Sacerdotis aptata

 signi

significat ipsum Sacerdotem suscepisse onus vitæ activæ, & onus vitæ contemplatiuæ.

AD PRÆSBYTERATUM.

324 Q. Quid hoc nomen Presbyteratus sibi vellit, vel significet.

℟. Significat illum, qui habet ordinem Presbyteratus seu Sacerdotij iuxta Concilium Tridentinum: & ideò Presbyteri vocantur Sacerdotes, quasi Sacri duces, vel Sacra dantes.

325 Q. An Sacerdotes fuerint in lege naturæ, in lege scripta, & in gratiæ lege.

℟. Maximè, & hoc tempore, quod est legis gratiæ multi Deo dante Sacerdotes extant; & erunt.

326 Q. Quæ differentia sit inter Sacerdotes veteris & novæ legis.

℟. Differentia est hæc; Sacerdotes veteris legis per sua Sacrificia non conferebant gratiam, Sacerdotes verò nostri, qui sunt nouæ legis, gratiam conferunt per sua Sacrificia & ideo Sacerdotes veteris legis erant figura sive umbra nostrorum.

327 Q. An Apostoli fuerint à Christo Domino instituti Sacerdotes.

℟. Maximè.

328 Q. Quare ipsi Apostoli; cum fuerint Sacerdotes, nolluerint vocari Sacerdotes.

℟. Apo-

℟. Apoſtoli abſtinuerunt ab hoc nomnie Sacerdotis, ne crederentur Sacerdotes veteris legis, & veterum ſacrificiorum.

329 Q. Quid ſit Presbyteratus.

℟. Eſt poteſtas, per quam ordinatus in Presbyteratum poteſt conficere Corpus & Sanguinem Ieſu Chriſti iuxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & diſtribuere ipſum Ieſum Chriſtum ſub ſpeciebus, ſcilicet accidentibus viſibilibus ſaltem panis fidelibus ut hoc tempore eſt in uſu; & abſolvere à peccatis.

330 Q. Cur dicatur, & diſtribuere ipſum Ieſum Chriſtum ſub accidentibus viſibilibus ſaltem panis fidelibus

℟, Sic dicitur, quia Sacerdos ordinatur non ſolùm ad conficiendam ſanctiſſimam Euchariſtiam, ſed etiam ad diſtribuendam eamdem fidelibus; contra Lutherum, qui dicebat ſeunctum eſſe ſolùm ad Sacrificandum non autem ad præbendum Sacramentum Fidelbus. Et dicitur ſub accidentibus ſaltem panis, quia hoc tempore accipitur Chriſtus ſub ſpecie, ſeu accidentibus panis; & etiam vini ſolum à Sacerdotibus celebrantibus, ſed ab alijs accipitiur ſub accidentibus ſolum panis.

331 Q. Quando inſtitutus ſit hic Ordo Presbyteratus.

 ℟. Quan-

℟. Quando Christus post ultimam Cœnam panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum convertit, dicens Apostolis : Accipite & comedite, Hoc est enim corpus meum, Hoc facite in meam commemorationem. Item quando post resurrectionem dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.

332. Q. Quod requirantur ad conferendum ordinem Presbiteraus.

℟. Tria, ut in conficiendo quolibet alio Ecclesiæ Sacramento, & hæc sunt Materia, Forma, Minister cum debita intentione.

333 Q. Quæ sit materia Presbyteratus, seu Sacerdotij.

℟. Est calix cum vino, & aqua, & Patena cum Hostia, superposita, & manuum impositio, quando ab Episcopo traditur potestas in corpus Domini mysticum, scilicet ad absolvendum à peccatis, & sic sunt plures materiæ partiales, quæ requirunt formas partiales.

334 Q. An ipsæ materiæ partiales possint dici vna materia.

℟. Possunt dici una materia totalis & perfecta.

335. Q. An calix cum vino, & aqua, & patena cum Hostia superposita sint materia proxima, vel remota Presbyteratus.

℟. Sunt

℟. Sunt materia remota Presbyteratus.

336 Q. Quæ sit materia proxima Præsbyteratus.

℟ Est duplex: Prima est traditio Calicis cum vino, & aqua, & patenæ, cum hostia superposita, secunda est impositio manum Episcopi.

337Q. An ordinandus ordine Presbyteratus, debeat tangere calicem cum vino & aqua, & patenam cum Hostia super posita de necessitate ipsius ordinis Presbyteratus.

℟, Maxime tactu physico, vel saltem morali sed primum tutius.

338. Q. Quæ sit Hostia supradicta, & quod sit vinum supradictum.

℟. Hostia illa consecranda est panis confectus ex farina tritici & vinum illud consecrandum est vinum ex uvis vitis expressum;

339 Q. Quæ sint formæ partiales ordinis Presbyteratus.

℟. Verba, quæ in talium rerum traditione, & manuum impositione dicuntur ab Episco sunt formæ partiales ordinis Presbyteratus.

340 Q An ipsæ forme partiales dici possint una forma.

℟. Possunt dici una forma totalis, & perfecta.

341 Q. Quod sit officium Presbyteri, seu Sacedotis.

 ℟. Est

℟. Est offerre sacrificium Missæ, unde dicitur habere potestatem in corpus Domini verum, & adsolvere à peccatis, ex quo dicitur habere potestatem in Corpus Domini Mysticum, Item administrare alia Sacramenta Ecclesiastica iuxta ritus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & pascere populum doctrina, & exemplo, & facere aliquas Benedictiones.

342 Q. Circa ipsum ordinem Presbyteratus, & alios ordines, qui habent duas materias, & duas formas partiales, quæritur, an, dato casu, quo una tantum materia cum expressione formæ sibi convenientis in ordinatione tradatur Ordinando, altera omissa materia cum sibi convenienti forma debeat suppleri in alia ordinatione.

℟. Altera omissa materia cum expressione formæ convenientis debet suppleri si dependeat ab alia; at verò, si fuerit omissa sola illa; quæ non dependet ab alia, invalida esset Ordinatio totaliter, & ideo utraque debet conferri, & sic suppleri in alia Ordiatione. Exempli gratia, si manuum Episcopi impositio sit omissa, quia est materia dependens ab alia materia, quæ est panis, & vini traditio, ipsa impositio manuum est suplenda in alia Ordinatione; si hæc materia, quæ est panis, & vini traditio, sit omissa, quia non dependet

ab ipsa

ab ipſa manuum impoſitione, quæ etſi alia materia, quia poteſtas in verum Chriſti corpus prius traditur Ordinando Ordine Sacerdotali per traditionem ipſius panis, & vini, & poſtea ipſi ordinato traditur poteſtas in myſticum Chriſti corpus per impoſitionem manuum Epiſcopi: & non poteſt tradi poteſtas in myſticum Chriſti corpus, quod eſt congregatio Fidelium, ei qui non habet poteſtatem in verum ipſius Chriſti corpus.

343 Q. Quæ ætas requiratur ad ſuſcipiendum Ordinem Presbyteratus.

℟. Ætas viginti quatuor annorum completorum, & vigeſimus quintus ſit incæptus, & hoc iuxta Concilium Tridentinum.

344 Q. Qualis eſſe debeat ille, qui Ordinandus eſt Ordine Presbiteratus.

℟. Ordinandus Ordine Presbyteratus debet eſſe prima Tonſura, quatuor Ordinibus Minoribus, & Subdiaconatu & Diaconatu inſignitus, Confirmatus Sacramento Confirmatiōis, tanta doctrina præditus, ut poſſit approbari ad ipſum Ordinē Presbyteratus, ideoq; ſcire debet non ſolùm ea, quæ ſcire debent illi, qui Ordinibus minoribus, & Ordine Subdiaconatus, & Ordine Diaconatus ſunt Ordinati, verū etiā ea, quæ pertinent ad adminiſtrationem Sacramenti Pænitentiæ, ſaltē quo ad ca-

 ſus

ſus neceſſitatis, & ad celebrationem Miſſarũ, & alia quæ ſpectant ad officium ſuũ rectè peragendum. Circa dicta in hac reſp. vide in Indice hæc verba Ordo, Ordines, Scientia, & Pænitentia Sacramentum.

345 Q. Quis ſit effectus Ordinis Presbyteratus.

℞. Duplex, ſcilicet gratia, & Character.

346 Q. Quis ſit miniſter Ordinis Presbyteratus.

℞. Epiſcopus, Sacerdos, & Conſecratus, idq; eſt iuxta Concilium Tridentinum.

347 Q. An Papa poſſit ordinare validè aliquem in Sacerdotem dicendo ſine aliquo adminiculo ſolùm hæc verba, Eſt Sacerdos.

℞. Papa poteſt, ſed Epiſcopus inferior non poteſt, huiuſq; ratio eſt, quia Papa, & Epiſcopus minimè ſunt pares. Ita aſſerendum eſt ſecundum Abb., cap. I. §. Vna verò de Sum. Trin.

348 Q. Quibus veſtibus debet indui Sacerdos celebraturus Miſſam.

℞. Supra veſtem Clericalem indui debet ſex veſtibus Sacris, ſcilicet Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola in modum Crucis ante pectus, & Caſula, quæ debent eſſe benedicta, Circa dicta in hac reſp. vide in Indice hæc verba, veſtes adhibendæ ab Eccleſiaſticis.

349. Q. Quid significet aptare stolam in modum Crucis ante pectus.

℟. Significat Crucifixi Iesu Christi memoriam retinendam à Sacerdote.

350 Q. An Sacerdos debeat componere stolam in modum Crucis ante pectus non solũ quando est celebraturus Missam, sed etiam, quando alia Officia Divina est celebraturus.

℟. Debet sic componere stolam etiam, quando indutus est Alba pro hora tertia cantanda ante celebrationem Missæ; sic asserit Gavantus part. 2. tit. 1. quia post tertiam cantatam est induturus Casulam pro Missa à se ipso celebranda; sed in reliquis Divinis officijs sinet ipsius stolæ utrasq; extremitates fluere ab utroq; humero deorsum.

351 Q. Quando Sacerdos aptat stolã in modum Crucis, à qua parte debeat incipere ad ducendum partem ipsius stolæ.

℟. Debet incipere à sinistra in dextram, non è contra à dextra in sinistram, quia prius fuit Diaconus, & postea Sacerdos, ut advertit Gavantus. p. 2. tit. 1.

352. Q. Quæ sit propria vestis sacra, per quam Sacerdos cognoscitur distinctus ab alijs Mynistris.

℟. Est duplex, scilicet stola vel in modum Crucis ante pectus, vel ab utroq; humero fluens

ens, sive pendens deorsum, & casula, sive planeta.

353. Q. Quomodo Ordinandus Ordine Presbyteratus accedere debeat ad Sacram Ordinationem.

℞. Debet accedere approbatus ab examinatoribus Episcopi, rectè præparatus ad sacram Communionem, & debet ferre secum sacras vestes, & candelam offerendam iuxta consuetum.

354 Q. Quid peracta Ordinatione imponatur ei, qui Ordinatus est Sacerdos.

℞. Ei imponitur, quod celebret tres Missas post primam Missam, scilicet unam de spiritu sancto, aliam de Beata Virgine, & tertiam pro fidelibus Defunctis, & oret pro Episcopo qui eum ordinavit.

355 Q. An ille validè factus sit Sacerdos, cui Episcopus patenam cum pane & Calicem sine vino, aut calicem cum vino, & patenam sine pane tradidit, seu porrexit.

℞. Etsi sub qualibet specie consecrata totus Christus continetur, & quando fit Ordinatio, potestas non traditur divisim, ut qui panem consecrare potest, nequeat consecrare vinum; sed ipsa potestas consecrandi traditur coniunctim, ut qui hanc speciem consecrare potest, possit consecrare etiam illam; Episcopus autem

tem in Ordinatione grave scelus patraret, si scienter non utramq; materiam, scilicet panem, & vinum, sed panem tantùm, aut solum vinum traderet Ordinando tamen tales solent denuo ordinari sub conditione ait Lugo.

356 Q. An ad conferendum validè Presbyteratum sufficiat tradere panem ex tritico, qui non sit azymus,

℟. Non sufficit tradere panem ex non tritico, sed sufficit tradere panem ex tritico, quamvis non sit azymus, quia panis, qui non est ex tritico, non potest consecrari, etiam si azymus sit; sed panis, qui est ex tritico potest consecrari, quamvis non sit azymus Et nota in praxi seruari Calicem, & Patenam esse consecratam, & esse debere ex auro, vel ex argento inaurato & non ex vitro vel cupro.

Nota etiam Episcopum peccare, si in conferendo Presbyteratu, tradat panem, si non est azymus.

357 Q. An manuum impositio sit materia necessaria de necessitate Sacramenti in conferendo Ordine Presbyteratus.

℟. Est de necessitate Sacramenti quo ad potestatem absolvendi à peccatis, non autem quo ad potestatem consecrandi panē, & vinū.

358 Q. An unctio in conferendo Ordine Presbyteratus sit de necessitate Sacramenti.

℟. Nequaquàm, ſed tantùm eſt de neceſſitate præcepti.

359 Q. An Epiſcopus in manuum impoſitione caput Ordinandi Sacerdotis phyſicè tangere, aut ſuper ipſum caput manus elevare teneatur.

℟. Debet tangere caput Ordinandi tactu phyſico ad differentiam Ordinis Diaconatus; ut ſupra patet circa Ordinem ipſius Diaconatus, in reſponſione ad quæſitum 292.

360. Q. An per ſolam formam poteſtas & conſecrandi panem, & vinum, poteſtas abſolvendi à peccatis conferantur Sacerdoti, quando ei confertur Sacerdotium in Ordinatione ab Epiſcopo facta.

℟. Non per unam formam, ſed per duas formas ei conferuntur iſtæ duæ poteſtates, & Sacerdos ſine poteſtate abſolvendi à peccatis eſt Sacerdos imperfectus.

361 Q. An Sacerdos ille, qui Ordinatus eſt ſolùm ad conſecrandum panem & vinum, poſſit conferre validè, & licitè Sacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis, etiamſi Epiſcopus, aut Summus Pontifex iuriſdictionē in aliquos tradiderit illi.

℟. Nequaquam, quia caret poteſtate remittendi peccata; ſeu abſolvendi à peccatis, quæ

quidem potestas accipi, & haberi potest solùm per propriam materiam, & formam Ordinationis postquam accepta est potestas conficiendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per aliam propriam materiam, & formam Ordinationis.

362 Q. An ab Episcopo volente ordinare Diaconum in Sacerdotem potestas absolvendi validè, & licitè tradi possit eidem Diacono, antequam ei tradatur potestas consecrandi.

℟. Minimè: quia, ut supra dictum est, non potest tradi potestas in mysticum Christi corpus ei, qui non habet potestatem in verum ipsius Christi Corpus; & ideò idem Christus Dominus priùs potestatem ad consecrandum, quàm ad absolvendum dedit.

363 Q. An valeret potestas absolvendi, si Episcopus eam traderet, antequam traderet potestatem consecrandi.

℟. Minimè, propter eandem rationem expressam in suprapositâ proxima responsione, scilicet, quia non potest tradi potestas in mysticum Christi Corpus ei, qui non habet potestatem in verum ipsius Christi corpus.

364 Q. An in ordinatione Sacerdotis sit de necessitate Sacramenti Ordinandum tangere hæc omnia, scilicet Patenam, & Hostiã superpositam, & Calicem.

℟. Mini-

℟. Minimè: sed de essentia, & validitate Sacramenti est tangere solum Calicem, quia iuxta usum communem, ille, qui Calicem tangit, videtur tangere Patenam hærentem ipsi Calici, sed de necessitate præcepti est, ut etiam Patena tangatur, quia hoc præscribitur in Pontificali Romano; præterea etiam Hostia superposita Patenæ tangenda est, ut tutiùs procedatur: & grave scelus patraret qui dedita opera etiam Patenam tangere nollet, quia sic certè contemneret præceptum supradictum Pontificalis Romani.

365 Q. An sit de necessitate Sacramenti, ut contactus proximè supradictus fiat utraq; manu.

℟. Nequaquam: sed sufficit, ut ipse contactus fiat una manu.

366 Q. An Missa necessaria sit in Ordinũ collatione.

℟. Ex Ecclesiæ ordinatione Missa est necessaria in Sacris Ordinibus conferendis; sed in Tonsura, & in minoribus Ordinibus non necessaria. Et adverte, quòd non sufficerit, si unus Missam diceret, & alter Ordinaret, nisi in minoribus ad quos conferendos nec etiam Missa est necessaria simpliciter.

367 Q. An pluresSacerdotes, quando initiantur Ordine Presbyteratus, eamdem Hostiã cum Episcopo celebrante consecrent. ℟.

℟. Maximè, quia multi sunt unum in Christo.

368 Q. An quando Ordinatio fit ab Episcopo, si Sacerdos nouus proferat verba consecratoria, priusquam alij noui Sacerdotes, ipse solus cum Episcopo materiam consecret.

℟. Maximè; sed in hoc casu alij nihil facerent, materia enim iam consecrata esset.

369 Q. An intentio Sacerdotum concelebrantium cum Episcopo tempore Ordinationis, debeat esse absoluta, aut conditionata

℟. Debet esse absoluta, iuxta Pontificale Romanum.

370 Q. An aliquando fuerit usu receptum vt Cardinales cum Papa consecrarent.

℟. Maximè, iuxtà relationem Suarez.

371 Q. An Sacerdotes cum Episcopo Ordinante consecrantes sanguinem sumere debeant.

℟. Minimè, quia Sacramentum per se tamquam præcipui Ministri non conficiunt.

372 Q. Quæ requirantur in Ministro ad rectum conferendum Ordinem Presbyteratus de necessitate Sacramenti.

℟. Hæc tria, materia, forma, & debita intentio actualis vel saltem virtualis. & hæc sunt necessaria necessitate Sacramenti. Alià vero requisita pertinent ad ritûs solemnitatem, quæ sunt de necessitate præcepti. 373

373 Q. An dato casu, quod Episcopus Ordinans dicat: Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, & omittat illud pro defunctis, ille; qui sic Ordinatus est, possit celebrare pro Defunctis.

℟. Potest utiq;, quia habet potestatem conficiendi Corpus Christi, quod est primum, & substantiale; offerre autem Sacrificium pro viuis, uel defunctis est Secundarium, & accidentale.

374 Q. Quomodo Sacerdos, quando Ordinatur Ordine Presbyteratus, accipiat Spiritum Sanctum.

℟. Accipit Spiritum Sanctum ad accipiendam potestatem ligandi, & absolvendi, ut significatur, quando ab Episcopo Ordinante dicitur: Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, &c. quia ipse Spiritus Sanctus movet, & dirigit Sacerdotem ad rectum iudicium faciendum, & ad alia peragenda circa pænitentem.

375 Q. An peccator perfectè contritus consequatur remissionem peccatorũ per contritionẽ, antequam á Sacerdote accipiat absolutionem.

℟. Consequitur quidem, sive obtinet à Deo remissionem peccatorum ante absolutionem datam à Confessario Sacerdote:

Et si quis ex hoc inferat dicendo, ergo pænitens

tens non indiget Sacerdote absoluente, vel ligante.

Respondeatur ei dicendo, negatur consequentia, quia licet per contricionem à Deo optineat remissionem peccatorum suorũ, tamen manet obligatus iudicio Sacerdotis, & ideo tenetur Sacerdoti, confiteri propria peccata, ut ab eo audiat sententiam absolutionis, vel retentionis ipsorum peccatorũ iuxta eiusdem iudicium rectum.

376 Q. An ille, qui Ordinatus est Sacerdos possit statim post completam Ordinationem absolvere à peccatis.

℟. Potest absolvere pænitentem ab omnibus peccatis, etiam reservatis, & etiã ab omnibus censuris, si ipse pænitens sit in articulo mortis, sed extra hunc articulum non potest, nisi habeat iurisdictionem Ordinariam, vel delegatam. Circa dicta in hac resp. vide in Indice hæc verba penitentiæ Sacramentum.

377 Q. Quotuplex sit Sacerdotis Evangelici potestas.

℟. Duplex est Sacerdotis Evangelici potestas, scilicet potestas Ordinis, & potestas iurisdictionis; potestas Ordinis est potestas conficiendi Christi corpus, & conferendi Sacramenta. Ordinatur ad verum Christi Corpus; potestas verò iurisdictionis est potestas excommunicandi, absolvendi ab excommunicatione

catione, & à peccatis certos & faciendi alia multa, ut communiter videtur ſpectatq; ad mysticum Christi corpus. quod eſt congregatio fidelium Chriſtianorũ.

378. Q. Quotuplex ſit poteſtas iurisdictionis.

℞. Duplex eſt poteſtas iurisdictionis, ordinaria videlicet, & delegata; ordinaria eſt in eo, cui ex Officio competit; delegata verò eſt in illo, cui ex ſuperioris delegatione, id eſt conceſſione, iuncta eſt.

379 Q. In quo ſit poteſtas Ordinaria iurisdictionis plena.

℞. In Papa, in alijs non plena.

380 Q. Qualem poteſtatem Sacerdos ſimplex habeat.

℞. Simplex Sacerdos habet Ordinariam poteſtatem Ordinis, delegatam verò poteſtatẽ iurisdictionis, ſi ei hæc conceſſa ſit à Superiore; hincq; ſequitur poteſtatem Ordinis ad abſoluendũ à peccatis vocari poteſtatẽ iurisdictionis, quia ab eius uſum iurisdictio aliqua eſt neceſſaria, ut patet expreſſè ex uſu. Sed ipſe ſimplex Sacerdos poteſt abſolvere pænitentes quoſcumq; exiſtentes in articulo mortis, ut ſupra patet,

381 Q. An poteſtas conficiendi Christi corpus ſit Eccleſiaſtica clavis.

℞. Nequaquam.

382 Q. Quæ, & quot ſint Eccleſiaſticæ claves.

Reſp.

℞. Hæ duæ, una est potestas absolvendi à peccatis, altera est potestas interrogandi, & examinandi pænitentem de peccatis eius, qui potest obligari ad manifestandum.

383. Q. An illi qui non sunt Presbyteri Missas celebrantes, & Pænitentiæ Sacramentũ ministrantes ab inquisitoribus Hæreticæ pravitatis sint puniendi.

℞. Maximè,

384 Q. An Clericus non Sacerdos, vel Laicus simulans se Sacerdotio initiatum, si Sacramenta ministret, sit irregularis.

℞. Maximè.

385 Q. An Ordinatio valeat, si in Ordinatione unus Episcopus proferat formam, & alius tradat materiam.

℞. Minimè; sed idem utrumq; præstare debet.

386 Q. An sit irregularis Ordinatus nulliter in casu proximo supra posito.

℞. Nequaquam.

387. Q. An & quando multi simul ordinantur, & Episcopus semel prolata forma in plurali tradit materiã tangendam, sed non omnes simul, sed bini, vel terni eam tangunt, & sic deinceps alij tangunt, ipsam materiã interposito aliquo spatio tẽporis Ordinatio sit valida.

℞. Maximè quia materia, & forma dicuntur esse simul moraliter, quod decisum fuit Romæ in quadam Congregatione, ut refert

 Mar-

Martinus Fornarius de Sacramento Ordinis, cap. 2. & addit seruandam esse Pontificalem rubricam, in qua exprimitur cum traditione materiæ statim proferendam esse formam ijs solùm, qui tangunt materiam eamdem, & postea alijs eodem modo quod tutius est.

388 Q. An, & quando in Ordinatione Episcopus non immediatè, sed mediatè, ut puta per Archidiaconum, aut alium porrigit materiam tangendam ijs, qui Ordinantur, valida sit Ordinatio.

℞. Dubium est ipsam Ordinationem in tali casu esse validam, & propterea Ordinem ità collatum esse iterandum sub conditione dicendo, si non es Ordinatus, accipe potestatem, &c. aut dicendo alia verba iuxta formam propriam adhibendam in ipsa Ordinatione, sed sub ipsa conditione.

389 Q. An sit de necessitate formæ cuiuslibet Sacramenti invocatio Sanctissimæ Trinitatis.

℞. Inuocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia formæ, nisi in Baptismate, & Confirmatione iuxta communem sententiam Doctorum, quia in his solis duobus Sacramentis fit professio fidei.

390. Q. An contactus materiæ in Ordinatione sit de essenia, & de necessitate Sacramenti.

Resp.

℟. Maximè, quia significatur per ipsam formam, & hoc est secundum sententiã communiorem Doctorum; Caietanus tamen, & alij pauci hoc negant.

391 Q. An necesse sit, ut simul sint Mathematicè contactus materiæ, & probatio formæ.

℟. Minimè, sed sufficit, ut sint simul moraliter, quod admittit aliquam paruam temporis moram inter contactum materiæ, &probationem formæ.

392 Q. An adultus recipiat Characterem, si inuitus ordinetur.

℟. Minimè, quia in ipso adulto est necessaria intentio ad hoc, ut Ordinetur.

393 Q. An idem adultus accipiat Ordinẽ, & excusationem illius, si metu coactus etiam graui habuerit voluntatem accipiendi Ordinem ipsum.

℟. Maximè, quia adest intentio, & voluntas accipiendi ipsum Ordinem, quæ quidem intentio eidem sufficit ad Ordinẽ accipiendũ.

394 Q. An Ordinatus metu iusto, qui cadit in virum constantem, si nollit uti Ordine Sacro, prohibeatur ducere uxorem.

℟. Non prohibetur ducere uxorem iuxta sententiam communem.

395 Q. An oporteat eos, qui Ordinibus initiantur esse probatæ vitæ, & in literis sufficienter instructos, & sine peccato mortali, vel saltem contritos. Resp.

℞. Affirmatiuè, sed quoad peccatū mortale tenentur etiam confiteri propter cōmunionem iuxta usum laudabiliter receptum.

396 Q. An qui bona fide Ordinatur, putans se esse rectè dispositum, & contritum de peccato mortali commisso, quamuis verè non ita sit, excusetur à peccato mortali.

℞. Maximè excusatur à peccato mortali, sed hoc verificatur in illis, qui in ordinatione non sumunt Euharistiā, sed si hæc esset sumenda iuxta ritum Ecclesiæ, præmittenda esset confessio Sacramentalis ipsius peccati, quia sic non sufficeret contritio, nisi esset excusatio tunc confitandi propter probabilem timorem reuelationis confessionis, vel propter aliud impedimentum iuxta rectam rationem.

397 Q. An probitas vitæ, sufficientia in litteris, & munditics à peccato mortali sint de necessitate Sacramenti Ordinis.

℞. Non sunt de necessitate ipsius Sacramenti, sed sunt de præcepti necessitate.

398. Q. An ille, qui propter aliquod delictum suspenditur per mensem Februarij anni bissextilis possit celebrare Missam ultima de eiusdem mensis anni bissextilis.

℞. Maximè, quia ipsa ultima die eiusdem mensis anni bissextilis completus est ipse mensis Februarij in primo instanti ipsius ultimæ diei, quia mensis Februarij determinatus à iure intelligitur sine die bissexti.

399 Q. An suscipiens Ordines minores animo ministrandi in illis, & etiam animo uxoris Virginis ducendæ, aliqua culpa inficiatur.

℟. Nullam culpam committit.

400 Q. An filij parentis vilis, seu infamis sint irregulares.

℟. Secundùm Suarez ipsos non esse irregulares, nisi hoc iure exprimatur.

401 Q. An sit de fide Sacramenta collata ab Ecclesia valida esse, si adsint necessaria ad ipsa Sacramenta conficienda, quæ sunt materia forma, & debita intentio Ministri.

℟. Affirmatiuè iuxta assertum à Suarez.

402. Q. An Diaconus in necessitate possit solemniter baptizare ex Parochi, vel Episcopi commissione.

℟. Potest licitè facere hoc in Insulis, vbi pauci Sacerdotes reperiuntur, vt superiùs clariùs dixi.

403. Q. An promotus ad Ordines simoniacè sit excommunicatus, & suspensus ab executione Ordinum sic susceptorum.

℟. Est excommunicatus, & suspensus ab executione ipsorum Ordinum; & absolutio reseruatur Papæ, & præsertim suspensionis post extravagante Sixti Quinti contra malè & simoniacè promotos, quæ in hoc non fuit revocata à Clemente Octauo, excuset tamen ignorantia probabilis facti, id est Simoniæ

ab alio

ab alio commissæ, in fauorem ipsius Ordinati hoc ignorantis.

404. Q. Quam pœnam incurrat ille, qui præsumpserit suscipere Ordinem sacrum sine legitima licentia, vel ante ætatem legitimam, vel extra legitima tempora.

℟. Incurrit suspensionem; vt in Extrauaganti Pij Secundi; & qui Ordinem sic susceptũ solenniter exercuerit, fit irregularis; sed excusat bona fides, & ignorantia inuincibilis facto. Et secundùm Suarez aduerte, quòd quamuis ipsa suspensio non sit contra præsumentes suscipere Ordines minores, tamen Ordinatus minoribus contra ipsum Canonem, non potest licitè vti eisdem minoribus sine sui Ordinarij ratificatione, & est suspendendus. Et circa ipsam suspensionem nota illos, qui litteris subreptitijs, seu falsum exponentibus Ordinantur, incurrere suspensionem; excusat tamen bona fides; vel cùm error litterarum est solùm materialis, vt quando errauit notarius in nomine, in patria, in data, vel in similibus, quæ de substantia non sunt, vt notatur à Suarez. Nota etiam ad incurrendam dictam irregularitatem non sufficere exercere actum ipsius Ordinis in Missa Ordinationis, in qua Ordinatus fuit Ordine maiori; sed quidam contrarium dicunt, & confutantur à Suarez, & ab Henriquez, & alijs.

405 Q. An ille, qui est excommunicatus, suspensus, vel interdictus saltem à receptione Ordinum, si suscipiat Ordines, sit irregularis.

℞. Est irregularis, & similiter est irregularis ille, qui eodem die suscipit Ordines minores, & Subdiaconatum; sed contraria consuetudo ubi est excusat iuxta declarationem Congregationis; sed ille, qui eodẽ die suscipit duos Ordines Sacros est ipso facto suspensus.

406 Q. An furtiuè Ordinatus sit irregularis.

℞. Affirmatiuè.

407 Q. An iterans Ordinem susceptum sit irregularis.

℞. Aliqui Auctores hoc affirmant, aliqui negant.

408. Q. An exercens Ordinem, quem non habet, sit irregularis.

℞. Est irregularis, si exerceat solemniter.

409. Q. An Ordinatus per saltum sit suspensus.

℞. Est suspensus, etiamsi Ordinetur omissis minoribus, & quidem talis non potest suscipere Ordinem prætermissum sine dispensatione, tamen excusat ignorantia probabilis. Adverte autem illum, qui omissa Prima Tonsura Ordinatur, esse irregularem, ut manifestum est per sententiam Sacræ Congregationis Con-

nis Concilij Tridentini, quamvis contrarium videatur ex sententia Theologorum, quia Primam Tonsuram non esse Ordinem tenent iuxta sententiam communem.

410 Q. An ille, qui Ordinatur, antequàm suscipiat Sacramentum Confirmationis, sit irregularis.

℟. Secundum Toletum, & Maiolum est irregularis: At secundùm Nauarrum, Henriquez, Suarez, & multos alios non est irregularis.

411. Q. An ille, qui per realem simoniam promotus est ad aliquam Ordinem, ab eo Ordine, & ab alijs ritè susceptis ipso iure sit suspensus.

℟. Affirmatiuè, sic asseritur à Villadiego, Syluestro, & alijs.

412. Q. An Sacerdos suspensus ob id, quia vel ante ætatem, vel extra tempora promotus est ad Sacerdotium, si in sua Ordinatione cum Episcopo initiante consecret, fiat irregularis.

℟. Non fit irregularis secundum Auilam, & de Conink & hoc videtur valdè probabile, quia moraliter loquendo huius modi actus non exercetur post Ordinationem, quia ipsa Ordinatio moraliter ante finem Missæ non putatur finita.

413. Q. An Ordinatus contra prohibitionem-

nem Episcopi Ordinantis sit irregularis.

℟. Ille, qui Ordinatus est contra prohibitionem Episcopi Ordinantis, qui publicè præcepit, ne qui in albo non descriptus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Ordinetur, efficitur irregularis *cap.* 1. & 2. cum vtrobique not. de eo, qui furtiuè Ordines suscepit.

414. Q. Quid significent Clericales vestes nigri coloris.

℟. Cùm vestes nigri coloris communiter sint in vsu in tristibus, & aduersis, vestes nigræ Clericorum significant Clericos habere displicentiam peccatorum à populo commissorum.

415. Q. Quare vestes nigri coloris Clericorum sint talares, id est oblongæ, ferè vsque ad terram, vel talos.

℟. Quia sic oblongæ significant perseuerantiam in bonis operibus iuxta legem Diuinam.

416. Q. Quid significat superpelliceum album Clericorum.

℟. Cùm sit album, & amplum, significat munditiem castitatis, & amplitudinem, seu magnitudinem Charitatis.

417. Q. Quid significat Amictus.

℟. Significat velamen faciei Christi.

418. Q. Quid significet Alba.

Resp:

℟. Significat vestem, qua Herodes Christum vestiuit, ipsum illudendo.

419. Q. Quod brachium Minister priùs vestiat, quando induit ipsam Albam.

℟. Vestit priùs dextrum, quia motus naturaliter fit à parte dextera in sinistram, & quia creditur, quòd Christi manus dextera priùs affixa fuerit Crucis clauo.

420. Q. Quid significet Cingulum.

℟. Significat funes, quibus Christus ligatus fuit à Iudæis.

421. Q. Quid significet Manipulus.

℟. Significat etiam minimas maculas abstergendas esse per pœnitentiam, sicut per Manipulum, tanquam per sudarium abstergitur vultus.

422. Q. Cur ipse Manipulus ponatur brachio sinistro.

℟. Hoc fit, vt dextera, quæ vim habet maiorem, magis libera, & expedita sit ad munera exercenda; & ligari debet infra cubitum, non autem supra ipsum cubitum.

423. Q. Quid significet stola.

℟. Significat Ornamentum; & indumentum filiorum, non autem seruorum. Ipsa stola dicitur etiam Orarium ab orando, quia in omnibus orationibus, quæ à Sacerdote, & à Diacono fiunt in Ecclesia, adhiberi solet.

424. Q. Quid significet Tunicella.

Respond.

℟. Significat Doctrinam Christi, vndè in veteri lege tintinnabula ex tunica pendebant; vel significat lætitiam & iucunditatem, quæ sequitur perseuerantiam castitatis; & dicta est diminutiuè Tunicella, quia est minor, & strictior, quàm Dalmatica, quæ est Diaconi vestis.

425. Q. Quid significet Dalmatica.

℟. Significat erga proximum lætitiam & charitatem.

426. Q. Quid significet Casula, seu planeta, quæ est vestis Sacerdotalis, quæ superponitur alijs vestibus, & eas tegit.

℟. Significat charitatem, quæ supereminet virtutibus cunctis, & protegit easdem; etiam significat Christi Domini humilitatem in eius passione, quia ipsa casula habet formam potiùs vestis seruilis, quàm regiæ vestis, cùm sit sine manicis, & vtrinque aperta, ante, & retrò Cruce signata; quam quidem humilitatem immitari conueniens est.

AD ORDINES SACROS.

427. Q. An sit conveniens, & laudabile Sacerdotes, & Ministros vti vestibus sacris elaboratis, acu pictis, & pretiosis, cùm imitari conueniat ipsam Christi humilitatem.

℟. Est conueniens, & laudabile Sacerdotes, & Ministros vti in templo vestibus elaboratis, & pretiosis; quia hæc omnia refe-

runtur ad honorem, & gloriam Christi & Ecclesiæ militantis, quæ tamquam Regina dicitur in vestitu deaurato, circumdata varietate, iuxtà Psalm, 44.

428 Q. Quare vestis Sacerdotalis, quæ super ponitur alijs vestibus, dicatur casula,& planeta.

℞. Dicitur casula à cadendo, quia ab vtraque parte, ante & retrò cadit, absque eo, quòd cingatur; & dicitur planeta à planitiæ, vel æqualitate.

429. Q. Cuius coloris vestes Sacerdotales, scilicet manipulus, stola, & casula, esse debeant.

℞. Quinque colores ab Ecclesia adhibentur, scilicet albus, qui significat innocentiam, & iucunditatem; rubeus, qui significat patientiam, & fortitudinem in aduersis; viridis, violaceus, & niger, qui minus de luce participantes, denotant tribulationem, & mortificationem, quam Dei Ministri in hac vita patiuntur.

430. Q. An in solemnitate alicuius festi requirentis colorem album, vel rubrum, liceat vti casula diuersi coloris.

℞. Adhibenda est diligentia, vt semper habeatur casula vnicolor, iuxtà festi occurrentis qualitatem; tamen in necessitate, scilicet quando casula vnicolor ob Ecclesiæ paupertatem

pertatem haberi non poteſt, Sacerdotes adhibere poſſunt Caſulam diverſicolorem.

431. Q. An veſtes Sacerdotales ex veſtibus prophanis, quibus aliqua domina locupletiſſima aliquando induta eſt, fieri poſſint.

℟. Nequaquam, vt in cap. ad nuptiarum, de conſecr. d. 1. & ibi Gloſſa. Et huius ratio eſt, quia ea, quæ Dei cultui dicantur, debent eſſe optima, noua & impolluta.

432. Q. Quid faciendum ſit de veſtibus benedictis, quando ſunt conſumptæ vetuſtate.

℟. Igni ſunt tradendæ, & minimè adhibendæ pro burſis faciendis ad pecuniam & nullo modo ad profanum vſum conuertendæ ſunt, & quando ſunt igne combuſtæ, earum cineres in Sacrario ponantur; ſi autem non ſint omninò conſumptæ, reficientur, dummodò earum forma non mutetur, quia ſi forma mutetur, amittunt benedictionem quam habebant.

433. Q. An, dato caſu neceſſitatis, quod ab aliqua honeſta fæmina acciperentur mantilia pro Miſſa Celabranda, celebrata Miſſa, eadem mantilia reſtitui poſſint, vt ipſis eadē fœmina vtatur, vt priùs vtebatur.

℟. Nequaquam: & ratio eſt quia eadem fœmina ob reuerentiam non debet ampliùs uti iiſdem.

434. Q. an Sacerdos poſſit aliquando celebrare ſine veſtibus Sacris. ℟. Ne-

℟. Nequaquam, nec celebrandum est sine vestibus Sacris ob vitandam mortẽ sed inquit Sà, qui subdit Ecclesiam cum tanto periculo non obligare,

435. Q. An purificatoria benedici debeant.

℟. Hoc non est in usu; sed vtique palla, & Corporale sunt benedicenda.

436. Q. Quid significet Almutia, qua Canonici vtuntur.

℟. Significat restrictionem affectionis rerum mundanarum, sicut animalis mortui pellibus, ex quibus ipsa Almutia fit, nullus est sensus.

437. Q. Qui ritus servandi sint in Missa celebranda.

℟. Ritus in Missali Romano expressi,

438 Q. Quæ vestes, vasa, & alia in Missæ celebratione adhibenda sint.

℟. Ea, quæ assignantur in Rubricis, & in expressione rituum Missalis Romani.

439. Q. Quando Calix, & patena consecrationem amittant.

℟. Quando interior deauratio est consumpta, ita in praxi seruatur, quia quando calix de novo intùs deauratur, semper solet denuò consecrari.

440. Q. An quando de nouo Calix deauratus est, & manibus prophanis tactus; & postea non est consecratus idem Calix, vinum

um in eo consecrari possit absque eo, quòd de novo ipse Calix consecretur.

℟. Vinum potest consecrari in eo, sed idem calix aqua saltem communi priùs est luandus, quia adest nonnullorum probabilis opinio, quòd Calix non amittat consecrationem, quamvis interior deauratio sit consumpta; quia totus Calix, & patena sunt consecrata; vndè quamdiu durat forma Calicis, & patenæ, tamdiù remanet consecratio secundùm hanc probabilem opinionem, propter quam ipse Calix convenienter lavatur, vt nullum scandalum oriatur.

441. Q. An dato casu, quòd Calix si tornatilis, cuius pes à cupa separari possit, ipse Calix amiserit consecrationem, sit actu cupa separata sit à pede.

℟. Aliqui negant, aliqui verò affirmant ipsum Calicem amittere consecrationem in hoc casù, & ambæ sunt probabiles opiniones, & ideò quælibet istarum teneri potest.

442. Q. Quid Sacerdos agere debeat ad Altare, si non habeat pallam ad cooperiendum, & discooperiendum Calicem, nec possit habere.

℟. In hoc casu debet cooperire Calicem vna parte corporalis.

443. Q. Quomodo ille, qui est aliquo Ordine Sacro Ordinatus, pallas, corporalia, & purificatoria lauare debat

℞. Debet lauare ea aqua naturali calida, vel frigida; & sufficit, si saltem semel ab ipsa aqua extrahat eadem, deindè ipsamet honestioribus fœminis lauanda tradere potest; & advertat, vt aquam, in qua ipsemet ea lavit, in Sacrarium proijciat.

444. Q. An pallæ, corporalia, & purificatoria, postquam facta fuerint munda, & alba, indigeant nova benedictione.

℞. Non.

445. Q. An suscipiens Ordinem Sacrum teneatur servare solemne votum castitatis, quamvis non voveat expressè ipsam castitatem.

℞. Maximè, quia à Statuto Ecclesiæ Latinæ, & sic à iure humano compellitur seruare ipsum votum, quod quidem votum suscipiendo voluntariè Ordinem Sacrum, implicitè emittit, cùm clarè sciat Ordine Sacro teneri seruare votum castitatis, & tamen velit suscipere eundem Ordinem Sacrum; & per ipsum votum fit inhabilis matrimonio futuro, iuxta c. vnic. de voto lib. 6.

446. Q. An Ordinatus Ordine Sacro invitus metu cadente in virum constantem (qui quidem metus cadens in talem virum est metus gravis, probabilis, & iustus de re gravi saltem putatiua, seu apparente) si, cessante ipso metu, semel tantùm suscepto Ordine utatur

tur spontè, per illum actum ratificet susceptum Ordinem, & ad castitatem servandam, Horasque recitandas teneatur.

℟. Maximè ratificat ipsum Ordinem & tenetur, si fuerit initiatus, antequam Matrimonium ab ipso contrahatur: Sed si nolit in Ordine ipso, non tenetur ad castitatem servandam, & ad Horas recitandas.

447. Q. An infans carens usu rationis Ordinatus Ordine Sacro, teneatur ad votum castitatis observandum.

℟. Non tenetur ad ipsum votum castitatis, nisi post quartumdecimum annum completum ratificet idem votum, cognita voti obligatione; & ratificare censetur, si suæ libertatis conscius, actum suscepti Ordinis exerceat spontè.

448. Q. An impuberes doli capaces, si intelligentes initientur Ordine sacro, contrahant continentiæ obligationem.

℟. Maxime, quia liberè, & voluntariè censentur ordinari Ordine sacro.

449. Q. An in primitiva Ecclesia permittebatur, quòd nedum Subdiaconi, & Diaconi, sed etiam Presbyteri vxores haberent.

℟. Maximè, quia exordio nascentis Ecclesiæ pauci erant fideles, & Ministri Domini nostri sed etiam oppositum probabile saltem quo ad usum Matrimonij.

450. Q. An Ordinati in Sacris teneantur seruare castitatem ex vi voti, an solo Ecclesiæ Statuto.

℟. Tenentur seruare castitatem etiam ex vi voti, quia ipsum votum implicitè emiserunt, ut sup. patet in respons. ad quæsit. 445.

451. Q. An Sacris initiatus ignorans, sicut ante ignorabat, hoc votum castitatis esse adnexum Ordini sacro, ita ut si antea sciuisset, non recepisset illum Ordinem, teneatur seruare castitatem.

℟. Tenetur, quia ille, qui vult aliquid, cum quo aliud necessariò est coniunctum, utrumque debet necessariò velle.

452. Q. An qui recipit Ordinem sacrum cum expressa intentione non se obligandi ad votum castitatis, peccet mortaliter, & ad ipsum votum teneatur.

℟. Tenetur, & peccat, quia volens suscipere eundem Ordinem sacrum cum tali intentione malignè procedit contra Ecclesiæ statutũ.

453. Q. An Ordinatus inuitus suscipiat characterem.

℟. Si ille sit Ordinatus inuitus simpliciter, & absolutè, non recipit characterem, quia sic Ordinatus est mediante violentia, quæ est vis absoluta, & nullam omninò admittit voluntatem eius, contra quem fit, & definitur, quòd sit impetus, qui repelli non potest, vt eueniret

veniret, si quis Ordinaretur mediantibus hominibus fortibus, qui duxerint Ordinandum validis viribus ad Ordinationem; Si verò sit Ordinatus inuitus condicionatè, di est, volens, per metum tantum susciperet characterem, qui sic Ordinatus est mediante metu, qui est vis conditionata habens aliquid de voluntario, ut si alicui proponatur mors, si nolit suscipere Ordinem, quem potiùs eligit suscipere, quàm pati pœnam mortis, & ad Ordinis validitatem sufficit aliqua voluntas absoluta, siue voluntas conditionata: hincque est, vt si metus cadens in virum constantem cesset, sic Ordinatus Ordine sacro teneatur ad votum solemne castitatis obseruandum, vt dictum est supra.

454. Q. Quare Ordinatus per metum cadentem in virum constantem suscipiat characterem, & sic Ordo collatus per ipsum metum teneat, & validus sit, cùm matrimonium contractum per metum non teneat.

℟. Quòd non est par ratio de Ordine, & de matrimonio, quia matrimonium est Sacramentum, & contractus habens vim ex solo libero consensu, sed Ordo Ecclesiasticus est Sacramentum, & non dicitur contractus.

455. Q. Quare metus grauis, probabilis, & iustus de re gravi, dicatur metus cadens in constantem virum, & non in mulierem constantem.

℟. Quia mulier, & non vir ut plurimum metuit etiam pœnas leves.

456. Q. An quis ad accipiendum Ordinem compelli possit.

℟. Non potest compelli ad Ordinem suscipientium, nisi beneficium obtinuerit Ecclesiasticum, propter quod tenetur ordinari: Et tempore pestis, si summa sit necessitas Sacerdotum, illi, qui prudentia, & pietate sunt insignes, ad suscipiendos Ordines cogi possunt, seu potiùs debent induci ad ipsos suscipiendos.

457. Q. An dormiens, si Ordinetur, validè Ordinetur.

℟. Dormiens non ordinatur validè, nisi puer & infans sit, qui quidem infans dormiens est similis sibi vigilatur quòad carere vsu rationis; quia tam vigilans, quàm dormiens caret vsu rationis, & in ipso infante imprimitur character, si ordinetur etiam Presbyteratu, quia intentio Ecclesiæ sufficit in ipso infante, in quo etiam dicitur esse intentio interpretatiuè, cùm voluntas ipsius non repugnet ad Ordines accipiendos.

458. Q. An ille, qui in sua infantia Ordinatus est, si eligat matrimonium post adventum usu rationis, ab usu Ordinum sit suspensus.

℟. Maximè, & matrimonium tenet;

459 Q. An ille, qui Sacris initiatus de facto contraheret Matrimonium, esset ipso facto excomonicatus, & irregularis, etiam si Matrimonium ipsum non consumaret.

℟. Maximè.

460. Q. Quid dicendum sit, siquis post contractum, Sacris Ordinibus initietur.

℟. Dicendum est, quòd per Ordinem Sacrum Matrimonium non dissolvitur, si fuerit sit ratum, & non consummatum, siue sit non solùm ratum, sed etiam consummatum; sed primo modo, scilicet quando est ratum, & non consummatum, dissoluitur per ingressum id est professionem Religionis. Si autem post consummatum Matrimonium de consensu vxoris Ordinetur, vterq; remanet priuatus iure petendi, & reddendi debitum; si verò sine consensu vxoris, & ipsa reluctante Ordinetur, potest vxor virum suum repetere, quia ius suum non amisit, & vir restitutus, tenebitur debitum solvere, non tamen petere, quia ipse per votum adnexum Ordini Sacro suscepto amisit ius petendi debitum ipsũ.

461 Q. Quare Matrimonium ratum, sed non consummatum dissoluatur per ingressum Religionis, sed non per susceptionem Ordinis Sacri.

℟. Quia professio in Religione est quæ-

dam mors civilis, propter quod quis renunciat bonis temporalibus sed Sacra Ordinatio non est talis. Ita Henriquez affirmat iuxta sententiam communem.

462. Q. Quod peccata committat Ordinatus Ordine Sacro, si incidat in fornicationem, quod Deus non permittere dignetur.

℟. Committit duo paccata, quia talis actus peccaminosus procedit ex duplici deformitate contra duplex præceptum, scilicet contra præceptum Decalogi 6tum, quod est præceptum Divinum, & contra præceptum voti; seu dicitur, quòd committit unum peccatum æquipollens, seu æquivalens duobus peccatis; quia habet duas deformitates, quarum prima est contra præceptum Divinum, altera verò est contra præceptum voti, quod quidem voti præceptum ab Ecclesia statutum fuit.

463. Q. Quibus mediantibus Castitas servari possit.

℟. Castitas servari potest mediantibus humilitate, abstinentia, sobrietate, ieiunijs, custodia sensuum, oratione, & alijs exercitijs Christianis.

464. Q. An promotus ad Ordinem Sacrũ teneatur non solum seruare Castitatem, sed etiam recitare horas Canonicas iuxta ritum suæ Ecclesiæ, & gestare habitum, & Tonsuram Clericalem sub mortali.

℟.

℟. Affirmatiuè.

365. Q. an etiam in minoribus Ordinibus constituti teneantur recitare horas Canonicas iuxta ritum suæ Ecclesiæ, & gestare habitum, & Tonsuram Clericalem.

℟. Tenentur si habeant beneficium, peccantq; mortaliter, si temerè, & sine rationabili causa omittant recitare ipsas horas, & gestare ipsum habitum, & Tonsuram; ipsi autem minoribus initiati, si non habeant beneficium ad ipsa non tenentur.

466. Q. à quo oriatur obligatio ad recitandas horas Canonicas ratione Ordinis Sacri.

℟. Aliqui dicunt, quòd oritur ex beneficio Ecclesiastico adepto, ex professione Religionis, & ex Ordine Sacro; sed Suarez, Lessius, Azorius, Reginaldus, & alij asserunt, quòd oritur ex Ecclesiæ consuetudine veteri, & generali.

467. Q. An initiatus Ordine Sacro metu cadente in virum constantem teneatur ad horas Canonicas recitandas.

℟. Non tenetur, nisi post metum ratificet intentionem, seu voluntatem, quam habuit, accipiendi ipsum Ordinem Sacrum.

468. Q. Quot sint horæ Canonicæ officij quotidiè recitandi.

℟. Septem, scilicet Matutinum cum Laudibus,

dibus, non autem sine Laudibus, ut asserunt illi, qui dicunt Laudes officij esse vnam horam Canonicam distinctam ab alijs, & Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium.

469. Q. Quomodo terminare debeat officium ille, cui contingit diuidere Matutinum à Laudibus propter aliquam occasionem;

℟. Debet terminare illud cum versiculo, Dominus vobiscum, & cum oratione, quæ convenit ipsi officio, & cum Pater noster, quod, quando rursus inchoat officium, quod remansit dicendum, præmittere debet.

470 Q. Cur horæ Canonicæ sint septem;

℟. Propter memoriam septem dierum, quibus Deus res Mundi creauit, vel propter Redemptionis nostræ mysteria temporibus ipsarum horarum operata, quia media nocte, cui respondet Matutinum cum Laudibus, Christus natus est, & resurrexit. Hora Prima ductus fuit ad Pilatum, Tertia linguis Iudæorum crucifixus, flagellis cæsus, & spinis coronatus fuit. Sexta veré Cruci affixus, & Nona expirauit, & ad inferos descendit. Vespertina de Cruce depositus fuit, sicut etiam eadem hora cœnavit, pedes lavit, Eucharistiam confecit. Hora Completorij orauit in horto. Hæc ait Gavantus cap. 3.

471. Q. Quare Divinum officium horæ Canonicæ dictum sit.

℟. Quia Ecclesia divisit tempus diei in partes septem, quibus personæ Ecclesiasticæ tenentur Deum laudare, & pro peccatis populorum eumdem orare. Dicuntur autem Canonicæ, quia ab eodem Matre nostra Ecclesia rectè regulatæ, & approbatæ sunt Canoni enim & regula sunt idem.

472. Q. Quo iure Ordinatus Ordine Sacro teneatur recitare Officium Divinum.

℟. Non Divino iure, sed iure Canonico, & consequenter humano iuxta opinionem communiorem, & ex illo dicto Divinæ scripturæ; Septies in die laudem dixi tibi, ut in Psalmo 118. non sequitur esse concludendum Officij Divini recitationem esse de iure Divino, quia Rex David dixit ipso Psalmo, quòd septies laudem dixit, non tamen lex posita est de sic laudando Deo.

473. Q. An obligatus ad Divinum Officium recitandum ratione Ordinis Sacri peccet mortaliter omittendo ipsum Officium Divinum.

℟. Maxime, nisi habeat aliquam iustam excusationem, quia in re gravi delinquit, & contra Ecclesiasticum præceptum.

474. Q. An obligatus ad recitandum Officium Divinum, peccet mortaliter, si omittat unam horam Canonicam.

℟. Peccat, quia magnam partem officij omittit, & ideò mortaliter peccat etiam ille, qu ommittit unum Psalmum longiorem.

475. Q. An obligatus ad Divinum Officium recitandum committat unum solum peccatum mortale, si omittat omnes septem horas Canonicas vnius diei, cum unum peccatum mortale committatur ab eo, qui relinquit vnam horam Canonicam.

℟. Committit unum solum peccatum mortale, quia contra unum præceptum de integro officio persolvendo ex septem horis constante peccat, sed hoc unum peccatum est æquipollens, siue æquivalens septem peccatis mortalibus, quæ committerentur ab eo, qui ad singulas horas renovaret intentionem non recitandi ipsum Officium Divinum.

476. Q. Quod peccata committat ille, qui tenetur recitare Officium Divinum ratione beneficij, & Ordinis, si omittat ipsum officium Divinum.

℟. Committit duo paccata, quia facit duplicem deformitatem, unam contra Religionem ratione Ordinis, alteram contra iustitiam ratione beneficij, & tenetur exprimere utramque; in confessione, & restituere fructus perceptos illius diei pauperibus, quatenus omisit officium ratione beneficij. Ita asserit Navar. c. 25. n. 22.

477. Q. Quod peccata committant Regulares sacris initiati omittentes Officium Diuinum.

℟. Committunt unum tantùm paccatum, quia licèt duplici titulo teneantur, vt aliqui dicunt, scilicet titulo professionis, Ordinis Sacri suscepti, tamen peccata non multiplicantur numero ex diversitate præceptorum, nisi ea præcepta pertineant ad diversas virtutes; sicut multiplicarentur peccata, si violaretur ieiunium, quod aliquis deberet observare non solùm ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam ex voto ab eodem facto; sed in casu proposito duo præcepta ad unum cultum Deo debitum spectant, & propterea vnum peccatum committitur à transgressore.

478. Q. An Sacris initiatus præter dictas horas Canonicas teneatur ad recitandum officium defunctorum, Psalmos Graduales, Pœnitentiales, & Officium parvum B. V. M.

℟. Non tenetur sub mortali recitare ea, nisi quando expresè præcipitur, vt in die commemorationis omnium defunctorum, & idem dicendum est de Litanijs in Rogationibus, & festo S. Marci; & ratio dictorum est, quia Pius V. liberauit omnes à tali obligatione, sed ille, qui recitabit ipsa officia, & Psalmos Indulgentiam consequetur, & circa hoc vide Bullam Pij V. ante Breviarium.

479 Q. Quod ſint caſus, in quibus ſacris initiati excuſantur à Diuino officio perſoluendo.

℞. Septem: primus eſt, ſi obtenta ſit diſpenſatio à Summo Pontifice; ſecundus eſt, ſi adſit occupatio neceſſaria qua quis neceſſario per longum tempus detinetur, quod non ſupereſt ad recitandum; tertius eſt, ſi aliquis cæcus ſit; quartus eſt, ſi adſit grauis infirmitas corporis iudicio medici, ſeu alterius intelligentis, & prudentis; quintus, ſi adſit carentia Breviarij; ſextus, ſi aliquis propter violentiam ei factam non poſſit recitare Officium; & ſeptimus eſt, ſi adſit metu mortis ſi recitet.

480. Q. An Epiſcopus ſuis ſubditis, & Superior Religioſus in ſua Religione Religioſis ſuis ſubditis diſpenſare poſſit, ut ſint liberi à recitatione officij Divini.

℞. Epiſcopus ſuis ſubditis non poteſt ſic diſpenſare, ita inquit Navar. c. 11. de oratione num. 24. Sed Superior Regularis poteſt diſpenſare Religioſis non in Sacris ſibi ſubditis ex cauſa ſtudiorum, ut ſint liberi à recitatione officij Divini, quia poteſt in legibus Religionis diſpenſare, quod verum eſt de Superiore ſupremo in ſua Religione, ſic ait Gavantus ex Leſſio, & Bonac.

481. Q. An cæcus aliquam partem officij

memoria

memoria tenens obligatus sit ad illam partem recitandam; & surdus teneatur recitare totum officium Divinum.

℟. Cæcus tenetur recitare illam partem officij, quod multo magis verificatur si habeat socium, cum quo illam partem recitare possit. Surdus autem tenetur solus recitare totum officium, quia socium audire non potest.

483. Q. An, dato casu, quod obligatus ad Divinum officium, per soluendum; seu recitandum sciens, & volens Breviarium proijciat, ipse excusetur ab officio persolvendo.

℟. Excusatur eo tempore, quo nullatenus Breviarium habere potest; sed quando proiecit Breviarium, commisit unum peccatum mortale æquipollens, seu æquivalens tot peccatis mortalibus, quot fuerunt omissiones futuræ, quia voluntariæ fuerunt, quatenus fuerunt moraliter prævisæ, & quamvis postea ob impotentiam recitandi novam culpam non committat, tamen quo ad quantitatem omissionis potest obligari ad restitutionem, si ratione beneficij teneatur ad officium recitandum.

483. Q. An Clericus Sacris initiatus, si excommunicatus sit, teneatur dicere Canonicas horas.

Resp.

℟. Tenetur solus dicere eas, quia non potest adesse cum alijs in Choro, in quo si canat tanquàm hebdomadarius cum versiculo, Dominus vobiscum, incurrit irregularitatem, quia operatur, ut Minister ex officio; sed non fit irregularis, si canat tanquàm unus de Choro, quia sic non diceret ipsum versiculum, Dominus vobiscum. Et Suarez dicit, quòd si Sacerdos sit excommunicatus, debet dicere, Domine exaudi orationem meam, loco, Dominus vobiscum, quia incurreret irregularitatem, si diceret Dominus vobiscum, nisi excusaretur à culpa, quod esset, si nolens dicere, Dominus vobiscum, tamen inadvertenter dicat propter habitum dicendi.

484. Q. Quale officium sit recitandum.

℟. Officium Romanum recitandum est iuxta formam, & ritum, quod quilibet Episcopus mandat recitari in sua Diœcesi; quidam tamen Regulares possunt recitare officium iuxta privilegia obtenta à sua Religione.

485. Q. An sit peccatum mortale recitare officium pro officio, ut si dicendum sit de feria, dicatur de Sancto, aut è contra.

℟. Si dicatur officium pro officio inadvertenter, non committitur peccatum mortale, & verè fit satisfactio obligationi recitandi officium Divinum, & hoc evenit, si exempli gratia quis dicat officium de Sancto credens hoc

hoc officium currere ipsa die, qua ipsum recitat, licèt currat officium de feria, substantia enim præcepti de recitando officio consistit in hoc, quòd Canonicæ horæ dicantur, non in qualitate, aut ordine, ut inquit Caietanus in summa; sed si dicitur officium pro officio advertendo officium, quod dicitur, eodem die non currere, sit peccatum mortale, quia adest quidam contemptus contra Rubricas ab Ecclesia assignatas, sed si officium currens non inveniretur in Breviario, etiam tunc adesset excusatio ipsum dicendi; & aliud dici posset, ut evenit, quando inadvertenter dicitur officium pro officio, ut supra dictum est; & etiam quotiescumque similiter malitia non adesset. Lessius autem l. 2. cap. 37. N. 72. nimis latam opinionem habet circa hoc; inquit enim, quòd non est peccatum mortale dicere officium pro officio, nisi quando aliquis officium breve Paschatis ex industria quotidie recitare velit.

486. Q. Quale Calendarium adhibere debeant Ordinati ad titulum patrimonij carentes beneficio, & quale peregrini, & quale habitantes extrà Diœcesim circa officij qualitatem.

℞. Ordinati ad titulum patrimonij carentes beneficio possunt recitare officium secundùm Kalendarium Rom. quia nulli Ecclesiæ,

 nisi

nisi Romanæ, quæ est Mater omnium Ecclesiarum, adscripti sunt; sed melius erit, si se conformaverint Ecclesiæ illi, cui subditi sunt eo tempore, quo officium recitare debent. Paregrini autem tenentur servare suarum Ecclesiarum ritum, non autem ritum locorum, per quos transeunt. Scholares autem secundùm aliquos, in loco studiorum possunt eligere ritum loci, in quo habitant, aut loci beneficij, si beneficium habeant simplex, aut Curatum.

487. Q. Quem ritum servare debeant in officij qualitate illi, qui habent duo beneficia in duabus Ecclesijs ut Canonici qui titulum habent etiam in Ecclesijs Parochialibus.

℞. Tenentur recitare Officium secundùm ritum loci beneficij, ubi habent residentiam, ut tali Ecclesiæ inserviatur, & hoc iuxta Divi Thomæ assertum.

488. Q. Quam formam, seu ritum servare debeat in recitando Officio Divino ille, qui habet in vna Ecclesia digniorem gradum, quàm in alia; aut in utraque æqualem gradum.

℞. Tenetur recitare Officium iuxtá formam Ecclesiæ, in qua habet gradum maiorem; si autem habeat æqualem in utraque, potest eligere formam ad libitum sui, ut à D. Thoma affirmatur.

489 Q. An poſſit recitari Officium de Sancto, cuius Reliquia in Eccleſia habetur.
℞. Poteſt, ſi Reliquia ſit inſignis, quale eſt corpus, vel caput, vel brachium, aut ea pars, in qua paſſus eſt Martyr tali die, dummodò parva non ſit, iuxta aſſertum à Sacra Congregatione ſed ſolùm à Clericis eius Eccleſiæ.
500. Q. Quem ritum adhibere debeat Capellanus Epiſcopi in Officio recitando cum eodem.
℞. Iuxtà aſſertum à Sacra Congregatione debet ſe conformare Epiſcopo, cui inſervit.
501. Q. Quem ritum ſervare debeat in recitando officio ille, qui adſcriptus eſt alicui Eccleſiæ, & in alio loco moratur.
℞. Ille tenetur recitare officium proprium, quod in Choro ipſius Eccleſiæ dicitur, ſi de eiuſdem Eccleſiæ gremio ſit, & Choro ſit obligatus, etiam ſi extra Diœceſim moretur: ita Sacra Cangregatio declaravit.
502. Q. Quæ intentio ſit neceſſaria in recitando officio Divino.
℞. Actualis, ſeu implicita, vel virtualis orandi Deum iuxta obligationem.
503. Q. An peccet ille, qui recitat officium principaliter propter lucrum diſtributionum temporalium, aut propter timorem pœnarũ, ne ſcilicet punctetur, aut alio modo puniatur à Superiore.
 Reſ

℟. Peccat utique secundùm Navar: de oratione, quia finis principalis ipsius sic recitantis est acceptio boni temporalis, vel liberatio à pœna temporali,

405. Q. An in recitando officio Divino sit necessaria attentio, & quæ sit.

℟. Affirmativè, ipsaquè attentio duplex est, scilicet externa, & interna; attentio externa consistit in corporis compositione, & abstinentia à longa scriptione, &c. attentio verò interna est consistens in advertendo eo, quod fit, ita ut ad sit saltem advertentia virtualis.

406. Q. Quid sit attentio virtualis.

℟. Est advertentia fundata in virtute prioris attentionis actualis paulò ante habitæ, & non interruptæ per contrariam intentionem non ampliùs attendendi, seu advertendi ad illud, quod priùs aliquis facere volebat.

407. Q. Ad quæ recitans Divinum officium, attendere debeat.

℟. Primò ad verba: Secundò ad sensum litteralem verborum: Tertiò ad præsentiam Dei: Quartò ad aliquod mysterium fidei nostræ; & nequaquàm est necessaria attentio ad omnia supradicta, sed sufficit attentio ad aliquod dictorum.

408. Q. An peccat mortaliter, nec satisfaciat obligationi ille, qui nec actuali, nec virtua-

virtuali attentione recitat Officium Divinum.

℟. Peccat mortaliter, & nequaquam satisfacit obligationi suæ, quia evanuit etiam intentio actualis, & virtualis attendendi.

409. Q. An satisfaciat suæ obligationi ille, qui recitat Officium Divinum audiendo Missam.

℟. Satisfacit secundùm Navarr. & alios, quia recitare Officium Divinum, & audire Missam diriguntur ad cultum Divinum, quod etiam verificatur, etiamsi audiatur Missa præcepta.

510. Q. An satisfaciat suæ obligationi ille, qui simul cum socio recitat Officium Divinum.

℟. Satisfacit, etiamsi recitet cum pluribus, dummodò recitet ad duos Choros, quia si adessent tres, seu plures Chori, & singuli suum versiculum recitarent, non sufficeret ad satisfaciendum, quia Ecclesia nostra militans debet se conformare cum Ecclesia triumphante, ubi duo Seraphim clamant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, &c.

511. Q. An obligati ad Divinum officium recitandum satisfaciant suæ obligationi, si recitent sola mente.

℟. Nequaquam satisfaciunt, quia debent ita recitare ipsum officium vt alij possint cognoscere ipsos orare pro se, & pro omnibus fideli-

fidelibus, quia obligati ad recitandum officium vivunt sumptibus multorum, quos ideo iustum est posse cognoscere etiam pro se ipsis orationis fieri, quia ab hac cognitione excitari possunt ad actus virtutum: quæ quidem cognitio orationum sola vocali oratione mediante faciliter haberi potest quo ad potentiam humanam.

503. Q. An quanta voce officium privatim sit recitandum.

℟. Tanta voce, quanta possit audiri à valdè proximis circumstantibus remoto impedimento, vt est illa, quæ fit à celebrante dicendo secreta in Missa.

504. Q. An ille, qui in recitando Officio syncopizat, obtruncat, corrumpit, aut mutilat vocabula, peccet, & satisfaciat suæ obligationi.

℟. Si naturali vitio linguæ hæc faciat, satisfacit, & nullum peccatum committit; si verò hoc faciat ex prava consuetudine, & magnam partem Officij sic deglutiat, & corrumpat, peccat mortaliter, quia sic minimè satisfacit.

505. Q. Qua hora officium Divinum recitari possit.

℟. Officium Divinum privata recitatione à puncto mediæ noctis antecedentis diei usque ad punctum mediæ noctis sequentis diei

recitari potest: Et impletur præceptum, si recitetur Officium hoc tempore, quo ad substantiam ipsius præcepti de Officio recitando.

505. Q. Qua hora possit recitari Matutinum diei proximi venturi.

℟. Iuxta consvetudinem ubiquè receptam Matutinum cum Laudibus hyeme recitari potest duabus horis sed in æstate ante occasum, id est antecedentis diei, &multi tenēt tribus horis posse recitari statim, postquam Sol incæpit distare à meridie ipsius antecedentis diei. Sed ipsis temporibus non licet recitare Primam, & Tertiam publicè quia de hoc non est consvetudo.

506. Q. An peccet ille, qui non recitat Vesperas ante prandium tempore Quadragesimæ, ut in rubricis est expressum.

℟. Non si recitet privatim, neque peccat, si non flectat genua ad preces, quas Breviarium dicendas esse genibus flexis exprimit, si absit contemptus, & Officium recitetur extra Chorum privatim. In Choro autem Officium celebrandum est modis, & horis determinatis iuxta Breviarij Rubricas.

507. Q. An peccent mortaliter illi, qui Sacris initiati sunt, exercent solemniter munera sua ad Altare, Epistolam, aut Evangelium cantando, aut Missam celebrando ante recitationem Matutini.

 Resp.

℟. Non iuxta communem opinionem Auctorum modernorum.

508. Q. Vbi divinum Officium sit celebrandum.

℟. Divinum Officium in Ecclesia, & in Choro est celebrandum ab his, qui Choro obligati sunt, & hoc ex iustitia iuxta institutionem beneficiorum, & consuetudinem locorum, & non sufficit, si celebrent in Sacristia tempore hyemis sine privilegio Summi Pontificis, vel summa necessitate: sed illi, qui ad Chorum non tenentur, ubique, dummodò locus sit honestus, Officium celebrare possunt.

509. Q. An peccet ille, qui permutat ordinem Horarum, ut si dicat Vesperas ante Primam.

℟. Nullum committit peccatum, si hoc faciat ex iusta causa, & secluso scandalo, & contemptu; sed si hoc faciat sine iusta causa, peccat solùm venialiter, sed si ad sit scandalum, vel contemptus, mortaliter peccat.

510. Q. An peccet ille, qui interrumpit Divinum Officium, ut si dividat Nocturnum à Nocturno, vel Horam, vel Psalmum.

℟. Ipse interrumpens nullum committit peccatum, neque vllam habet obligationem repetendi, si interrumpat ex aliquia iusta causa animo continuandi, & privatim recitet;

tet; sed si interrumpat sine iusta causa, peccat venialiter, sed non obligatur ad repetendum.

512. Q. Quam vestem Ordinati Ordinibus sacris debent deferre.

℟. Tenentur deferre vestem talarem nigri coloris; aliquid tamen sunt, quibus conceditur, ut induant vestem talarem violacei coloris, Vestes adhibendæ ab Ecclesiasticis.

513. Q. An aliquibus concedatur, ut induant vestem, quæ non sit talaris, sed sit vsque ad medium crucis; non tamen supra ipsum medium crucis.

℟. Id conceditur peregrinis, & Clericis ruralibus ubi hic est mos.

514. Q. An sola vestis talaris nigri coloris sufficiat pro habitu Clericorum,

℟. Nequaquam sufficit, sed etiam requiritur corona in summitate capitis, quia hæc est substantialis in habitu Clericali, & reliqua sunt adhibenda concomitanter, & concomitantia vocantur. Habentibus autem calvitiem, sufficit ipsa calvities loco dictæ coronæ.

515. Q. An simplices Sacerdotes peccent annulum deferentes.

℟. Peccant, quia faciunt contra Canones cap. Clerici, de vita, & honest. Cleric. & ostendunt vanitatem, lasciviam, & præ-

sumptio

ſumptionem, ut à Summiſtis affirmatur quoad ipſos ſimplices Sacerdotes.

516. Q. An Clerici Sacris initiati teneantur ſub mortali deferre habitum, & Tonſuram.

℟. Tenentur ſub mortali deferre habitum, & Tonſuram, & ſine his longo tempore incedentes ſaperent Apoſtaſiam. Domi autem, & in occulto habitum dimittentes non peccant.

517. Q. Quanta debeat eſſe Tonſura in Sacris initiatis.

℟. In habentibus primam Tonſuram, & Ordines minores ipſa Tonſura debet habere tantam latitudinem, quantam habet particula vulgo vocata Communicans, & debet fieri maior, quanto maiores Ordines ſuſcipiuntur ut ſupra dictum fuit

518. Q. Quando Clerici ab habitu, & Tonſura deferendis excuſentur.

℟. Excuſantur ob iuſtam cauſam timoris vitæ, vel alterius damni gravis, ut ſunt illi, qui inter hæreticos vivere, vel per eorum loca tranſire coacti ſunt; itemquè excuſantur propter aliquam gravem infirmitatem corporalem.

519. Q. An Clerici initiati larvam induentes tempore Baccanaliorum mortaliter peccent.

℟. Secundum Vivald. c. 14. n. 48. de larvarum

varum usu, peccant mortaliter in his casibus. Primò si utantur larvis ob aliquod scelus perpetrandum; Secundò si vtantur eis cum periculo probabili incidendi in mortale; Tertiò, si ex deferendo larvam scandalum oriatur.

520. Q. Quid sit scandalum.

℟. Est dictum, vel factum minus rectum præbens alijs occasionem ruinæ.

521. Q. An sit quid indignum, ut Clerici nutriant comam.

℟. Est utiquè res indigna, quæ de Christi Ministris excogitetur, sic a Navar. affirmatur.

522. Q. Quæ ætas requiratur ad suscipiendam Primam Tonsuram, & ad suscipiendos Ordines minores, & maiores, & Episcopatum.

℟. Requiritur ætas legitima, scilicet ad suscipiendam Primam Tonsuram requiritur ætas septem annorum completorum. Ad suscipiendos Ordines minores requiritur ætas annorum quatuordecim, aut minus ad arbitrium Ordinarij. Ad suscipiendum Subdiaconatum requiritur ætas viginti unius anni completi. Ad suscipiendum Diaconatum requiritur ætas vigintiduorum annorum completorum. Ad Sacerdotium suscipiendum re-requiritur ætas vigintiquatuor annorum similiter completorum; ex quibus patet Con

cilij

cilij Tridentini Decretum in capitulo duodecimo, Sessionis vigesimæ tertia contentum, in quo asseritur Subdiaconatum ante annum 22. Diaconatum ante 23. & Presbyteratum ante 25. annum ætatis naturalis non esse suscipiendos, intelligi de ipsis annis vigesimo secundo, vigesimo tertio, & vigesimo quinto saltem incæptis. Ad suscipiendum autem Episcopatum requiritur trigesimus annus completus.

523 Q. An Ordinandus debeat habere legitimam ætatem de necessitate Sacramenti Ordinis.

℟. Debet habere legitimam ætatem de necessitate præcepti, non autem de necessitate ipsius Sacramenti.

524 Q. An conferre, aut suscipere Ordines citra ætatem à iure præscriptam sit mortale lethale.

℟. Ita quia adest contempus contra legẽ.

525 Q. An initium ætatis Ordinandorũ computetur à tempore suscepti Baptismi.

℟. Non sed initium sumendum est à tempore nativitatis ex vtero iuxta Concilium Tridentinum.

526. Q. An fœtus vivus ex secto Matris utero extractus, censeatur natus eo tempore, quo extractus fuit ex ipso utero Matris adeo ut initium ætatis ipsius fœtus si Ordinandus

nundus ſit, computetur à tempore ipſius nativitatis violentæ ex vtero Matris.

℞. Ita cùm ipſe fœtus dicatur natus ex utero, licèt modo violento ſit natus; & dicitur natus ex utero ad differentiam nati in utero: quia nativitas in utero conceptio propriè vocatur, & natus in utero conceptus propriè appellatur.

527. Q. Quando ætas computanda eſt, & nativitatis tempus ignoratur quantum tempus expectandum ſit ad conferendum Ordinem.

℞. Si nativitatis hora ignoretur, totus dies expectandus eſt; ſi dies ignoretur, & non ignoretur menſis, totus menſis expectandus; ſi menſis ignoretur, & non ignoretur annus, finis anni expectandus eſt, quia ſic proceditur conſcientia tuta.

528. Q. An pro ætate legitima Ordinis computandus ſit dies biſſexti.

℞. Ipſe dies biſſexti non eſt expectandus, quia annus à iure determinatus intelligitur ſine die biſſexti, quemadmodum alibi dictum eſt.

529. Q. An annus correctionis Calendarij, cui Eccleſia abſtulerat decim dies, cenſeatur annis integer pro ætate ad Ordines requiſita.

℞. Ita ſecundùm aliquos, ſed probabilius,

&

us, & tutius est ipsum annum non censeri integrum, & casum circa hoc vix posse accidere cùm multi anni effluxerint à dicta correctione facta à Gregorio XIII. qui in ipsa correctione ipsos decem dies restituit, ut patet expressè in Breviario reformato ab Vrbano Papa Octavo.

530. Q. An initiatus ante legitimam ætatem possit in sic suscepto Ordine ante illam ætatem ministrarè etiamsi à suspensione sit absolutus.

℟. Non potest ministrare ante ipsam ætatem in eodem Ordine, nisi à Papa obtineat dispensationem; notaquè circa ætatem necessariam ad Ordines accipiendos annum inceptum haberi profinito secundùm Avilam, & Navar.

531. Q. An præceptum de ætate determinata circa suscipiendos Ordines sit etiam à Regularibus servandum.

℟. Etiam à Regularibus est servandum, etiam si habuerint privilegia, & vivæ vocis oracula de Ordinando, ante ipsam determinatam ætatem, quia à multis Pontificibus revocata fuerunt.

532. Q. An Episcopus possit dispensare in ætate Ordinandorum.

℟. Nequaquàm potest dispensare super ipsa ætate, neque ad promovendum neque ad

exercen-

exercendum cum promoto. Et hoc asseritur à Maiolo de irregularitate.

533. Q. Quibus temporibus Prima Tonsura, & Ordines minores, & maiores conferri possint.

℟. Quatuor Anni temporibus, die tantũ Sabbati omnium ipsorum quatuor Temporum.

534. An etiam alijs temporibus præter supradicta Prima Tonsura, & omnes Ordines conferri possint, & qui sint Ordines ipsi, qui conferri possint,

℟. Prima Tonsura, quæ, vt supra dictum est, non est Ordo, sed dispositio ad suscipiendos Ordines, omni tempore conferri potest, vt communiter tenetur. Ordines Sacri conferri possunt quatuor Sabbatis quatuor Temporum, & Sabbato Sancto; & sitientes: sed inter susceptionem vnius Ordinis Sacri, & alterius Ordinis Sacri annus integer intercedere debet, nisi Episcopus dispenset ex causa iusta. Minores autem Ordines quolibet die Dominico, vel festo duplici mane, & ex consvetudine ubi hæc est feria sexta Vespere ante Sabbata prædicta, vel etiam secundùm aliquos feria quarta quatuor Temporum priuatim conferri possunt.

535. Q. An quando fiunt Ordinationes in Sabbatis iuxta Ecclesiæ consvetudinem, & ieiunium Sabbati continuatur usque ad diem

Domini

Dominicum, Episcopus etiam die Dominico Sacros Ordines conferre possit.

℞ Negativè de Lege ordinaria, quia solus Papa potest in die Dominico Sacros Ordines conferre cap. Subdiaconus de temrpore Ordin.

537. Q. Quod sit diei initium quoad collationem Ordinum Ecclesiasticorum.

℞. Est tempus primarum Vesperarum iuxta sententiam Cardinalis de Turrecremata.

538. Q. Quod sit initium diei, si aga tur de contractibus, de iuramentis, &c,

℞. Est in media nocte, sicut etiam si agatur de ieiunio naturali, quod requiritur in sumenda Eucharista, quod in praxi patet.

539. Q. Quare naturalis dies, qui est in vigintiquatuor horarum spatio comprahensus à media nocte principium habere dicatur.

℞. Quia in ipsa media nocte in nostris regionibus Sol incipit ad nos remeare.

540 Q. Quod sit festorum principium, & finis.

℞. Quòd licèt scriptum: de Vespera in Vesperam celebrabitis Sabbata vestra, festorum tamen principium, & finis iuxta eorum qualitatem & diversarum regionum consuetudinem sunt attendenda.

541 Q. An liceat post prandium conferre Ordines minores.

Resp.

℟. Nequaquàm publicè, sed priuatim; ut sup. q. 532.

542. Q. An Parochus in Collegiata teneatur Ordinari infra annum.

℟. Nequaquàm, sic notat Navarrus cons. 3. de temp. Ordin.

543. Q. Quando commissio suscipiendi Ordines expiret.

℟. Ordinem aliquem suscipiendi commissio à superiore habita, per eius mortem expirat; sed licentia concessa ad Ordinem suscipiendum durat, quousque reuocetur, etiam post mortem concedentis, quia est res gratiosa, non autem pœnalis; & similiter dimissoriæ ad ordines suscipiendos non expirant per mortem concedentis, ita responsum fuit à Sacra Congregatione Episcop. & Regul.

544. Q. An ille, qui accepit Ordinem Sacrum, possit rectè Ordinari alio Sacro Ordine eodem anno, quo accepit ipsum Ordinem Sacrum.

℟. Nequaquàm regulariter, sed potest ab Ordinario dispensari. Et est advertendum, quòd Prima Tonsura, & omnes Ordines minores, siue ipsi Ordines minores sine Prima Tonsura alicui eodem die conferri minimè possunt, nisi Episcopus dispenset: & similiter Subdiaconatus conferri non potest, an-

 tequam

tequàm completus ſit annus poſt ſumptum ultimum Ordinem minorem, niſi Epiſcopus diſpenſet; qui quidem Epiſcopus in hoc iuxta conſvetudinem ſe gerere debet. Duo autem maiores Ordines eodem die alicui conferri non poſſunt, niſi de licentia Papæ.

545 Q. Quanto tempore Ordinatus Ordine Sacro debet manere in Ordine Sacro iam accepto, antequàm alium Ordinem Sacrum accipiat.

℟. Tempore quatuor interſtitiorum.

546 Q. Quid ſibi velit, ſive ſignificet nomen interſtitiorum, quæ ſervari debent in Ordinum ſuſceptione.

℟. Significat debitum temporis ſpatium inter collationem vnius, & alterius Ordinis iuxta Concil. Trident.

547 Q. Quid ſervandum ſit ab Ordinato Ordine Acolytatus, qui eſt vltimus minor Ordo, quando vult ordinari ordine Subdiaconatus.

℟. Eſt ſervandum, quod ſolummodo poſt annum à ſuſceptione ipſius Acolytatus ſuſcipiatur Subdiaconatus, niſi neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ aliud expoſcat iudicio Epiſcopi iuxta Concilium Trident. ſeſſ. 23 c. 11 Et nota, quòd vtilitas erit, ſi promovendus fuerit vitæ valdè exemplaris, vel ſummæ doctrinæ, aut ita nobilis, & potens, vt poſſit defende-

defendere sua auctoritate Ecclesiam oppressam ab aliquo inimico. Et necessitas erit si in Diœcesi esset penuria Sacerdotum, & præsertim Confessariorum; Et adverte, quòd in hoc proposito sufficit vtilitas sine necessitate, aut è contra necessitas sine utilitate, sed hoc solummodò, quandò faciendus est transitus ab ultimo Ordine minore ad Subdiaconatum, verificatur iuxta ipsum Concilium Tridentinum, quia disiunctivè loquitur, & ideo sufficit, ut una pars sit vera ad verificandum ipsum dictum.

548. Q. Quam pœnam incurrat, qui sine dispensatione plures Ordines Sacros suscipit interstitijs non servatis.

℟. Incurrit pœnam suspensionis ab executione Ordinis posterioris, cap. litteras, & cap. Dilect. de temp. Ord. & etiam fit irregularis à solo Pontifice dispensandus. Ita notat Navar.

549. Q. Quando quis exempli gratia hoc anno Ordinatur ad Sitientes mense Aprili & anno futuro velit Ordinari similiter ad Sitientes, quod cadit mense Martio, sit censendus annus completus, quando adest adventus ipsius temporis ad Sitientes.

℟. Censetur, diciturquè annus completus, quia in servandis interstitijs non attenditur annus mathematicus, sed moralis, id est se-

cundùm mores Eccl. ut à Quadragesima ad Quadragesimam; ita Sixtus V.

550. Q. An ille, qui suscipit Acolytatum, & Subdiaconatum simul sit suspensus.

℞. Nequaquàm, quia ubi habetur in Conc. Triden. Sess, 22. cap. 13. quòd duo Sacri Ordines eodem die etiam Regularibus, non conferantur, Sacra Congregatio ibi sic responsum dat. Qui ex consvetudine alicuius Religionis quatuor Ordines minores, & Subdiaconatum eodem die susceperunt, non sunt suspensi.

551. Q. An ille, qui die Sabbati recipit unum Sacrum Ordinem, & die Dominico continuato ieiunio suscipit alium Ordinem Sacrum, sit suspensus.

℞. Suspensum esse ab illo Ordine Sacro quem recipit in die Dominico, sicut etiam Episcopus ipse manet suspensus à collatione utriusque Ordinis Sacri talibus diebus collati cap. Litteras de temp. Ord. nam, ut ibi habetur, duo Sacri Ordines conferri nequeunt eidem uno die, vel duobus continuato ieiunio, cùm talis continuatio unum diem constituat.

552. Q. Quis super interstitia dispensare possit.

℞. Papa, & illi, quibus specialiter concessum est Episcopus potest dispensare cum suo

familiari

familiari triennali, sic asseritur à Sanchez contra Navar.

553. Q. Quis interstitia cum Regularibus dispensare possit.

℟. Episcopus potest, facta priùs petitione per litteras à Superioribus Regularibus, exposita vera necessitate, & utilitate Ecclesiæ, & Religionis, ita Sacra Congregatio declaravit, ut Quaranta refert nisi sit in contra privilegium.

554. Q. An in ipsis quatuor interstitijs sit computandus annus mathematicè idest annus rigorosè duodecim mensium completorum.

℟. Minimè: sed computandus est annus Ecclesiastcè, scilicet est attendendus cursus quatuor interstitiorum, non autem tempus duodecim mensium completorum propriè namque est attendendum tempus quatuor Temporum ab Ecclesia determinatorum, quæ aliquando propter varietatem festorum mobilium occurrunt, priusquam duodecimus mensis compleatur.

555. Q. An ille, qui in Minoribus Ordinibus suscipiendis sine licentia non servat interstitia temporum, aliquam censuram incurrat.

℟. Nullam censuram incurrit, sed peccat mortaliter, si malitiosè ea non servet.

556. Q. Qui locus in tradendis Ordinibus sit servandus.

 Resp.

℟. Si publicè conferantur Ordines, Maiores debent conferri in Ecclesia Cathedrali, aut in alia Ecclesia inter digniores Diœcesis, & præsentibus Canonicis, & Clero loci: Si autem privatim conferantur ipsi Ordines maiores, conferri possunt etiam in aliquo domestico Sacello: Prima autem Tonsura potest conferri quovis anni tempore, die, ac loco; Minores verò Ordines conferri possunt in Ecclesia, ut sup. q. 180.

557. Q. Quis possit concedere dimissorias Ordinandis.

℟. Potest illas concedere proprius Episcopus, Vicarius Generalis eiusdem Episcopi, Capitulum Sede vacante, post annum tamen á die vacationis, ita habetur in Concil. Trid. sess. 7. cap. 10. & idem capitulū potest concedere dimissorias etiam intra annum arctatis beneficijs tam habitis, quam habendis; ita Zerola in praxi Episcopali.

558. Q. Quod Ordinarij dimissorias concedere possint.

℟. Tres, videlicet Episcopus originis, idest loci, in quo natus est ex Matre ibi permansura: Episcopus beneficij, in quo scilicet beneficiarius residere tenetur, quamvis tenue sit, secundum sententiam communem, & etiam beneficij simplicis secundùm aliquos Auctores approbatos; & Episcopus domicilij,

lij, id est loci, in quo habet domicilium animo permanendi, quod raró præsumitur in foro exteriori, & tutius est, si ibi permanserit per decennium, etiam animo dubio, id est animo recedendi, si quid melius occurrerit eidem; & adverte non sufficere assiduam habitationem etiam decennij cum intentione in patriam revertendi,

559. Q. An illi, qui à Sede Apostolica, scilicet à Papa obtinuerunt privilegium, ut à quocunque Episcopo Ordinari possint; habere debeant litteras dimissorias suorum Episcoporum.

℟. Nequaquàm, sed solùm debent habere litteras testimoniales ipsorum suorum Episcoporum de vita, & moribus, sine quibus tàm Ordinantes, quàm Ordinati essent suspensi. Ita notat Bonacina d. octava num. duodecimo septimo. Non tamen dictæ litteræ testimoniales sub ipsa pœna debentur quoad Primam Tonsuram.

560. Q. An Episcopus subditis suis possit conferre Primam Tonsuram in aliena Diœcesi sine dimissorijs, seu licentia Ordinarij ipsius Diæcesis.

℟. Affirmativè.

561. Q. An Prælati Regulares suis subditis dimissorias dare possint.

℟. Hoc non de iure communi, sed per ex-

 pressa

pressa privilegia, quæ à Concilio Tridentino non sunt revocata, efficere possunt. Sed adverte ipsa Privilegia Regularium quantum ad facultatem, seu potestatem afficiendi dimissorias esse revocata solummodò quoad subditos Sæculares. Et meritò quidem possunt concedere dimissorias suis subditis, quia ipsi Prælati, seu Superiores Regulares habent quasi Episcopalem iurisdictionem quantum ad eosdem suos subditos, & per ipsam iurisdictionem dicuntur Ordinarij eorundem suorum subditorum. Concilium Tridentinũ. sess. 23. cap. 10 de reformat.

562. Q. An Episcopus in aliena Diœcesi, & etiam in propria Diœcesi possit conferre Primam Tonsuram ei, qui non est subditus sibi, sine dimissorijs, seu licentia sui Prælati.

℞. Minimè: & sic conferendo ei ipsam Tonsuram incurrit suspensionem per annum ab eius collatione; Sed ipsa prima Tonsura esset valida, ut ait Toletus cum S. Congregatione. Sed quoad beneficia obtinenda, non esset valida, iuxtà Rotæ decisionem.

563. Q. An Episcopus Titularis possit conferre Tonsuram alicui sine expresso concessu sui Prælati, aut sine dimissorijs,

℞. Non potest facere hoc; ita Concil. Trident. asserit sess. 14 c. 2. de refor. & ei conferendo ipsam Tonsuram suspenditur per an-

num

num ab exercitio Pontificalium, & promotus ad Tonſuram ſuſpenditur ab executione ipſius ſuſceptæ Tonſuræ arbitrio ſui Prælati.

564. Q. An Capitulum Sede vacante infra annum vacationis per alium Epiſcopum poſſit exercere Pontificalia, & conferre Ordines; & ipſum Capitulum, ſive eius Vicarius poſſit dare litteras teſtimoniales de moribus: & durante vacatione idem Capitulum tranſacto anno poſſit concedere dimiſſorias etiam non arctatis beneficijs tam habitis, quã habendis.

℟. Ipſum Capitulum infra ipſum annum vacationis per alium Epiſcopum, poteſt exercere Pontificalia, & conferre Ordines, ſervata diſpoſitione ipſius Concilij Tridentini, ut declaratum fuit à S. Congregatione; & ipſum Capitulum, ſeu eius Vicarius poteſt dare litteras teſtimoniales de moribus, quia dimiſſeriæ non ſunt. Et durante vacatione Capitulum tranſacto anno poteſt concedere dimiſſorias etiam non arctatis ſupradictis. Vide etiam quæſitum 554.

565. Q. An Abbatibus, & alijs exemptis intra fines alicuius Diæceſis exiſtentibus liceat conferre Tonſuram, vel Minores Ordines, & concedere dimiſſorias illis, qui eis ſubditi non ſunt.

℟. Minimè, iuxtà Concilium Trid. ſed S.

Congregatio declaravit ipsos posse etiam alios Ordinare, dummodò ipsorum Ordinarij consentiant particulariter, & expressè.

566. Q. An dimissoriæ semel concessæ expirent per mortem concedentis, aut per finitam eius potestatem, re integra; idest, si ille, qui eas obtinuit, eis non vsus sit.

℞. Nequaquàm, ut etiam non expirant similes aliæ gratiæ, quibus solummodò defuit executio, aut usus ipsarum.

567. Q. An litteræ dimissoriales concessæ à Capitulo expirent per novi Episcopi ingressum.

℞. Nequaquàm, si durante vacatione sedis transacto anno concesserit dimissorias easdem, quia fecit auctoritativè, ut patet supra in responsione ad quæsitum 461.

568. Q. An ille, qui cum dimissorijs accedit ad alium Episcopum, debeat ab ipso Episcopo examinari,

℞. Debet examinari ad tutiùs procedendũ, licèt præsuponatur rectè approbatus ab eo, qui ei dimissorias concessit.

569. Q. An Generalis Episcopi Vic. in spiritualibus litteras dimissorias, seu reverendas, vt aliqui vocant, dare possit, si Episc. in remoto degat loco.

℞. Affirmativè, & etiam Prælatum Regularem suis Religiosis ipsas litteras dimissorias,

seu

ſeu reverendas dare poſſe aſſeritur à Novar. Avila, & alijs multis.

570 Q. An Sede vacante Collegium Cardinalium ante annum elapſum etiam non arctatis beneficio litteras dimiſſorias ritè concedere poſſit.

℟. Affirmativè.

571 Q. An Epiſcopus excommunicatus, & denuntiatus litteras dimiſſorias validè tribuere poſſit.

℟. Validè eas tribuere poteſt, quia hoc eſt gratia ſine vſu iuriſdictionis.

572 Q. An Abbates, quibuſvis etiam privilegijs muniti, alicui Clerico ſæculari dimiſſorias concedere poſſint.

℟. Nulli Clerico ſæculari eas concedere validè poſſunt.

573 Q. An Abbas Generalis exemptus Montis Virginis Clericis ſæcularibus ſibi ſubiectis dimiſſorias dare poſſit; quamvis reclamet vicinus Vulturni Epiſcopus.

℟. Andreas Victorellus refert ſapientem illius Ordinis Monachum conſtantiſſime ſibi affirmaſſe ipſum Abbatem eas dare Clericis ſæcularibus ſibi ſubiectis, quamvis reclamet dictus Epiſcopus Vulturni.

574 Q. An Ordinatus ſolis minoribus ſine dimiſſorijs, vteníque ipſis Ordinibus, ſit irregularis.

℟. Nequaquam, quia in iure non est expressum, quoad ipsos minores, sicut est quo ad maiores, expressum.

575 Q. Quot casibus Clericus sine proprij Episcopi dimissorijs ad ordines ad alieno Episcopo promoveri possit.

℟. In tribus casibus; Primò, si proprius Episcopus sit suspensus, quia alienis subditis Ordines tradidit; in quo casu debet Ordinari à vicino aliquo Episcopo, qui ipsius mores facilè agnoscere possit, vel ab Archiepiscopo. Secundò, Si intercedat ratihabitio de præterito, aut de præsenti, sensibili signo explicita. Tertiò si familiaris Episcopi commoratus fuerit cum eo per triennium; non autem si absens alio in loco vixerit, etiam si sumptibus ipsius Episcopi duxerit vitam.

576 Q. à quo possit impetrare dimissorias ille, qui non possit obtinere dimissorias ab Ordinario suo.

℟. Potest impetrare eas à Summo Pœnitentiario Romæ iusta causa existente, & exposita. Ita Pius V. dicit in Bulla, quæ incipit- In sublimi.

577. Q. Ad quid teneatur Ordinatus ab alieno Episcopo cum litteris dimissorialibus, postquàm redierit ab ordinatione.

℟. Ad hoc quod exprimunt dimissariæ

578. Q. Quotuplex ſit titulus, ad quem Ordinandus Ordine Sacro debet Ordinari.

℟. Triplex eſt; Primus eſt titulus paupertatis, ad quem Ordinantur Regulares profeſſi, quibus glorioſum eſt mendicare; Secundus eſt titulus beneficij perpetui habentis redditus certos ſaltem diſtributionum quotidianarum ad honeſtam vitæ ſuſtentationem iudicio prudentis, præcipuè Epiſcopi, habita ratione loci, penuriæ, vel abundantiæ eiuſdem loci. Tertius eſt titulus patrimonij pacificè poſſeſſi, vel penſionis iuxta quantitatem in ſingulis Provincijs requiſitam. Hæc dicta ſunt iuxtà Concil. Trident. Et alibi quoque hic tradita.

579. Q. Quid requiratur, ut beneficium, vel patrimonium dicatur, pacificè poſſideri.

℟. Requiritur, ut verè, & non fictè ſine lite, & contentione obtineatur, quantum ad dominium utile, quia dominium ſolum directum non ſufficit, quia fructibus caret. Præterea debet producere fructus certos pro tota vita Ordinandi, quod quidem patrimonium non poteſt alienari abſque Epiſcopi licentia, & niſi conſtet ipſum Ordinandum decenter, & perpetuò poſſe ſuſtentari aliundè.

580. Q. An Ordinatus Ordine ſacro cum titulo ficto, & ementito incurrat ſuſpenſionem.

Reſp.

℞. Non incurrit suspensionem, quia quamvis olim esset suspensus, tamen his temporibus non incurrit suspensionem, iuxtà declarationem S. Congregationis, ut refert Martinus Fornarius de Sacram. Ordinis.

581 Q. An illè, qui sincerè confitetur sè non habere titulum, & tamen Episcopus illũ Ordinat, incurrat suspensionem.

℞. Non incurrit suspensionem, quia sic Episcopus videtur sè obligare ad illum alendum.

582 Q. An Religiosi Societatis Iesu, qui post biennium probationis emittunt tria vota simplicia, possint Ordinari ad titulum talis professionis, licet non sit professio solemnis.

℞. Possunt quia hoc possunt ex privilegió non obstante constitutione Pij Quinti, vt illis Gregorius Tertius decimus concessit.

583 Q. An in aliquibus casibus illè, qui dolo, & fraude sine tituló suscipit Ordines Sacros sit suspensus.

℞. Est suspensus in his casibus. Primò si cum Episcopo, vel cum eo, qui illum præsentat ad Ordines paciscatur, & se obliget ad nunquam petendum alimemta; Secundo si cum fictó tituló Patrimonij Ordinetur vel mentiendo, vel falsó probando se habere, quod non habet, vel plus habere, quam habet,

bet, quod tamen non sufficit ad sustentatio- nem. Tertio si fingat sibi factam donatio- nem; Quartò si promittat se nunquam pe- titurum donata alimenta cap. penult. de Si- monia siquis &c.

584 Q. An suspendatur ille, qui cùm fi- cto titulo à proprio Episcopo obtinuit litte- ras dimissorias.

℟. Suspenditur quidem, & hic si per eas Ordinetur duplicem suspensionem incurrit; vnam quia, sine validis dimissorijs Ordina- tur, alteram, quia Ordinatur sine titulo iusto.

585 Q. An incurrat suspensionem ille, qui post Ordinationem sponte renunciat be- neficium, aut patrimonium, ad cuius titu- lum fuit Ordinatus.

℟. Non incurrit suspensionem, sed peccat mortaliter, & Suarez notat iuxta Concilium Tridentinum ipsam renunciationem beneficij esse invalidam, sed renunciationem Patri- monij solùm prohibitam esse sine aliqua sus- pensione, & sine aliqua censura.

586. Q. An ille, qui sine titulo Ordinatus est Subdiaconatu, vel Diaconatu, vel Pres- byteratu, seu Sacerdotio, sit suspensus.

℟. Est suspensus, quia iura in omni Sacro Ordine prohibent Ordinari sine titulo, & hoc distributivè, non collativè iuxta declaratio- nem Sacræ Congregationis; & ideo si quis

sine

ſine titulo Ordinatus eſt Subdiaconatu, vel Diaconatu, non poteſt ſine novo titulo ad Sacerdotium promoveri, & ſi ad ipſum Sacerdotium ſic promoveatur incurrit ipſam ſuſpenſionem.

587. Q. An quantitas Patrimonij, vel beneficij ad cuius titulum quis promoveri poteſt taxetur.

℞. Non taxatur, ſed relinquitur arbitrio Ordinarij propter locorum diverſitatem, quia in uno loco ſufficit quantitas, quæ in alio loco ſufficiens non eſt, & ſic declaratum eſt à Concilij Congregatione.

588. Q. An aliquis, quando non habet beneficium, vel patrimonium ſufficiens per ſe ipſum ſeparatim, ſed ex utroque ſimul coniunсto habet ſufficientem ſuſtentationem, poſſit Ordinari ad titulum illorum.

℞. Poteſt quidem Ordinari ad titulum illorum iuxta declarationem Congregationis, ſed non poteſt Ordinari, ſi cum inſufficienti beneficio, vel patrimonio iungantur emolumenta incerta, quæ ex Ordinum exercitio proveniunt, vel lucra ex induſtria, vel honeſto labore orta, & hoc eſt verum iuxta ſententiam eiuſdem Sacræ Congregationis, & multò minus rectè Ordinari poteſt ille, qui nec beneficium, nec patrimonium habet, licet ex induſtria ſoleat magnum acquirere lucrum,

589 Q.

588. Q. An promotus ad Subdiaconatum cum titulo Patrimonij si Patrimonium renunciet, & suscipiat alios Ordines, fiat suspensus.

℟. Est suspensus ut Sacra Cong. decleravit ut sup. q. 583.

589. Q. An renuntiatio veri Patrimonij, ad cuius titulum quis est promotus, si fiat, antequam ipse obtineat beneficium, aut aliquid aliud, unde vivat, nulla sit ipso iure.

℟. Nulla est ipso iure secundum Avilam; sed retrodonatio ficti Patrimonij valida est in conscientiæ foro.

590. Q. An Episcopus viro docto, & gradu insigni prædito, quem certò putet Catedram, aut beneficium consecuturum esse, concedere possit, ut sine titulo Patrimonij Sacris initietur.

℟. Ipse Episcopus eidem docto hoc concedere tuta conscientia potest, & hic potest Ordinari ad titulum Doctoratus, quod ab Avila affirmatur expressè cum Henriquez, quibus adhæret Andreas Victorellus in una additione ad opus Martini Fornarij de Ordinis Sacramento, sed hoc non est inusu nec tutum.

591. Q. An titulus beneficij in spe sufficiat, ut ad ipsum titulum quis Ordinari possit.

℟. Nequaquàm, ut notat Naldus de Ordine n. 22.

592. Q. An quis possit Ordinari ad titulum servitij in aliqua Ecclesia.

℞. Potest, dummodo ex illa habeat, unde vivat quod tamen passim negatur.

593. Q. An filius divitis nulla facta sibi à Patre assignatione Patrimonij possit Ordinari ad titulum Patrimonij futuri.

℞. Nequaquàm, si ipsi filio nulla assignentur bona fructifera, sed potest sic Ordinari, si Pater ipsi filio bona fructifera assignet iuxta consvetudinem usu receptam, & ipsa bona fructifera ab ipso filio pacificè possideantur. Nec sufficit, si pater ei det bona mobilia, nisi in bona stabilia convertantur.

594. Q. An ille, qui habet patrimonium commune cum fratribus, possit Ordinari ad titulum patrimonij nulla facta bonorum divisione,

℞. Potest, dummodo pars, quæ Clerico debetur, sufficiat ad honestè vivendum, quia sic verè patrimonium habet.

595. Q. An patrimonium, ad cuius titulum aliquis Ordinatur, sit beneficium Ecclesiasticum dicendum.

℞. Nequaquam, quia per mortem Clerici non vacat, sed ad hæredes transit; & quia Clericus ex illo persolvere decimam annuam tenetur Abb. cap. tuis de præbend.

596. Q. Cùm Episcopus Ordinans aliquem

quem sine titulo teneatur alere ipsum sumptibus suis, an hæc obligatio extendatur ad successores.

℟. Ipse Episcopus tenetur ei de suo providere, donec ab ipso Ordinato sufficiens titulus obtineatur, & hæc obligatio extenditur etiam ad successores. Ita ait Naldus de Ordine n. 18.

597. Q. An Canonicus Religiosus, vel Clericus intra claustra nondum professus incurrat suspensionem, si recipiat Ordinem Sacrum sine titulo aliquo.

℟. Affirmativè iuxta Bullam Pij V.

598. Q. An ille, qui Ordinatus est Subdiaconus sine titulo, aut si post quàm Ordinatus est cum titulo, amiserit ipsum titulum, possit vlteriùs Ordinari.

℟. Non potest ulteriùs Ordinari, sive titulus amissus sit, postquàm Ordinatus est, sive sit Ordinatus sine titulo. Ita Sacra Congregatio respondit.

599. Q. An repellendus sit ab Ordinibus suscipiendis ille, qui nescit præcepta Domini, Ecclesiæ, Symbolum Apostolorum, & reliqua attinentia ad Doctrinam Christianam.

℟. Repellendus, & propterea illi, qui volunt suscipere Ordines Ecclesiasticos, attentè legant declarationem Doctrinæ Christianæ

 abEmi-

ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Cardinale Bellarmino compoſitam.

600. Q. Qui ſint alij, qui repellendi ſunt ab Ordinibus ſuſcipiendis.

℞. Illi, qui non ſuſceperunt Baptiſmum, fœminæ, bigami, ſolemniter pœnitentes, (qui non ſunt in uſu his temporibus) neophyti, id eſt novi in fide Chriſtiana, curiales, id eſt, qui ratione officij obligati ſunt curiæ, ut Iudices, Advocati, forenſes, Notarij, milites, & ſimiles alij Miniſtri; item ratiocinijs obligati, ut actores, Executores, Procuratores, Curatores, & alij, qui habent publicas adminiſtrationes forenſes; item ſervi, ſimiliter corpore vitiati, ut ſunt qui laborant morbo caduco, vel membro corporis ſunt truncati, aut notabiliter debilitati; ita ut impediatur exercitium Ordinis, & monoculi, quibus deeſt oculus Canonis; item energumeni, ſeu obſeſſi à dæmone, & mente capti, & illi, qui ex defectu corporis hororem, vel ſcandalum generarent; item hermaphroditi, ſimiliter illegitimi; tum peregrini, niſi habeant litteras authenticas; dicuntur autem peregrini, qui non ſunt oriundi de Epiſcopatu, vel non habent ibi domicilium, aut beneficium; item ignoti, id eſt illi, quorum vita non eſt nota Epiſcopo; item infames; item qui ſunt obligati ad indecentia, item illiterati,

ti, item irregulares, excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti; item illi, qui carent titulo legitimo ſuſtentationis; itemque coniugati, ſi bigami ſint; item proles hæreticorum uſquè ad ſecundam generationem; item illi, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperunt; item illi, qui non habent Primam Tonſuram; item qui non habent legitimam ætatem; item qui non habent uſum rationis; item qui non habent intentionem ſuſcipiendi Ordines; item qui eſt in peccato mortali; Omnes ſupradicti à ſuſcipiendis Ordinibus ſunt repellendi.

601. Q. An omnes ſupradicti proximè, qui repellendi ſunt à ſuſcipiendis Ordinibus, ſint incapaces Sacramenti Ordinis, ita ut, ſi Ordinentur, invalida ſit Ordinatio, & non recepiant Ordinis Characterem.

℞. Non omnes ſupradicti ſunt ſic incapaces Sacramenti Ordinis, ſed tantùm illi, qui habent aliquid poſitivum, vel negativum contrarium ſubſtantiæ Sacramenti Ordinis, ut ſunt illi, qui non ſunt Baptizati, fœminæ, & illi, qui non habent intentionem ſuſcipiendi ipſum Ordinis Sacramentum, qui quidem à ſuſcipiendis Ordinibus repelluntur de neceſſitate Sacramenti, alij verò ſupradicti à ſuſcipiendis Ordinibus repelluntur de neceſſitate præcepti.

602. Q. An hermaphroditus, id est homo, qui habet utrumque sexum, sit capax Sacramenti Ordinis,

℟. Non est Sacramenti Ordinis capax nisi in eo prævaleat sexus virilis, unde hermaphroditus, qui est potiùs fœmina, non recipit characterem, si Ordinaretur.

603. Q. An hermaphroditus, in quo prævalet virilis sexus, sit Ordinandus.

℟ Non est Ordinandus, si notorium sit ipsum esse hermaphroditum, quia scandalum oriretur, si Ordinaretur, cùm ipse sit quidem monstrum. Et Suarez putat ipsum hermaphroditum esse irregularem propter monstruositatem. Sed Toletus tenet ipsum non esse irregularem, sed propter scandalum ab Ordinibus esse repellendum, quando est notorium ipsum esse hermaphroditum.

604. Q. An infans, qui caret usu rationis, si initietur Ordinibus, etiam Sacerdotio, suscipiat Ordinis Characterum.

℟. Suscipit Ordinis Characterem, quia intentio Ecclesiæ sufficit in ipso infante.

605. Q. An dato, & non concesso, quòd minores Ordines Sacramenta non essent, fœmina ex Pontificis dispensatione esset capax ipsorum Ordinum minorum.

℟. Minimè, quia per eos collocatur homo in gradu quodam Ecclesiæ cum potestate e-

xercendi ex officio munus Ecclesiasticum in Ordine ad Sacrificium Divinum, & per ipsos Ordines minores disponitur ad Sacerdotium, cuius non est capax mulier, ut supra.

606. Q. An fœmina iure communi, & ex Papæ commissione censuras ferre possit.

℟. Fœmina iure communi nequaquàm ferre potest censuras, sed ex Papæ commissione eas ferre potest secundum Toletum, & alios.

607. Q. An quædam fœminæ sine errore Diaconisse, Presbyteræ, & Episcopæ dictæ fuerint.

℟. Sine errore quædam fœminæ dictæ fuerunt Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ, quia earum viri post thori divisionem effecti erant Diaconi, Presbyteri, & Episcopi, ut notat Andreas Victorellus. Et à Græcis viduæ vocantur Presbyteræ, ut idem Andreas Victorellus observat. Et Abbatissa vocatur Diaconissa, iuxtà Glossam in c. Diaconissam.

608 Q. An amenti, qui ante amentiam usu rationis nullo modo Ordinationem petijt, invalidè Ordines conferantur.

℟. Invalidè conferuntur, quia est adultus, in quo intentio requiritur ad Ordines suscipiendos.

608. Q. An Ordinati Subdiaconi, vel Diaconi à Papa, possint promoveri ab Episcopis ad Ordinem superiorem.

℟. Nequaquam, propter reverentiam erga ipsum Papam, ut etiam supra patet.

609. Q An coniugatus non bigamus ante, & post consumatum Matrimonium, uxore spontè, & expresse consentiente, ad Ordines suscipiendos transire possit.

℟. Potest transire ad Ordines suscipiendos; sed secundum Sanchez, si uxor sit iuvenis, ipsa uxor debet ingredi Religionem, & vovere continentiam in ipsa Religione; si autem ipsa sit senex, & à suspicione incontinentiæ, aliena satis est si votum continentiæ in sæculo emittat, & Episcopi licentia addatur.

610. Q. An quando uxor adulterium patravit vir ea reluctante, & invita, ad Ordines promoveri possit.

℟. Potest, & hoc secundùm Sanchez est valdè tutum.

611. Q. An coniuge hæretica per Ecclesiæ sententiam damnata, vir eius Catholicus possit ascendere ad Ordinis Sacramentum.

℟. Potest, quod ab eodem Sanchez affirmatur.

612. Q. An neophytorum filij qui baptizati sunt ante usum rationis, sint repellendi ab Ordinibus suscipiendis.

℟. Nequaquam; nullum enim habent impedimentum.

613. Q. An Curiales absoluti, seu liberati

rati à curia ab Ordinibus suscipiendis, sint repellendi.

℟. Minimè, nisi infames fiant, vel alia ratione irregulares.

614. Q. Quis Sacramenti Ordinis sit Ordinarius Minister.

℟. Episcopus est ipsius Sacramenti Ordinis ordinarius Minister.

615 Q. An Papa potestatem conferendi Ordines etiam minores committere possit ei, qui non est Sacerdos.

℟. Nequaquam.

616 Q. An quilibet Prælatus, qui non est Sacerdos, possit conferre Ordines, saltem minores,

℟. Nequaquam.

617 Q. An simplex Sacerdos ex Papæ commissione omnes Ordines minores conferre possit.

℟. Potest.

618. Q. An Cardinales, dummodò sint Sacerdotes, Ordines minores conferre possint.

℟. Affirmativè, quia ex consuetudine ipsius Cardinalibus concessa est potestas conferendi ipsos Ordines minores; & hoc asseritur secundùm Sotum, Valentiam, & alios.

619. Q. An Abbates mitrati Ordines minores conferre possint,

Resp.

℟. Abbates mitrati Ordines minores conferre possunt solummodò suis subditis, ut statutum est à Concil Trid. sed alijs possunt conferre conditionaliter, ut infrà proximè patet.

620 Q. An Abbates conferre possint Ordines minores etiam illis, qui non sunt sui subditi, si Ordinarius loci, in quo ordinari volunt, specialiter sentiat, ut ab ipsis Abbatibus mitratis ordinentur.

℟. Possunt, dummodò Ordinandi habent etiam speciales dimissorias suorum Prælatorum, & hoc asseritur, iuxta declarationem Congreg. Conc. vt refert Martinus Ferrarius de Ord. Sacramento.

521. Q. An simplex Sacerdos possit conferre Ordinem Presbyteratus, & Diaconatus ex Papæ commissione.

℟. Secundum sententiam communem etiam ex Papæ commissione simplex Sacerdos non potest conferre Ordinem Presbyteratus, & Diaconatus.

622. Q. An simplex Sacerdos possit conferre Ordinem Subdiaconatus ex Papæ commissione.

℟. Secundùm Caietanum, Durandum, Innocentium, & alios, simplex Sacerdos ex commissionè Papæ potest conferre Subdiaconatum; sed secundùm D. Thomam, Sylvestrum, & Bellarminum, ipse simplex Sa-

cerdos

cerdos hoc facere non potest etiam ex Papæ commissione.

623. Q. An Presbyter Parochialis possit conferre Primã Tonsurã sine commissione Papæ.

℟. Minimè, & hæc opinio negativa in praxi est manifesta, quia Presbyter Parochialis ex officio, & consequenter sine Papæ commissione numquam contulit ipsam primam Tonsuram.

624. Q. An Episcopus possit committere potestatem conferendi Ordines etiam minores alijs, qui Episcopi non sunt.

℟. Nequaquam; Episcopus enim non potest demandare ea, quæ sunt Ordinis, alijs, qui Episcopatum non habent.

625. Q. An Ordo collatus ab Episcopo excommunicato, vel præciso, interdicto, suspenso, vel Simoniaco, validus sit.

℟. Est validus, quia ipse talis Episcopus Ordinis potestatem non amisit; sed si ipse Episcopus esset denunciatus nominatim excommunicatus, vel præcisus, interdictus, suspensus, vel Simoniacus, vel esset notorius percussor Clerici, ille, qui esset Ordinatus ab ipso tali Episcopo, esset suspensus.

626. Q. An Episcopus in propria Diœcesi Ordinans non suos subditos sine licentia Ordinarij illorum, aliquam pœnam incurrat.

Resp. Incurrit suspensionem à collatione

Ordinum per ánnum, & ab eo sic Ordinati suspenduntur ab executione Ordinum susceptorum arbitrio proprij Ordinarij, iuxta Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. de reformatione; & extenditur hoc etiam ad Episcopos Titulares.

627 Q. An Episcopus in alterius Diœcesi Ordinans cum expressa licentia Ordinarij loci, possit ordinare personas, quæ non sunt subiectæ ipsi Ordinario loci.

Resp. Nequaquam; nisi Ordinandi, qui non sunt ipsi Ordinario subiecti, habeant dimissorias generales á suis Ordinarijs, & hoc est iuxta declarationem Sacræ Congragationis; potest tamen ordinare proprios subditos sibi; quia eius voluntas coniuncta est cum propria ipsius præsentia, est æquiualens dictæ expressæ licentiæ Ordinandi ipsos subditos sibi in ipsa aliena Diœcesi.

628. Q. An Episcopus Italiæ possit ordinare Vltramontanum sine licentia sui Episcopi, vel Papæ.

℟. Nequaquam; & ipse Episcopus sic ordinans arbitraria pœna est puniendus.

629 Q. An Episcopus possit ordinare extraneum sub ratihabitione.

℟. Episcopus, secundùm Suarez, si ordinet extraneum sub retihabitione bona fide excusatur á censura, ut excusatur ille, qui sic

ſic eſt Ordinatus; ſed ſi poſtfactum Ordinarius ratam non habeat ipſam Ordinationem, ille, qui ſic Ordinatus eſt, tenetur ſervare ſuſpenſionem in foro exteriori propter ſcandalum, quamvis in foro conſcientiæ non eſſet verè ſuſpenſus; ideò non facilè eſt facienda Ordinatio ſub ratihabitione.

630. Q. An Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare poſſit.

℟. Poteſt dummodò duo concurrant. Primum, ut ſecum commoratus fuerit per triennium, quod intelligitur incipere, antequam eſſet Epiſcopus, ſi etiam tunc fuerit eius familiaris, iuxta Sacræ Congregationis declarationem. Secundum eſt, vt ſtatim beneficium vacans conferat eidem, iuxta Concilium Tridentinum; ſed circa hoc tria ſunt advertenda. Primum, hoc habere locum in Epiſcopo Ordinario, & non in Epiſcopo Titulari. Secundum, id habere locum non ſolùm in Prima Tonſura, ſed etiam in Ordinibus minoribus, & maioribus: & Tertium eſt, ipſum Ordinandum poſſe Ordinari etiam ad titulum penſionis, vel ad titulum Patrimonij ſufficientes, ſi fiat pro Eccleſiæ neceſſitate, vel commoditate, & adſcribatur ſervitio Eccleſiæ determinatæ, ut Sacra Congregatio declarauit.

631. Q. An alicui Abbati conceſſum ſit

ut suos Monachos Subdiaconos, & Diaconos initiare possit.

℟. Ab Innocentio Octavo concessum fuit Abbati Cistercienti, ut suos Monachos Subdiaconos, & Diaconos initiaret sed non alijs

632 Q. An Ordo collatus ab Episcopo hæretico validus sit.

℟. Validus, sed conferens, & suscipiens peccant; ille Ordinem conferendo, iste suscipiendo.

633 Q. An à bonis Angelis, dispensatione Dei, extraordinariè Ordines conferri possint.

℟. Licèt ordinariè omnium Sacramentorum Ministri sint homines determinati, tamen à bonis Angelis, dispensatione Dei, extraordinariè Ordines conferri possunt, quia ipsemet Deus neque Sacramentis, neque Ecclesiæ Ministris virtutem suam obligavit.

634 Q. An, dato, quòd Dei iussu mortuus Episcopus ad mortalem vitam rediret, ipse Ordines conferre posset.

℟. Conferre posset, & id posset, etiamsi beata anima glorioso Episcopalis character indelebilis est.

635. Q. An anima rationalis seiuncta à corpore, Ordines conferre, & alia Sacramenta ministrare possit.

℟. Anima rationalis seiuncta à corpore in

via

via ordinaria hæc facere non poteſt, quia cùm non ſit homo, ipſa non poteſt proferre verba; ſed in via extraordinaria, hoc eſt divina diſpenſatione, hæc facere valet, vt etiam Angeli boni eadem facere poſſunt.

636 Q. An dato, quòd dæmon mendacij pater Sacramentum miniſtraret, eſſet ipſum Sacramentum ratum habendum.

℟. Secundùm D. Thom & alios, ipſum Sacramentum non eſſe ratum habendum.

637. Q. An, dato, quòd certa cognoſceretur revelatione à dæmone aliquod Sacramentum collatum fuiſſe diſpenſatione, & iuſſu Dei, ipſum Sacramentum valeret.

℟ Valeret utique; quia, ut ſupra dictum eſt, Deus neque Sacramentis, neque Eccleſiæ Miniſtris virtutem ſuam omnino alligavit; ſed credendum eſt, numquam Deum adhibiturum eſſe dæmones miniſtros Sacramentorum, ut Sotus, & alij affirmant.

638. Q. An Epiſcopi ſchiſmatici Ordines validè conferant.

℟. Affirmativè: ſed Ordinati ab ipſis non recipiunt Ordinum executionem, & eorum irregularitas tollitur Sedis Apoſtolicæ auctoritate ex Clem. VIII. in inſtructione ſuper aliquibus Græcorum ritibus, ut in Bullario patet.

Et Vrbanus VIII, anno 1624. contra malè

Ordinan

Ordinantes, & malè Ordinatos legem tulit, Constitutionis typis traditæ, cuius initium est, Secretis æternæ providentiæ Concilijs, &c. quæ quidem lex à Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis diligenter est observanda, maximè circa initiandos Vltramontanos, & extra Italiam oriundos; quia quædam ponit particularia, quæ brevitatis gratia hic non explicantur.

639 Q. Quæ requirantur, ut Episcopi in tradendis Ordinibus rectè suo munere fungantur.

℞ Tria principaliter requiruntur. Primũ est, ut Episcopi adhibeant examen per se, vel per suos idoneos Ministros, & examinent omnes, etiam Regulares, nisi in hoc sint privilegiati post Concilium Tridentinum, & excipi possunt etiam notoriè digni; quod quidem examen debet esse non solùm in scientia, & doctrina competente Ordinandis, sed etiam in vita, & moribus, & natalibus, & in alijs Canonicis impedimentis. Secundum est, ut ipsi Episcopi conferant Ordines ad aliquem titulum, ut supra patet. Tertium est, ut ipsi Episcopi non per saltum, sed gradatim, & debitis temporibus ordinent eos, quos rectè ordinare possunt.

640. Q. Quæ intentio ab Episcopo haberi debeat, quando Ordines confert.

Resp.

℟. Debet habere actualem, vel virtualem intentionem ordinandi, quotquot de facto ordinat, & debet dispensare in genere, in quibus dispensare potest: & hæc ab Episcopis sunt servanda, ut omnibus Sacramenti Ordinis capacibus in ipsis actionibus ordinandi validè conferat Ordines quoscumque. Si autem aliqui indignè receperint, ad pœnitentiam confugere tenebuntur, & etiam absolutiones, & dispensationes opportunè requirere debebunt, si non solùm culpas, sed etiam censuras, & irregularitates incurrissent.

641. Q. An expediat in ordinatione Episcopos infligere excommunicationem ipso facto contra improbè accedentes.

℟. Hoc minimè expedit, & ideò iuxta novum Pontificale, excommunicatio solùm comminatoria est fulminanda.

642. Q. An Ordinatus ab Episcopo, qui se abdicavit Episcopatu, quo ad locum, & dignitatem, sit irregularis.

℟. Est irregularis, & Toletus ait, quòd licet suscipere Ordines minores à tali Episcopo cum licentia proprij Ordinarij, nam prohibitio intelligitur de Ordine maiori scienter ab illo suscepto.

643. Q. An sit irregularis ille, qui recipit Ordines ab Episcopo, excommunicato, interdicto, suspenso, nominatim denunciato, aut notorio percussore Clerici.

℟. Est irregularis; & Suarez rectè tenet illos, qui sine sua culpa, vel coactè à tali Episcopo Ordinantur, esse suspensos, quoniam prohibent hanc Ordinationem, non propter culpam Ordinati, sed propter iniuriam Ordinantis, & hoc est sine dubio tenendum.

644. Q. An Ordinatus ab Episcopo non baptizato, non Sacerdote, vel non consecrato, sit verè Ordinatus.

℟. Non est verè Ordinatus, sed tamen non est irregularis respectu Ordinum ab eo antea ritè susceptorum, sit nisi infamis, vel nisi exercuerit actum Ordinis, quem non habebat.

645. Q. An Ordinatus ab Episcopo illiterato sit irregularis.

℟. Secundùm Suarez, Ordinatus ab Episcopo illiterato non est irregularis; sed secundùm Maiolum est irregularis.

646. Q. Quam pœnam incurrat Vltramontanus, qui Ordines suscipit ab Episcopo Italo sine licentia Papæ, vel proprij Episcopi causam in litteris exprimentis, cur ipse non Ordinaverit.

℟. Incurrit suspensionem, quod quidem locum habet etiam in ordinibus minoribus, sed non in Prima Tonsura, sed tutius etiam in ipsa locum habere tenendum est secundũ Henriquez.

647 Q. Ad quod principaliter tendant ordinandi.

℟. Ad Sacerdotium, quo fit Sacrificium Missæ.

648 Q. Quid sit Missa latè, seu generaliter sumpta.

℟. Missa est sanctissimæ Eucharistiæ consecratio sub vtraq; Specie scilicet panis & vini eiusdēq; oblatio,& sumptio cū cæremonijs ad illā pertinentib9 ante,& post consecrationē

649 Q. Quid sit Sacrificium latè acceptū.

℟. Sacrificium latè, seu generaliter acceptum est externa, & sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, vt legitimo, ac solemni ritu in illius honorem, & cultum aliquo modo immutetur à publico, & legitimo Ministro insignum supremi super res omnes Domini ipsius Dei.

650 Q. Quid sit sacrificium Missæ, & quid sit Missa propriè sumpta.

℟. Missæ Sacrificium latè seu generaliter, vel communiter acceptū idem est, quod Missa iuxta superius traditam definitionem; sed propriè loquendo. Sacrificium Missæ significat solam consecrationem, oblationem, & sumptionem, sanctissimæ Eucharistiæ; istæ enim tres partes, seu potius actiones solùm sunt essentiales Sacrificij reliqua verò, quæ antecedunt, & sequuntur, pertinent ad Sacras cæremonias eiusdem Sacrificij, quæ tamen veniunt nomine Missæ. Huiusque rei

 verita-

veritatem videtur docere Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. vbi habet, quod divinum Sacrificium in Missa peragitur, ergo est discrimen inter Sacrificium, & Missam sumptam pro actione sacrarum cæremoniarum antecedentium, & subsequentium ipsum sacrificium, sicut est discrimen inter id, quod agitur, & inter id, in quo aliquid agitur.

651. Q. Quid in sacrificio Missæ offeratur

℟. Christus Dominus sub specie panis, & vini Æterno Patri offertur.

652. Q. Quando fiat oblatio in Missæ Sacrificio.

℟. Oblatio fit post consecrationem, non ante, licèt præmittatur illa Missæ pars, quæ offertorium vocatur, quia tunc non fit oblatio, quia Victima offerenda, quæ est Christus Dominus, nondum consecrata est in ipso Sacrificio Missæ.

653. Q. Ad quid vocetur offertorium ante consecrationem, si tunc oblatio non fit.

℟. Vocatur offertorium, quia oblata, hoc est panis, & vinum, præparãtur consecranda, id est immutanda, seu potius transsubstantianda in corpus, & sangvinem Domini Iesu Christi, offerendaquè Æterno Patri, quod est de Sacrificij ratione, ut supra expositum est; & supradicta præparatio manifestatur ante consecrationem his verbis in Missa prolatis,

latis. Et benedic hoc Sacrificium tuo Sancto nomini præparatum.

654. Q. An ab vno Sacerdote eadem die plures Missæ celebrari possint.

℞. Ab uno Sacerdote tres Missæ in die Nativitatis Domini celebrari possunt cap. Nocte sancta de consecr. d. 1. ex Telesphoro Papa. Vna potest celebrari in media nocte, altera in aurora, tertia in die claro, & dici possunt etiam vna post aliam immediatè in die claro; prima significat tempus ante legem, quando homines erant ignorantiæ tenebris involuti; secunda significat tempus legis veteris, quando nundum plena Dei cognitio habebatur; tertia indicat tempus legis novæ, seu gratiæ, quando plena cognitio rerum fidei habebatur.

655. Q. An idem Sacerdos alio tempore à die Nat. Domini vno die plures Missas celebrare possit.

℞. Summistæ ponunt septem casus, quibus idem Sacerdos plures Missas una die celebrare potest. Primus casus est propter infirmum communicandum. Secundus est propter defunctum sepeliendum. Tertius est propter necessitatem peregrinorum die festo, vel Dominico. Quartus est propter dandam benedictionem nuptialem. Quintus est, quando occurrunt duæ Missæ, altera de festo, altera

de Vigilia de præcepto. Sextus eſt, quando ſupervenit magnus Princeps, vel Prælatus. Septimus eſt, quando quis habet duas Eccleſias, & utriuſquè populo ſatisfacere tenetur, ut tempore Paſchatis occurrit. Quorum quidem caſuum ſolummodò unus eſt in uſu, & eſt ultimus caſus, de quo Suarez aſſerit, quòd ſtante proportionali neceſſitate non ſolùm duæ, ſed etiam tres Miſſæ dici poſſunt, quod tamen verificatur, quando Sacerdos non ſumit ablutionē in unaquaque Miſſa, ut etiam in die Nativitatis Domini ſervatur, ſicut in Miſſali declaratur. Et circa Sextum caſum adverte, quòd quando ſupervenit Prælatus, vel magnus Princeps, & iam incæpta eſt Miſſa, ſi fuerit ante conſecrationem, Sacerdos poterit reincipere Miſſam nedum ſemel, ſed etiam bis, ſi de novo alius maior ſupervenerit, ſed hoc debet fieri cum conſenſu Epiſc:

656 Q. An Parochus teneatur celebrare tres Miſſas in die Nativitatis Domini.

℟. Non tenetur ſub mortali celebrare tres Miſſas ipſo die Nativitatis, niſi ſcandalum, vel contemptus adſit; & qui vnam tantum Miſſam celebrat, tenetur celebrare primam, vel tertiam Miſſam; quia prima eſt propriè de Nativitate Domini, cùm in ipſius Miſſæ Evangelio exprimatur Mariam Virginem peperiſſe Dominum, & in tertia Miſſa adſit

oratio, quæ cum officio concordat, & hoc de causa melius facit, si celebret hanc tertiam Missam.

657 Q. An ille, qui tres Missas celebrat in die Nativitatis, & in prima & in secunda non sumit purificationem, teneatur dicere illas preces, que in purificatione calicis, & ablutione digitorum dici solent.

℟. Tenetur & Gavantus advertit, quod purificatio digitorum in vase præparato fieri debet non autem in calice, & ipse calix solum in tertia Missa purificatorio est abstergendus.

658 Q An Sacerdos statim post primam Missam possit prosequi alias duas successive tempore nocturno post mediam noctem.

℟. Privatim hoc facere potest; quia nullo iure prohibetur, vt asseritur à Suarez contra Navarrum, & alios Summistas.

659 Q. An Sacerdos possit interrumpere, seu discontinuare Missam incæptam etiam facta consecratione propter audiendam confessionem moribundi, vel etiam vniendum infirmum proximum morti, aut propter baptizandum puerum similiter proximum morti.

℟. Potest, sed interim in loco tuto Eucharistia poni debet, & admonendus est populus de causa discessus ab Altari.

660. Q. Qualis Missa singulis diebus debeat celebrari.

℟. Missa, & officium divinum diei concordare debent, præsertim diebus festis, & Dominicis quibuscunquè; quando veró non est dies festus, possunt dici Missæ votiuæ, aut de Requiem privatim, prout quis voluerit ita asseritur à Ioanne Baptista de Fabris in Manuali Ordinandorum.

661. Q. Quod orationes possint dici in Missa privata, sitne votiua, sive de festo simplici, aut semiduplici.

℟. In festo semiduplici, & simplici, & ferijs per annum tres orationes, aut quinque aut ad libitum septem dici possunt.

662. Q. Quid significent numerus ternarius, numerus quinarius, & numerus septenarius orationum.

℟. Ternarius numerus sanctissimam Trinitatem, quinarius Christi passionem quinquè partitam, & septenarius septem petitiones in oratione Dominica contentas significat.

663. Q. An Missa de Requiem diebus festis celebrari possit.

℟. Potest, dummodò insepultum, & in Ecclesia præsens sit corpus defuncti; sic Sacra Congregatio declaravit, de quo vide infra.

664. Q. An pro implenda voluntate testatorum possint dici Missæ de Requiem in festo duplici.

℟. Possunt dummodò illud festum non sit de

præce-

præcepto, & hoc est iuxta Congregationis declarationem; sed advertendum est, quòd non ad arbitrium vivorum, sed propriè pro implenda lege defunctorum id fieri potest.

665. Q. An pro Missa de Requiem Missa de Sancto, vel de feria currente dici possit.

℟. Potest, quando maiore devotione afficimur in his Missis, & multò magis, si Rubricæ obstent celebrationi Missarum de Requiem eo tempore.

666. Q. An quando Missa Rosarij imponitur dicenda Sacerdoti, qui non est Religiosus Ordinis Prædicatorum; ipse Sacerdos possit celebrare Missam votivam B. Virginis de tempore currenti loco Missæ Rosarij.

℟. Potest, & ita Sacra Congregatio declaravit, quia Missa Rosarij concessa est soli Ordini Prædicatorum.

667. Q. An Missæ nuncupatæ S. Gregorij, & quædam aliæ prohibitæ sint à Sacra rituum Congregatione.

℟. Sunt, ut patet in una pagina Missalis novi in principio ipsius Missalis his verbis, scilicet, Ex registro Decretum Sacræ rituum Congregationis.

Sacra rituum Congregatio, inhærendo Decretis aliàs factis prohibet omninò Missas à Sacra rituum Congregatione non approbatas, & signanter Missas nuncupatas S. Grego-

rij pro vivis, & defunctis, Missas quindecim Auxiliatorum, Missa de Patre Æterno, & quascunquè alias, ut supra, non approbatas; exceptis tamen Missis Rosarij, & de Monte Carmelo, quæ sunt permissæ Regularibus quibusdam, & ijsdem dumtaxat: nec possunt ab alijs celebrari etiam in ipsorũ Regularium Ecclesijs.

Nemo audeat vti Pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumquè contraria consvetudine.

Item prohibetur usus Rochetti exceptis tamen quibus de iure competit & præter hos statuitur, & declaratur, nemini licere inservire, aut assistere in celebratione Missarum, aut divinorum officiorum cum Rochetto, nequè cum superpelliceo habente manicas angustas ad instar Rochetti: & idem servandum est in contionibus. Paramenta nõ debent sumi de Altari pro celebratione Missarum, cùm id competat tantùm Episcopis, siue solemniter, siue privatim celebrant. Inferioribus verò habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant.

668. Q. An Aliquis ad celebrandam Missam quotidie obligari possit.

℞ Nequaquam: & si permitteret se obligari, & exprimeret clarè hanc obligationem non valeret.

valeret: sed si in aliquo Monasterio instituta esset aliqua Mansionaria cum onere, ut quotidie pro anima instituentis Missa celebretur sinon ab uno, saltem ab alio ex Sacerdotibus in eodem Monasterio degentibus, ipsa Mansionaria valeret.

669. Q. An Mansionarius, qui tenetur diebus determinatis quotidie celebrare, teneatur substituere alium, qui satisfaciat, si infirmetur.

℞. Si ipsius Mansionarij infirmitas brevi sit duratura, ut scilicet, vel altera hebdomada, aut etiam permensem, non tenetur substituere alium, quia præsumitur, quòd in tali casu brevis infirmitatis, fundator Mansionariæ eum non obligasset: si verò ipsa infirmitas diutiùs sit duratura, teneatur substituere alium, qui satisfaciat, dummodò legitimum stipendium pro tali Monsionaria sit assignatū quotidie celebranti.

670. Q. An Sacerdos omnibus diebus totius anni possit celebrare Missam.

℞. Potest celebrare Missam, præterquam in Parasceve, & peccaret mortaliter celebrando tali die, si consecraret, quia, ut ait Sotus, contraveniret iustissimæ cæremoniæ Ecclesiæ, si Hostiam, aut vinum consecraret.

671. Q. An Sacerdos privatim celebrare possit Missam Sabbato Sancto.

Resp.

℟. Quilibet Sacerdos potest ipso Sabbato sancto celebrare Missam privatim, dummodò à Prælato habeat licentiam celebrandi eodem die.

672. Q. An Sacerdos sub mortali teneatur celebrare Missam ter, vel quater quolibet anno.

℟. Secundùm Suarez sic tenetur, nisi legitimo impedimento excusetur; & ratio est, quia ex officio, scilicet, quia Sacerdos est, tot vicibus tenetur celebrare quolibet anno, id est in festis principalioribus, ut scandalum omninò vitetur.

673. Q. quod conditionibus Missa sit celebranda.

℟. Missa celebrari debet cum quatuor conditionibus, scilicet cum A, B, C, D; cum A, id est cum Alta voce; cum B, idest cum Brevitate moderata temporis; cum C, id est cum Clara prolatione verborum; & cum D, id est cum Devotione; quæ quidem conditiones à communi sententia sunt approbatæ.

674. Q. An Sacerdos teneatur celebrare Missam tanta voce, ut audiatur à circumstantibus; cùm adsit præceptum audiendi Missam.

℟. Vt quis satisfaciat præcepto de audienda Missa; satis est, si corpore adsit, & mente attendat ad id, quod fit in Missa; licèt au-

ribus

tibus non percipiat voces; ideóque celebrans minimè tenetur ad vocem plenam, & illa supradicta conditio Missæ, quòd scilicet celebretur alta voce, intelligitur, ut sit tam alta, ut si quis vicinus sit à dextris, vel à sinistris celebrantis, possit audire verba ab ipso celebrante prolata, quæ non sunt appellata secreta.

675. Q. An quando Sacerdos celebrans adeò citò Missam celebret, licèt cum circumstantijs requisitis, ut vix creditur recitasse dimidium Missæ, at astantes dubitant, vtrũ verba consecrationis protulerit, tunc liceat adorare Sanctissimam Eucharistiam sub conditione, scilicet si Hostia, & vinum fuerint consecrata.

℟. Nequaquàm sic adorare licet, quia actus moralis benè condicionatus, licèt velox fuerit, debet existimari legitimè factus; & proptereà in tali casu Sanctissima Eucharistia absolutè est adoranda.

676. Q. An Missa possit celebrari à solo Sacerdote sine Ministro.

℟. Hoc non licet, iuxta cap. Hoc quoque, de consecr. d. 1. ubi præcipitur, nullum Presbyterum præsumere celebrare solemnia, nisi duobus præsentibus, sibi que respondentibus; sed propter consuetudinem sufficit vnus, qui debet esse vir, etiam si laicus sit, sed

aptior

aptior ad hoc inveniendus est, & nunquam fœmina, etiam si esset fœmina valdè pia, & etiam Religiosa, seu sanctimonialis.

677. Q. Quid Sacerdos celebrans facere debeat, si ille, qui Missæ inservit, discesserit ab Ecclesia, & non redierit, & nullus sit, qui eum vocare possit, & sola fœmina adsit.

℟. Ipse Sacerdos in tali casu sibi responderе tenetur.

678. Q. An quando Sacerdos celebrat Missam solemniter cum Ministris Subdiacono, & Diacono, quorum alter Epistolam, alter Evangelinm cantat, ipse Sacerdos celebrans teneatur legere ipsam Epistolam, & Evangelium submissa voce.

℟. Nequaquam sub peccato ipsa sic legere tenetur, quia hoc nullo iure cavetur, ut Nauarr. ait cum alijs.

679. Q. An aliquis possit celebrare Missam sine Missali, cùm memoria teneat totam Missam.

℟. Nequaquam tuta conscientia hoc facere potest quò ad Missalis partem continentem Canonem ipsius Missæ propter periculum oblivionis.

680. Q. Quod genera defectuum possint occurrere in celebratione Missarum.

℟. Tria: Primum est circa materiam consecrandam: Secundum est circa formam adhibendam

bendam: Tertium est circa Ministrum celebrantem, & conficientem Eucharistiæ Sacramentum.

681. Q. An possit confici Eucharistiæ Sacramentum, si deficiat materia, aut forma, aut Minister Sacerdos.

℟. Nequaquam; quia materia, forma, & talis Minister sunt requisita essentialia ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum.

682. Q. Quæ sit materia ad conficiendum ipsum Eucharistiæ Sacramentum.

℟. Est panis triticeus, & vinum ex uvis de vite.

683 Q. An idem sit frumentum, & triticum.

℟. Propriè loquendo, non est idem.

684. Q Quid nomine tritici intelligatur, loquendo de materia Sacramenti Eucharistiæ.

℟. Hoc quod vocamus triticum.

685 Q Quæ sit forma Sacramenti Eucharistæ.

℟ Verba hæc: Hoc est enim Corpus meum: & hæc: Hic est enim Calix Sangvinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

686 Q. Quis sit Minister conficiens ipsum Eucharistiæ Sacramentum.

℟. Est Sacerdos novæ Legis, scilicet Sacerdos Evangelicus.

687. Q. An pànis triticeus, qui est materia consecranda, si non sit coram Sacerdote in actu consecrationis possit consecrari.

℞. Minimè; & idem est dicendum de vino de uvis de vite, quod quidem vinum, ut dictum est, similiter est materia consecranda.

688. Q. An quando panis non est triticeus, vel si triticeus, admixtus est granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, confici possit Eucharistiæ Sacramentum.

℞. Non potest; quia panis debet esse triticeus quò ad maiorem ipsius partem, ita ut triticeus iudicetur à viro prudente.

689. Q. An conficiatur Sacramentum, si panis triticeus sit corruptus,

℞. Non.

690 Q. An Sacramentum conficiatur, si panis triticeus sit confectus de aqua rosacea, vel alia distillata.

℞. Secundum Missale Romanum dubium est, an conficiatur Sacramentum; & ideò tutius est cum Toleto, & alijs tenere non confici Sacramentum, si panis triticeus sit confectus cum tali aqua distillata.

691 Q. An conficiatur Sacramentum, si panis triticeus cæperit corrumpi, sed non sit corruptus; & similiter si non sit azymus secundùm morem Ecclesiæ.

Resp.

℟. Conficitur, sed conficiens graviter peccat.

692. Q. Quid Sacerdos celebrans facere debeat, si ante consecrationem aduertat Hostiam esse corruptam, aut non triticeam.

℟. Debet removere Hostiam illam, & ponere aliam; & facta oblatione saltem mente concepta, debet prosequi ab eo loco, ubi desinit.

693. Q. Quid Sacerdos celebrans agere debeat, si post prolationem verborum consecrationis super Hostiam corruptam, aut non triticeam, etiamsi post ipsius Hostiæ sumptionem advertat ipsam Hostiam esse corruptam, aut non esse ex tritico confectam.

℟. Debet accipere aliam Hostiam, facere oblationem saltem mentaliter, & à consecratione incipere, scilicet ab illis verbis: Qui pridiè quam pateretur: & ob reverentiam consecrationis, debet sumere illam priorem post sumptionem corporis, & sangvinis, vel tradere eam ab alio sumendam, vel alicubi reverenter conservare; si autem sumpserat ipsam, nihilominus sumat illam, quam denovo, consecrauit, quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quàm quòd à ieiunis sumatur.

694. Q. Quid celebrans agere debeat, si post sumptionem sanguinis advertat Hosti-

ma esse corruptam, aut non esse triticeam.

℟. Debet apponere rursus novum panem & vinum cum aqua, facere oblationem saltem mentaliter, postea consecrare, incipiendo ab illis verbis: Qui pridie: statim sumere vtramque, & prosequi Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, vt debitus seruetur Ordo.

695 Q. Quid sit agendum à celebrante, si Hostia consecrata disparcat, vel casu aliquo, vt vento, aut miraculò, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri.

℟. Debet consecrare aliam, incipiendo ab eo loco: Qui pridie quàm pateretur, facta priùs eiusdem oblatione, saltem mentaliter.

696 Q. An conficeatur Sacramentum, si vinum sit factum penitùs acetum, vel penitùs putridum, vel de vuis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei ad mixtum tantũ aquæ, vt vinum sit corruptum.

℟. Non conficitur.

697 Q. An conficiatur Sacramentum, si vinum cæperit acescere, vel corrumpti, vel fuerit aliquantum acre vel mustum de vuis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua naturalis, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu similis.

℟. Conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

698 Q. Quid celebrans agere debeat, si ante consecrationem sanguinis, quamvis post consecrationem corporis advertat aut vinum, aut aquam, aut vtrumque non esse in Calice.

℟. Debet statim apponere vinum cum aqua in Calice, & facta oblatione saltem mentali consecrare, incipiendo ab illis verbis: Simili modo, &c.

699 Q. Quid celebrans agere debeat, si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed tantùm aquam.

℟. Debet deponere aquam in aliquod vas, ponere vinum cum aqua in Calice, & consecrare resumendo à verbis prædictis: Simili modo, &c.

700. Q. Quid agere debeat celebrans, si post sumptionem Corporis, vel etiam aquæ positæ inadvertenter in Calice loco vini advertat aquam tantùm ab ipso sic positam fuisse.

℟. Debet apponere aliam Hostiam iterũ consecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerre vtrumque, consecrare, & sumere, quamvis non sit ieiunus; vel si Missam celebret in loco publico, vbi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione mentaliter, debet consecrare, ac statim su-

mere, & prosequi cætera ipsius Missæ.

701. Q. Quid celebrans agere debeat, si percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem totum vinum esse acetum, vel aliàs corruptum.

℟. Dedet deponere illud vinum corruptum in aliquod vas, ponere vinum cum aqua in calice, & facta oblatione, saltem mentaliter consecrare, resumendo à verbis illis [Simili modo, &c)

702. Q. Quid agere debeat celebrans, si ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam.

℟. Debet statim ponere ipsam aquam, offerre saltem mentaliter vinum cum eadem, & proferre verba consecrationis incipiendo ab illis (Simili modo, &c.

703. Q. Quid agere debeat celebrans, si post consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam.

℟. Debet prosequi Missam sine aqua in calice, in hoc enim casu non debet apponere ipsam aquam in eodem calice, quia non est de necessitate Sacramenti.

704. Q. quid agendum sit à celebrante, si materia, quæ esset apponenda ratione defectus panis, vel vini, non posset vllo modo haberi.

℟. Si id sit ante consecrationem corporis, ulteri-

ulteriùs procedi non debet; si post consecra-
tionem corporis, aut etiam vini, deprehendi-
tur defectus alterius speciei, alterâ iam con-
secratà, tunc si nullo modo haberi possit, pro-
cedendum erit, & Missa absolvenda, ita ta-
men ut prætermittantur verba, & signa, quæ
pertinent ad speciem deficientem Quod si ex-
pectando aliquandiu eadem materia haberi
possit, expectandum erit, ne Sacrificium re-
maneat imperfectum.

705. Q. An panis ex tritico non coctus
possit esse materia Sacramenti Eucharistiæ.

℟. Non quia propriè non est panis sed mas-
sa cruda.

706. Q. An panis, qui confectus ex tri-
tico, & lacte, aut vino, aut alio liquore, qui
non est aqua elementaris, sit materia huius
Sacramenti Eucharistiæ.

℟. Nequaquàm, quia liquor ingrediens
compositionem, seu mixtionem ipsius panis
debet esse aqua elementaris.

707. Q. An panis triticeus non azymus,
sed cum fermento confectus sit materia legiti-
ma ipsius Sacramenti Eucharistiæ.

℟. Nequaquàm in Ecclesia Latina, sed est
materia legitima in Ecclesia Græca.

708. Q. An Sacerdos Latinus celebrans,
si consecret panem fermentatum, & Sacerdos
Græcus celebrans, si consecret panem azymũ-
id est

id est sine fermento Sacerdotes conficiant Sacramentum.

℟. Conficiunt Sacramentum, sed peccant mortaliter; quia quisque consvetudinem suæ Ecclesiæ tenetur observare.

709. Q. An Vinum confectum ex pomis, sive ex moris, sive ex radicibus, possit esse materia Sacramenti Eucharistiæ.

℟. Non potest quia materia huius Sacramenti debet esse ex uvis vinum, & non aliud vinum, ut supra dictum est.

710. Q. An vinum album sit magis materia ipsius Sacramenti Eucharistiæ, quàm sit vinum rubrum.

℟. Vinum sive sit album, sive rubrum, dummodò sit ex uvis, est æqualiter materia ipsius Sacramenti, sed est magis in usu vinum album propter munditiem maiorem, & huius ratione convenientius videtur vinum album in Missæ Sacrificio adhibendum.

711. Q. Cur materia sanctissimi Sacramenti debeat esse panis azymus, & vinum ex uvis de vite.

℟. Quia Christus Dominus consecravit in tali pane, & vino.

712. Q. An pauca aqua existens cum vino in calice sit simul cum ipso vino materia ipsius Sacramenti, etiamsi non convertatur in vinum.

℟. Maximè.

713. Q. An sint duo Eucharistiæ Sacramenta, cùm duplex sit materia consecrata, & duplex forma adhibita, scilicet materia panis triticeus, & vinum ex vuis Vitis, & formæ verba applicata ipsi pani, & verba applicata ipsi vino.

℟. Vnum est Eucharistiæ Sacramentum ex his duobus.

714. Q. Cur sit unum Sacramentum Eucharistiæ data duplici materia, & duplici forma.

℟. Vnicum tantùm est Eucharistiæ Sacramentum, tum ob unitatem contenti sub illis speciebus, qui unus est Christus; tum ob unitatem effectus; una enim gratia communicatur, tum ob unitatem finis, unionem enim, Ecclesiæquè vnitatem significat.

715. Q. An Sacerdos possit consecrare materiam, quando ipsa materia non est coram ipso Sacerdote.

℟. Non potest.

716. Q. Qualis præsentia ipsius materiæ sit necessaria, ut consecrari possit.

℟. Illa, quæ usu, & more humano rei præsentia iudicatur, est necessaria ad consecrationem, & dicitur præsentia moralis.

717. Q. Quod sint huius præsentiæ moralis conditiones.

℟. Duæ, altera, ut res sit coram homine, altera,

altera, ut non ſit nimis diſtans, licèt oculis videri poſſit.

718. Q. An hoſtia confecta ex farina vetere plurium annorum poſſit conſecrari.

℟. Non poteſt ſi illa farina erat corrupta, ſed poteſt conſecrari, ſi illa farina incæperat corrumpi, aut non erat corrupta.

719. Q. An hoſtia confecta ex farina tritici à furfure non ſeperata poſſit conſecrari.

℟. Nequaquám quia eſt panis medius, & non eſt uſualis, ideò non eſt materia conſecrabilis ſi furfur ſit in maiori quantitate,

720. Q. Quanta materia poſſit conſecrari.

℟. Quantacumque illa ſit, ſed debet conſecrari tanta, quanta ad uſum fidelium ſufficere poſſit.

721. Q. Quanta debeat eſſe hoſtia conſecranda, & cuius figuræ.

℟. Debet eſſe tanta, quanta ſufficiat, ut videri poſſit à circumſtantibus perſonis, & debet eſſe figuræ rotundæ, & circularis, ut eſt uſu receptum.

722. Q. Cur in utraque parte hoſtiæ, id eſt ante, & retro non ſit formatus Crucifixus, ſed ſolummodò in ea parte, quam celebrans ante oculos habere debet.

℟. Chriſtus eſt Deus, & homo, quatenus eſt Deus, caret figura, ideò poſt vnam partem

hostiæ non figuratur, ut significetur Deitatem invisibilem esse.

723. Q. Quantæ magnitudinis debeant esse particulæ consecrandæ, & fidelibus distribuendæ, & an debeant habere figuram Crucifixi in aliqua parte.

℟. Vnaquæque illarum debet esse tanta, quanta est hostiæ pars quarta, & non oportet ipsas particulas habere figuram Crucifixi.

724. Q. An Sacramentum conficeretur, si celebrans immutaret verba consecrationis, & sensum ipsorum verborum mutaret.

℟. Nequaquàm.

725. Q. An conficeretur Sacramentum, si celebrans aliquid adderet formæ consecrationis, quod significationem, vel sensum non mutaret.

℟. Conficeretur, quidem Sacramentum, sed mortaliter peccaret celebrans sic consecrãdo, si adverteret ipsam additionem esse contra Ecclesiæ præceptum.

726. Q. Quid celebrans agere debeat, si non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, & solent ab eo dici.

℟. Non debet propterea turbari, sed prosequi Missam debet decenter.

727. Q. Quid facere debeat celebrans, si ipsi sine aliquo dubio constet se omisisse aliquid

quid

quid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est formam consecrationis, seu partem essentialem ipsius.

℟. Debet resumere ipsam formam, & cætera prosequi per ordinem iuxta Rubricas Missalis.

728. Q. Quid celebrans agere debeat, si valdè probabiliter dubitet se aliquid essentiale verborum consecrationis amisisse.

℟. Debet iterare formam consecrationis, saltem sub mentali conditione.

729. Q. Quid celebrans debeat agere, si certò sciat, aut valdè probabiliter dubitet, se omisisse verba, quæ non sunt de necessitate Sacramenti.

℟. Debet non resumere ea & procedere vlteriùs in celebranda Missa.

730. Q. An Sacerdos possit consecrare unam partem hostiæ, & non aliam partem ipsius.

℟. Potest, si determinet quam partem consecrare intendat: at si indeterminate, tertiam, vel aliam partem consecrare vellet, nullam consecraret.

731. Q. An celebrans conficiat Sacramentum, si habeat coram se vndecim Hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendat.

℟. Non conficit Sacramentum, quemadmodum non conficeret Sacramentum, etiamsi ad

esset

esset coram quantacumque materia, nisi intentionem consecrandi ipsam haberet, quia requiritur necessario intentio ad consecrandũ.

732. Q. An sit regula generalis ad verè consecrandam materiam existentem coram Sacerdote.

℟. Est, & est hæc, quòd celebrans habeat intentionem consecrandi omnes hostias, & particulas, quas ante se ad consecrandum positas habet.

733. Q. An, dato casu, quòd Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, debeat sumere unam, scilicet primam visam ab eo, aut ambas.

℟. Debet sumere simul vtramque, quia supponere debet se habuisse intentionem consecrandi totam materiam, quam manibus tenebat in actu consecrationis.

734. Q. Quid celebrans agere debeat si deprehendat post sumptionem corporis, & sanguinis, aut etiam post acceptam ablutionem, reliquas aliquas relictas consecratas.

℟. Debet sumere eas, sive parvæ sint sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant.

335. Q. Quid celebrans agere debeat, si post sumptionem corporis, & sanguinis videat hostiam integram consecratam relictam.

℟. Debet ponere eam cum alijs in tabernaculo.

culo; sed si hoc facere nequeat, in ipso calice, seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur; quòd si non habeat, quomodò honestè conservetur, ipsemet eam sumere potest.

736. Q. An celebrans conficiat Sacramentum, si non habeat intentionem actualem in actu consecrationis propter mentis evagationem, sed habeat virtualem intentionem consecrandi; cùm accedens ad Altare intendat facere, quod Ecclesia facit.

℟. Conficit Sacramentum.

737. Q. An Sacerdos suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs Canonicè impeditus conficiat Sacramentum, si celebret Missam.

℟. Conficit Sacramentum, sed gravissimè peccat tàm propter communionem, quam indignè sumit; quàm propter Ordinum executionem, quæ sibi est interdicta.

738. Q. An Sacerdos existens in peccato mortali, & habens copiam confessarij peccet mortaliter si celebret, nisi priùs rectè confiteatur.

℟. Mortaliter peccat, nisi habeat excusationem non confitendi confessario illi; in quo casu excusationis huiusmodi debet habere contritionem, & querere alium confessarium post Missam, & confiteri huic confessario invento.

739 Q. An Sacerdos non habens copiam confessarij in casu necessitatis celebrandi, peccet mortaliter, si celebret cum sola contritione peccati mortalis.

℟. Non peccat mortaliter, sed in tali casu tenetur post Missam quamprimùm confiteri; sed sine contritione celebrans in peccato mortali non est liber à mortali, licèt adsit casus necessitatis, qui actus contritionis potest haberi omni tempore, cùm sit actus liberè voluntatis.

740. Q. Quid Sacerdos agere debeat, si in celebratione Missæ recordetur se esse in peccato mortali.

℟. Debet conteri cum proposito confitendi, satisfaciendi, & sic prosequi Missam.

741. Q. Quid celebrans agere debeat, si in ipsa Missæ celebratione recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum.

℟. Debet similiter conteri cum proposito petendi absolutionem post Missam, & prosequi ipsam Missam.

742. Q. An celebrans debeat Missam incæptam relinquere imperfectam, si in actu celebrationis Missæ in duobus proximis supradictis casibus, scilicet in quibus recordetur se esse in peccato mortali excommunicatum, vel suspensum, aut locum, in quo celebrat, esse interdi-

terdi.

terdictum, ante consecrationem ipsam recordetur.

℞. Si non timeatur scandalum, debet deserere Missam, & relinquere imperfectam.

743 Q. An Sacerdos possit tuta conscientia accipere ore sanctissimum sacramentum, & celebrare, si non sit ieiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi; per modum etiam medicinæ, & in quacumque parva quantitate; nisi esset tanta parva quantitas, quòd esset sumpta per modum salivæ.

℞. Non potest.

744 Q. An, dato casu, quòd Sacerdos ante mediam noctem cibum; aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, peccet celebrando mane proximo sequenti.

℞. Non peccat, sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

745. Q. An, dato casu, quòd reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur per modum salivæ, itemquè si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem, quilibet horum casum impediat communionem, & Missæ celebrationem.

℞. Nequaquam quia ipsæ reliquiæ cibi, & stilla aquæ sunt minimæ quantitates.

746. Q. An, dato casu, quòd Sacerdos celebret plures Missas in una die, ut in Nativitate Domini fieri solet, debeat percipere purificationem in omnibus ipsis Missis.

℟. Debet abluere digitos in omnibus Missis, sed percipere purificationem tantum in ultima earum, ut superiùs dictum est.

747. Q. An Sacerdos debeat à communione, & celebratione Missæ abstineri, si præcesserit pollutio nocturna.

℟. Si præcesserit ipsa pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione, & celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si autem dubium est an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum: extra tamen casus necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex causa naturali, aut ex diabolica illusione, potest communicari, & celebrari, nisi ex illa corporis commotione nimis magna evenisset perturbatio mentis.

748. Q. An Sacerdos possit celebrare Missam tuta conscientia in his casibus, scilicet, si non adsit locus Sacer, vel deputatus ab Episcopo; Si non adsit Altare consecratum, vel

tribus

tribus mappis coopertum; si non ad sint lumi. naria cerea; si non sit tempus debitum cele. brandi, quod est ab aurora usque ad meridi. em, ut communiter tenetur; si aliquid notabi. le ex vestibus Sacerdotalibus desit; si vestes Sa cerdotales, & mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hãc habente potestatẽ benedictæ; si non adsit Clericus, vel alius deseruiens in Missa; vel si adsit qui deservire non debet, ut mulier; si non adsit Calix cũ Patena conveniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea, vel vitrea; si corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedicta: si caput sit coopertum sine dispensatione; si non adsit Missale, licèt memoriter sciretur Missa.

℟. Nequaquam Sacerdos in illis casibus potest celebrare Missam conscientia tuta; si autẽ celebraret in ipsis casibus, mortaliter peccat, quia in rebus gravibus adversùs Ecclesiæ præscripta operatur.

749. Q. An celebrans peccet, si celebret Missam ante Matutini recitationem.

℟. Si adsit aliqua rationabilis causa, nullũ committit peccatum; si autem nulla sit causa, peccat solummodò venialiter, etiamsi in Rubrica Missalis novi dicatur recitandum esse Matutinum cum Laudibus ante Missæ celebrationem,

tionem, quia hoc non dicitur præcipiendo; sed exhortando, aut monendo, ut devotè Missa celebretur; nam etiam in ipsis Rubricis dicitur recitandas esse quasdam Orationes ante Missæ celebrationem; & tamen iuxtà communem sententiam non est mortale ommittere ipsas orationes, quia per hæc, & similia Sancta Mater Ecclesia, cùm sit pia Mater, non vult hominum damnationem; quod confirmatur ex hoc quia iugum Domini suave est, & onus eius leve.

750. Q. An prætermittere, aut omittere stolam, vel manipulum in Missæ celebratione in casu necessitatis sit mortale.

℟. Negativè secundùm Suarez, quia necessitas legem non habet.

751. Q. An dimittenda sit Missa, si Sacerdote celebrante Ecclesia violetur.

℟. Si Ecclesia violetur ante Canonem, Missa est dimittenda, & Ecclesia reconciliari debet; sed si post Canonem Ecclesia violetur, Missa non est dimittenda; item si timeatur incursus hostium, vel alluvionis; vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem, dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omnibus alijs omissis.

752. Q. An Missa sit prætermittenda, si Sacerdos celebrans Missā graviter infirmetur,

vel in syncopen inciderit, aut moriatur.

℟. Si Sacerdos ante consecrationem infirmetur, vel in syncopen incidati, aut moriatur, intermittatur Missa; Si post consecrationem Corporis tantùm ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidat, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, vbi ille desijt; & in casu necessitatis etiam per non ieiuniu m. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen ut possit communicare, & non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma corporis obijt Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco: Simili modo postquam cœnatum est: Vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem à se consecratum, ac deindè calicem relictum semiconsecratum.

753. Q. An celebrans graviter peccet, si extra dictos casus necessitatis nō sumpserit integra Sacramenta?

℟. Graviter peccat.

754. Q. Quid celebrans facere debeat, si

musca

musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem.

℞. Si hoc accidat ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat saltem mentaliter, & prosequatur Missam; sed si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lauet cum vino; finita Missa, cumburat, & combustio, ac lotio huiusmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit cū nausea, nec vllum periculum timeat, sumat cum sangvine.

755. Q. Quid agendum sit à Sacerdote, si aliquid venenosum ceciderit in Calicem continentem vinum consecratum; vel ceciderit in eumdem Calicem, quod provocaret vomitum.

℞. Vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò consecrandum: & finita Missa sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ; tunc & stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium projiciatur.

756. Q. Quid celebrans agere debeat, si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam.

℞. Tunc alteram Hostiam consecret, & sumat

mat modo, quo dictum est, & illa servetur in Tabernaculo in loco separato, donec species corrumpantur, & corruptæ deindè in Sacrarium mittantur.

757. Q. Quid agere debeat Celebrans, si sumat sanguinem, & particula remaneat in Calice.

℟. Debet digito ad labrum Calicis adducere eam, & sumere ante purificationem, vel infundere vinum, & sumere ipsum cum particula eadem.

758. Q. Quid celebrans agere debeat, si Hostia inveniatur fracta.

℟. Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter fractura appareat, talis Hostia consecretur; si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur; Missa continuetur iuxtà consvetudinem.

759. Q. Quid celebrans debeat agere, si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem.

℟. Debet prosequi Missam, faciendo cæremonias, & signa consveta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sangvine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non debet extrahere eam, sed debet dicere omnia alia ipsius Missæ, omittendo signa, & debet sumere pariter Corpus, & sanguinem,

ſignans ſe cum Calice, & dicens: Corpus, & ſanguis Domini noſtri, &c.

760. Q. Quid celebrans agere debeat, ſi in hyeme ſangvis congeletur in Calice.

℟. Debet inuoluere Calicem panis calefactis; ſi id non proficeret, debet ponere ipſum Calicem in ferventi aqua propè Altare, dummodò in Calicem non intret aliquid extraneũ, donec liquefiat ipſe ſangvis.

761. Q. Quid à celebrante agi debeat, ſi per negligentiam aliquid de ſanguine Chriſti ceciderit extra Calicem.

℟. Si aliquid de ſanguine ceciderit ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, lingva lambatur, & locus ipſe radatur, quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò ſuper lapidem Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus bene abluatur, & ablutio in ſacrarium proijciatur. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla pervenerit, ſi uſque ad ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in Sacrarium proijciatur. Quòd ſi in ipſo ſolùm Corporali, aut ſi in veſtibus ipſis Sacerdotalibus ceciderit debet ſimiliter ablui & ablutio in Sacrarium proijci. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, ut ſupra.

762. Q. Quid agendum à Sacerdote cele-

brante, si contingat totũ sanguinem pòst consecrationem effundi.

℟. Si totus non sit effusus, & aliquid, vel parum remansit, hoc sumatur, & abluantur res ab ipso sanguine effuso tactæ, & reliqua fiant iam dicta in casu proximè supradicto. Si verò nihil omninò de sanguine, remansit in Calice celebrans ponat iterum vinum, & aquã, & consecret ab eo loco: Simili modo postquã cœnatum est: facta priùs tamen Calicis oblatione saltem mente concepta, ut sæpè supra dictum est; & fiant ablutiones, & repositionis supradictæ quòad res tactas à sanguine effuso.

763. Q. Quid agendum sit à celebrante, vel ab alio, si ipse celebrans evomat Eucharistiam.

℟. Si Eucharistiæ species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in alio loco sacro reponantur, & posteà in Sacrarium projiciantur. Quòd si species non appareant, comburantur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur.

764. Q. Quid agendum sit à Sacerdote, si Hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram.

℟. Accipiatur, & locus, vbi cecidit, mundetur, & aliquantum abradatur, & pulvis, seu abrasio huiusmodi in Sacrarium immittatur.

Si autem

Si autem ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum huiusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur.

765. Q. An celebrans volens consecrare omnes Hostias existentes coram se, & proferens verba consecrationis putat esse decem, & tamen sunt plures, vel pauciores, consecret omnes.

℟. Consecrat omnes, quia eius intentio est consecrandi omnes Hostias sibi præsentes, & eas posuit, ut consecraret, & eius credulitas, & cogitatio, quòd sint decem, nullo modo mutat, aut tollit suam intentionem omnes consecrandi.

766. Q. An Sacerdos habens aliquas Hostias coram se, & volens, seu intendens consecrare tantùm decem, & post prolationem verborum consecrationis inveniens esse plures, aut pauciores, quàm decem, consecraverit easdem.

℟. Si sint plures, nullam consecravit, quia supranumerariæ, non fuerunt determinatæ, at si sint pauciores consecravit omnes, quia maior numerus continet minorem, qui fuit determinatus.

767. Q. An particulæ existentes in Pyxide clausa super Altare coram Sacerdote, consecrentur, quàmvis sint sic clausæ, si ipse Sacerdos

dos proferat formam consecrationis cum intentione consecrandi easdem.

℟. Consecrantur, quia ipsæ particulæ moraliter sunt præsentes Sacerdoti consecranti.

768. Q. An Sacerdos celebrans conficiat Sacramentum, si simpliciter, scilicet indifferenter proferat formã æqualiter super materiam præsentem, quæ est Hostia, quam manibus tenet, & super absentem, scilicet super particulas relictas in Sacristia propter oblivionem, quas ad Altare deferre volebat.

℟. Nequaquàm conficit Sacramentum, non consecrat materiam absentem, quia de necessitate Sacramenti requiritur præsentia materiæ coram Sacerdote. Et etiam non consecrat materiam præsentem, quia forma, quæ est prolatio horum verborum, Hoc est Corpus meum, in hoc casu est propositio falsa, quia facit hunc sensum, Hoc, quod est præsens, & quod est absens est Corpus meum, quæ quidẽ propositio est falsa ratione copulæ, quia regula copulativæ propositionis est, ut veritas ipsius oriatur ex veritate omnium partium suarum.

769. Q. Quare Sacerdos non consecret saltem materiam præsentem, si indifferenter proferat verba consecrationis super ipsam, & simul super absentem; & videtur, quòd consecret illam, quia sicut, qui facit votum de re-

 possibili

possibili; & simul de re impossibili, obligatur, quantum ad rem possibilem, sic Sacerdos, qui profert varba consecrationis super materiam præsentem, & absentem, consecrare videtur saltem materiam præsentem, quæ quidem consecratio rei præsentis est possibilis secundùm sententiam omnium Summistarum.

℟. Nequaquàm est par ratio de voto, & de consecranda Eucharista, quia votum consistit in humana promissione adimplendi aliquid quod possit, sed consecratio consistit in propositione affirmativa, quæ est forma consecrationis, quæ est effectiua Sacramenti, quando adsunt necessaria requisita, quæ desint falsa redditur.

770. Q. An dato casu, quòd Sacerdos proferret verba consecrationis super panes existentes in foro, si adesset præsentia moralis, & intentio consecrandi conficeret Sacramentũ.

℟. Conficeret.

771. Q. An panis nauticus, sive biscoctus sit materia apta ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum.

℟. Si ipse sit confectus ex farina tritici, & aqua naturali, & non sit mucidus, vermiculosus, aut alio modo corruptus, est materia apta ad conficiendum ipsum Sacramentum sed cum peccato.

772. An aqua naturalis ponenda in calice

ad

ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, sit de necessitate Sacramenti, aut de necessitate Ecclesiastici præcepti.

℞. Est tantùm de necessitate præcepti, non autem est de necessitate Sacramenti; & si quis Sacerdos scienter eam omitteret, mortaliter peccaret, sed Sacramentum conficeret.

773. Q. An celebrans conficiat Sacramentum, si loco paucæ aquæ naturalis ponat aquã rosaceam, aut aliam aquam artificialem in calice, & proferat verba consecrationis super unum mixtum cum ipsa aqua artificiali.

℞. Conficit Sacramentum, si quantitas aquæ artificialis sit modicissima & ille, qui sic conficit Sacramentum scienter cum ipsa aqua rosacea, aut alia artificiali, committit peccatum mortale.

774. Q. Quanta aqua naturalis debeat poni in calice.

℞. In modica quantitate.

775. Q. An ponenda sit in calice modica aqua naturalis, si priùs in dolio pauca aqua posita fuerit cum vino.

℞. Est ponenda, quia, quando ad Altare ponitur in calice, hoc est Mysterium, quia significat fidelis populi unionem cum Domino nostro Iesu Christo.

776. Q. An dato casu, quod post consecrationem species aquæ separarentur à specie vini con.

ni consecrati, sangvis Christi remaneret sub specie aquæ separatæ.

℟. Hoc est incertum, & pendens à Christi voluntate, quæ in tali re non est nobis revelata sed videtur probabile, quòd non remaneret ipse sanguis Christi sub specie aquæ seperatæ, quia licet vinum sine aqua sit materia consecrabilis, non tamen aqua sine vino consecrari potest.

777. Q. An vinum congelatum consecrari possit.

℟. Potest consecrari sed cum peccato, quia adhuc est vinum, & est potabile, vel lambendo, vel sugendo, & etiam, quia, si facta consecratione species vini in calice congelaretur, sanguis Christi remaneret sub illa specie vini.

778. Q. An vinum miraculosè factum, ut fuit vinum in nuptijs Canæ Galileæ, consecrari possit.

℟. Potest consecrari, ut ab Henriquez affirmatur, quia est verè vinum, ut est vinum ex uvis vitis naturalis confectum.

779. Q. An liceret consecrare solummodò panem, si nihil vini reperiretur.

℟. Nequaquàm liceret, quia panis, & vinum requiruntur ad perficiendum Sacrificium Missæ, & Sylvester ait etiam Papam in hoc dispensare minimè posse.

780. Q. Quantum vini debeat poni in calice ad consecrandum.

Resp.

℟. Quantum sufficit ad haustum, & illi, qui valde modicum ponunt in calice, malè faciunt

781. Q. Quid significet, quòd Sacrificium Missæ perfici debeat ex duplici materia, scilicet panis & vini.

℟. Significat Christi Domini passionem, quæ fuit Sacrificium cruentum per corpus, & sanguinem ipsius æterno Patri oblatum pro redemptione nostra.

782. Q. Quid illud pronomen Hoc, quod est assignatum formæ Sacramenti Eucharistiæ super materiam panis, significet, quando à celebrante profertur.

℟. Significat materiam præsentem consecrandam, ita ut sit sensus, Hoc, quod continetur sub his speciebus panis, est corpus meum.

Et si quis objiciat dicens, si sic est, quòd sensus sit, Hoc, quod continetur sub his speciebus panis, est corpus meum, ergo illud pronomen Hoc demonstrat panem, & non corpus Christi.

℟. Quòd hoc pronomen Hoc, neque corpus Christi, neque substantiam panis determinatè demonstrat, sed utrumque vagè, non demonstrat determinatè corpus Christi, quia esset ejusdem rei inutilis repetitio, quia his diceretur idem, scilicet, Hoc corpus Christi est corpus Christi; neque demonstrat determina-

tè ſubſtantiam panis, quia eſſet propoſitio fal-ſa, quia ſenſus eſſet, Hic panis eſt corpus Chriſti: Sed demonſtrat ſolummodò id, quod eſt commune, & vagum terminò utriquè.

783. Q. An Sacerdos conficeret Sacramentum, ſi ſuper Hoſtiam cum intentione conſecrandi loco huius propoſitionis, Hoc eſt corpus meum, diceret, illud eſt corpus meum, aut diceret, iſtud eſt corpus meum, aut diceret, ecce eſt corpus meum.

℞. Nequaquàm conficeret Sacramentum, ſi diceret, illud eſt corpus meum, quia hoc vocabulum, illud, non eſt pronomen demonſtrativum, & ſimiliter non conficeret Sacramentum, ſi diceret, Hîc eſt corpus meum, ſi hoc vocabulum, Hîc, profertur, quatenus eſt adverbium, ſed conficeret Sacramentum, ſi ipſum vocabulum; Hic proferetur ut pronomen demonſtrativum, quamvis fieret incongruus ſermo quantum ad Grammaticam, & ſimiliter conſecraret, ſi diceret, Iſtud eſt corpus meum, vel diceret, Ecce eſt corpus meum, quia hæc vocabula (Iſtud,) & (Ecce) æquipollent pronomini demonſtrativo (Hoc] Sic Suarez quinquageſima nona ſectione ſecunda paragrapho, unde in foro.

784. Q. An hoc verbum ſubſtantivum, eſt, dicatur de neceſſitate formæ Sacramenti ſimpliciter eſſe.

Reſp.

℟. Maximè contra Erasmum in adnotationibus ad D. Paul. 1. Cor. 11. qui quidem Erasmus dicebat, Græcè non legi est, sed sine verbo substantivo, quamvis postea in quibusdam exemplaribus dicat se legisse ipsum verbum substantivum.

785. Q. Quid significat ipsum secundum supradictum proximè vocabulum formæ consecrationis, est.

℟. Significat conversionem substantiæ panis in corpus Christi, & non in fieri, sed in facto esse ipsam significat conversionem, quia panis non transmutatur prævijs dispositionibus in corpus Christi, ut fit in generatione substantiæ naturalis, sed transubstantiatur in instanti, & ideo talis conversio vocatur transubstantiatio, secundum sententiam omnium Sacrorum Doctorum.

786. Q. Quæ sit transubstantiatio propriè dicta.

℟. Transubstantiatio sic definitur. Transubstantiatio est conversio substantialis unius totius substantiæ in aliam totam substantiam virtute Divina effecta. Circa quam definitionem adverte, quòd transubstantiatio dicitur conversio substantialis ad differentiam mutationis accidentalis. Dicitur unius totius substantiæ ad differentiam transmutationis naturalis, in qua remanet materia antecedentis

formæ

formæ sub forma de novo adveniente. Dicitur in aliam totam substantiam, id est integrã, & perfectam absque concursu accidentium fortuitorum. Dicitur virtute Divina effecta, quia non est potentiæ creatæ posse transubstanstiare.

Et si quis obiectionem faciat dicendo, substantia corporis Christi remanet sub accidentibus panis, ergo non erit sine concursu accidentium fortuitorum.

Respõdendũ est ei dicendo, quòd corpꝰ Christi verè, realiter, ac substãtialiter continetur sub specie panis, sed ipsa panis species, quæ est accidens, non inhæret in ipsa substantia Christi tanquàm in subiecto, sed stat miraculosè in absque eo, quòd subiectetur in substantia ipsius Christi, quia aliud est substantiam contineri sub aliquo accidente, & aliud est ipsum accidens subiectari in substantia eadem.

787. Q. Quomodo Christus sub panis specie, quæ est accidens, contineatur.

℞. Continetur modo ineffabili consistente in hoc, quòd substantia corporis Christi succedit substantiæ panis sub eius speciebus intima unione, & movetur per accidens, id est per aliud, scilicet per panis species remanentes sine substantia ipsius panis, & ideo licet facta fuerit transubstantiatio, tamen non fuit effecta transaccidentatio, quæ definitur, quòd sit,

quando

quando primò eſt aliquod accidens, quod poſteà deſtruitur, & tunc ſuccedit aliquod aliud accidens, quod quidem minimè evenit per conſecrationem, quia ut dictum eſt remanent eadem accidentia panis ſine ſubſtantia ipſius panis.

788. Q. Quomodo accidentia panis maneant ſine ſubſtantia ipſius panis.

℟. Manent miraculosè, quia ſuſtentantur à Deo ſeparata à ſubiecto, & in genere cauſæ efficientis, ab ipſo Deo manutenentur in realitate, quam priùs habebant, ſupplendo id, quod ſubiectum faciebat.

789 Q. An ex ipſis accidentibus manentibus ſine ſubſtantia panis aliqua alia ſubſtantia generari poſſit.

℟. Maximè, quatenus deſtructis ſpeciebus, ſcilicet accidentibus panis, aliqua materia à Deo provideretur, vel per creationem, vel alio modo, ex qua materia aliquis vermis, aut alia ſubſtantia generaretur.

790. Q. An ſumpta Euchariſtia, accidentia panis, licèt ſint ſine ſubſtantia ipſius panis, nutrire poſſint ſicut panis facit.

℟. Poſſunt nutrire, quia quantitas, & accidentia agunt, & patiuntur totum id, quod agit, & patitur panis, cuius ſunt accidentia, qui ipſa accidentia ſicut modum eſſendi in realitate, quam prius habebant, acceperant, ita

etiam

etiam acceperunt modum agendi ad nutritionem efficiendam cum nova materia sicut panis habebat.

791. Q. An per consecrationem panis annihiletur substantia ipsius panis.

℟. Nequaquam, quia annihilari est redigi in purum nihil, & nullam fieri conversionem; at prolatis verbis consecrationis panis, ipse panis desinit esse panis, & ponitur corpus Christi, unde post consecrationem non adest annihilatio, sed adest desitio panis, & positio ipsius corporis Iesu Christi. Et licet loquendo de sanctissimo Sacramento Ecclesia canat [Panis, vivus, & vitalis hodie proponitur) tamen non est concludendum, quòd post consecrationem adsit panis substantialiter, quia ipsa Ecclesia intelligit Hostiam consecratam apparere panem, vel quia antea fuit panis, & postea conversus est in corpus Christi per transustantiationem, ut iam dictum est, sicut homo formatus ex terra dicitur terra Gen. 3.

792 Q An particula, seu vocabulum[enim] in forma consecrationis panis sit de necessitate Sacramenti.

℟. Nequaquàm, & ideo si Sacerdos proferens verba consecrationis panis, vel vini cum intentione consecrandi omitteret ipsum vocabulum [enim] consecraret, sed scienter omit-

tendo ipsum vocabulum, peccaret mortaliter, quia est de necessitate præcepti.

793. Q. An Sacerdos super Hostiam cum intentione consecrandi loco horũ verborum: Hoc est enim corpus meum: proferret hæc [Hoc est enim caro mea] consecraret.

℟. Consecraret, quia prima, & secunda verba supradicta significant idem, & quia in Scriptura Sacra caro accipitur pro toto homine, vel pro toto corpore hominis. Ioan. 1. Et Verbum caro factum est, & Psalm. 15. Caro mea requiescet in spe.

794 Q. An Sacerdos consecraret, si diceret [Hoc est corpus meus.]

℟. Consecraret, quia maneret sensus, tamquam si diceretur (Hoc est enim corpus meum] licèt esset quidem error contra Grammaticam, & est regula generalis, quòd dum non mutatur sensus verborum consecrationis, consecratio fit.

795. Q. Quid ex vi verborum consecrationis sub speciebus panis, & quid sub speciebus vini contineatur, & quid sub eisdem speciebus per concomitantiam contineatur.

℟. Ex vi verborum consecrationis sub speciebus panis continetur corpus Christi, & sub speciebus vini continetur sanguis Christi, & per concomitantiam sub speciebus panis continetur non solùm corpus Christi, sed eius sanguis

guis, anima, & Divinitas, immò tota Trinitas; quia corpus eius cum anima, & sanguine, & cum Divinitate, & cum tota Trinitate modò est, & similiter sub speciebus vini per concomitantiam continentur sanguis, corpus, anima, & alia supradicta, quæ sub speciebus panis continentur per concomitantiam eamdem.

796. Q. Quid sibi velit, vel significet dicere per concomitantiam.

℟. Significat connexionem naturalem, & in proposito nostro significat corpus, sangvinem, animam Christi: & alia proximè supradicta esse simul.

797. Q. An sub speciebus panis incipiat esse corpus Christi in principio, aut in medio, aut in fine prolationis formæ consecrationis.

℟. Incipit esse in fine prolationis formæ in ultima particula [meum] quod quidem incipere secundùm scholasticos est incipere per primum sui esse, ita vt verum sit dicere, Corpus Christi in hoc instanti est sub speciebus panis, & immediatè ante non fuit.

798. Q. An corpus Christi in Eucharistia sit totum habens partes.

℟. Est quidem totum habens partes entitativas suæ substantiæ, quarum vna est extra aliam, scilicet quatenus caput non est pes, oculus non est lingua, &c. & huiusmodi partes dicuntur entitativæ, quia abstrahunt ab omni

loco. extensione, positione, & figura existentibus extra, cùm in puncto indivisibili sint.

799. Q. An Corpus Christi in Eucharistia sit quantum, sive habeat quantitatem.

℟. Est quantum, quia tota quantitas Corporis Christi est in hoc Sacramento; quæ quidem quantitas est prima passio corporis; tamen ipsa Corporis Christi quantitas non est in ordine ad locum, sed solummodò in ordine ad proprium suppositum, & est intrinseca ipsi corpori & prima; illa verò, quæ dependet à loco extrinseco, est extrinseca, & accidentalis, & facit distinctum prædicamentum, quod vocatur Vbi.

800. Q. Quare Corpus Christi, cùm sit extensum in ordine ad proprium suppositum, non sit extensum etiam in ordine ad locum, & videtur esse extensum etiam in ordine ad locum, quia si caput, & pes Christi sunt extensa, & distincta inter se secundùm aliquam distantiam, ut unius vlnæ aut plurium vlnarum, certè videntur esse distincta, ita ut si applicentur loco, locum unius ulnæ, sive plurium occupabunt, & sic videtur extensum etiam in ordine ad locum.

℟. Corpus Christi, quatenus est substantia, habet partes entitativas suæ substantiæ; & ipsæ partes entitativæ, ut iam dictum est, abstrahunt à ab omni loco, extensione positione, & figura

gura existentibus extra; & sunt extensæ, & divisibiles solùm in ordine ad proprium suppositum, & minimè in ordine ad locum; ideò argumentum non concludit veritatem, quia falsò supponit partes entitativas ipsius Corporis Christi sub speciebus visibilibus panis esse extensas, & divisibiles in ordine etiam ad locum, quia ipsum argumentum supponit minimè posse dari partes extensas in ordine ad proprium suppositum, quæ non sint extensæ etiam in ordine ad locum propriè dictum, qui est extensus ad extra, sive externè. Ad supradicta autem rectè intelligenda advertendum est ipsum Corpus Christi sub speciebus panis, & vini esse totum, & habere omnes suas partes quantitativas distinctas, & extensas solùm in ordine ad proprium suppositum, & non ad locum, & hæc esse vera supranaturaliter, & ideo miraculosè, sicut etiam miraculosè ipsæ species, scilicet accidentia panis, & vini existunt sine substantia panis, & vini in ipso Sanctissimo Sacramento.

801 Q. An sint de necessitate Sacrãenti omnia hæc verba formæ consecrationis vini, scilicet (Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenri, mysteriũ fidei, qui pro vobis, & pro multis effũdetur in remissionẽ peccatorũ)

℞. Omnia non sunt de necessitate, sed solùm hæc (Hic est calix sanguinis mei (aut) Hic est

 sanguis

ſanguis meus) & particula (enim) & aliæ, ſcilicet [novi, & æterni teſtamenti, &c.) non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſed ſunt de neceſſitate præcepti, & qui omitteret ipſam particulam (enim) aut alias (novi, & æterni, &c.) mortaliter peccaret contra præceptum, ſi omitteret eas ſcienter.

802. Q. Quis ſit ſenſus horum verborum (Hic eſt calix ſanguinis mei)

℞. Senſus ipſorum verborum eſt iſte, Hic eſt calix continens meum ſanguinem, qui eſt ſub his ſpeciebus per modum potus, vel, Hic eſt potus ſaguinis mei, & hæc eſt figura, qua accipitur continens pro contento.

803. Q. Cur in conſecratione panis non dicatur (Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur) ſicut in conſecratione vini dicitur de ſanguine (Qui pro vobis effundetur.)

℞. Quia potus calicis magis reſpondet paſſioni Domini ſecundùm effuſionem ſanguinis, quàm ſecundùm vulnerationẽ corporis, ideo debet dici de ſanguine (qui pro vobis effundetur) potius quàm de corpore (quod) pro vobis tradetur (ſed in Eccleſia Græca dicuntur hæc eſt corpus meum, quod pro vobis frangetur.)

804 Q. Quare (dicatur qui pro vobis, & pro multis effundetur) & non dicatur (pro omnibus effundetur.)

℞. Non dicitur (pro omnibus effundetur) quia passio Domini nostri est pro omnibus sufficienter, sed minimè est pro omnibus efficaciter, ut ait Albertus Magnus, quia multi peccatores propter eorum culpas damnabuntur.

805. Q. An in consecratione verbum hoc, Effundetur, veritatem contineat, cùm Christus non sit moriturus.

℞. Veritatem continet, quia refertur ad tempus, quod in hora institutionis Sacramenti Eucharistiæ futurum fuit respectu effusionis sangvinis in passione.

806. Q. An Sacerdos possit licitè consecrare Hostiam sub conditione.

℞. Potest si dubitet, an consecraverit; & in tali casu debet habere intentionem consecrandi sub hac conditione, si non consecravi, & cum hac intentione debet proferre verba formæ consecrationis, & sufficit hoc, licèt non expresserit verbis talem conditionem; & ipsa conditio habet actus in mente; & simile potest occurrere in alijs Sacramentis.

807. Q. Quare Sacerdos dicat secretò verba consecrationis, & quædam alia in Missa, & non alta voce.

℞. Vt significet, quòd passionis Domini tempore, Discipuli ipsius solummodò in occulto Dominum confitebantur; sed Episcopus in Missa Ordinationis pronunciat omnia alta

voce

voce, etiam verba consecrationis, ad instruendos Ordinandos, ut discant celebrare Missam convenienter.

808. Q. Quod peccata committat ille, qui in peccato mortali existens sine contritione celebrat Missam.

℟. Aliqui asserunt, quòd duo peccata mortalia committit; unum, quia in peccato mortali consecrat; alterum, quia in tali statu sumit Sanctissimum Sacramentum; sed vera opinio est, quòd committit vnum tantùm peccatum mortale, quia hæ duæ actiones partiales celebrare Missam, & sumere Sanctissimum Sacramentum, sunt vnica actio totalis Sacerdotis.

809. Q. An dato casu, quòd Sacerdos die festo manè ante Missam contentiosè egerit cum aliquo de suo populo publicê, possit statim sine prævia confessione celebrare Missam conscientia tuta.

℟. Nequaquam, si peccauerit mortaliter in ipsa contentione; vel si non peccaverit mortaliter, putet alios existimare se mortaliter peccasse, & propterea debet confiteri; si copiam habeat confessorij, postea procuret, ut aliquis de populo sciat se esse confessum; ut per famam ille, cum quo contenderat, sciat ipsum Sacerdotem deposuisse odium; sed si non habeat copiam confessarij, se reconciliet eidem, cum quo contendit, ne aliquod scandalum

sequa-

ſequatur ex ingreſſu ad Altare ſtatim poſt contentionem ſupradictam;

810. Q. An Sacerdos, qui non habet, à quo Miſſam audiat die feſto, teneatur celebare, ut præcepto de audienda Miſſa ſatisfaciat convenienter.

℞. Tenetur, ſi adſit probabile periculum ſcandali, ſi non celebret, ſed ſi non ſit periculum ſcandali, minimè tenetur, quia illud præceptum de Miſſa audienda, eum qui non habet obligationem celebrandi propter Parochiam, cui præſit, aut propter aliud, non obligat ad celebrandum die feſto, ſed obligat eum ſolummodò ad Miſſam audiendam, ut obligat alios communiter.

811. Q. An Sacerdos peccet mortaliter, ſi omittat dicere illas preces, quæ dici ſolent à Sacerdotibus quando ſacras induunt veſtes, vt celebrat Miſſam;

℞. Nequaquam; niſi ad ſit periculum ſcandali, vel niſi ſit contemptus; cum talis omiſſio ſit res levis; ſed peccaret venialiter ſi omitteret eas ad fugiendum laborem.

812. Q. Qualis diſpoſitio corporalis requiratur in celabraturo Miſſam.

℞. Debet eſſe ieiunus ieiunio naturali, quod eſt, quando quis nihil omninò accepit per modum cibi, aut potus, & celebrans debet ita eſſe ieiunus ipſo naturali ieiunio, ut à media

nocte

nocte diei præcedentis nihil omninò per modum cibi, aut potus sumpserit, & hoc patet ex sanctæ Ecclesiæ consvetudine, quod fit propriè propter reverentiam sumendi sanctissimũ Sacramentum. Sed si aliquod exiguum fragmentum relictum inter dentes, aut gutta parvula aquæ in ore lavando deglutiatur, non per modum cibi, aut potus, sed per modum salivæ, quæ ad libitum deglutitur sine fractione ieiunij naturalis, non impeditur sumptio sanctissimæ Eucharistiæ.

813 Q. An Sacerdos debeat abstinere à communicando, aut celebrando, si ab ipso fragmantum notabile, vel magna aquæ gutta sensibiliter deglutiatur, etiam si hoc fiat casu.

℞. Debet abstinere à communione, aut celebratione, cùm utrumquè sit quantitas notabilis quoad ieiunium naturale requisitum ad communicandum, & celebrandum; quæ quidem quantitas, supradicta, quamvis frangat ieiunium naturale, non tamen frangit ieiunium Ecclesiasticum, quia hoc ieiunium permittit potum, & cænam, ut ab omnibus Summistis affirmatur.

814. Q. An liceat Sacerdoti non ieiuno celebrare Missam, & perficere Sacrificium, ut possit deferrè viaticum morienti.

℞. Nequamquam, quia sicut præceptum confessionis obligat solùm, quãdo confessorij

copia

copia habetur, ita præceptum sumendæ Eucharistiæ obligat, quando est copia Eucharistiæ, quæ quidem copia Eucharistiæ in casu proposito non adest, eo quòd Sacerdos non est aptus, ut celebret ad præbendum alteri viaticum, quia ieiunus minimè est·vnde etiam æger non obligatur.

815. Q. Quot modis Ecclesia pollui dicatur.

℞. Quinque modis, Primo, homicidio voluntario, & Ecclesiæ iniurioso, ut quia in ipsa factum fuit; Secundo, sanguinis iniuriosa profusione; Tertio, humani seminis emissione voluntaria, publica, etiam coniugali; Quarto, excommunicati, vel infidelis sepultura; Quinto parietum Ecclesiæ dirutione. Circa hos modos vide Sot. 4 d. 13. q. 2. at. 3. & 4. Filliuc. tra. 5. c. 4. n. 118.

816 Q. An incurrat aliquam pœnam celebrans in loco violato, ac polluto?

℞. Nullam pœnam incurrit ille, qui celebrat in loco violato, ac polluto, ut ait Sylu. verbo Consecratio 2. q 9. & Suarez d. 81. sec. 4 sed peccat graviter.

817. Q. An sit peccatum mortale recipere sanctissimum Sacramentum post cibum, vel aliquem potum.

℞. Est peccatum mortale recipere hoc Sacramentum post cibum, vel potum, nisi tempore

pore alicuius infirmitatis periculosæ, tunc e-nim potest post prandium etiam communicari.

818. Q. Quod peccatum faciat Sacerdos, novitius, si ante celebrationem primæ Missæ sit negligens circa discendos ritus, & cæremonias servandas Missæ celebratione.

℞. Si notabiliter sit negligens, ita ut contemnat Rubricas Missalis, peccat mortaliter; sed si parum sit negligens, venialiter peccat, ideoque ab eo Missalis Rubricæ diligenter sunt legendæ.

819. Q. An celebrans Missam novam licitè possit Ecclesiam circuire,

℞. Celebrantes Missas novas possunt se tantùm ad populum vertere in medio Altaris ubi hic mos est, & sic oblationes spontè factas accipere, non autem Ecclesiam ob eam causam circuire. Sic Sacra Congregatio declaravit.

820. Q. An in eodem Altari, in quo celebravit Episcopus, liceat eodem die celebrare.

℞. Nequaquàm nisi in casu necessitatis, vel eius benedictione obtenta, & hoc totum observandum est ob honorem, qui Episcopo debetur, ut alibi dictum est.

821. Q. Vbi sit Missa celebranda,

℞. Est celebranda in Ecclesia consecrata, vel in aliquo Oratorio alicuius domus Nobiliũ, qui sit locus stabilis separatus à cubiculis, ubi dormi-

dormitur, decenter ornatus, de licentia Papæ, & approbatione Ordinarij, à quo etiam invisitur, & deputatur ad celebrandum semper, exceptis diebus solemnioribus, ut die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschalis, Pentecostes, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum Patri & Pauli, & omnium Sanctorum ex Decreto Sacræ Congreg. 17 Novembris 1607. ut refert Gavantus p. 1. tit. 20. quibus addit etiam, excepto die festo Patroni.

822. Q. An, quando à fundamentis incipit ædificari Ecclesia, si erecti sint parietes tantùm absquè tecto, possit celebrari in Altari ex tabulis constructo, sub dio, eo quod Patroni, seu Titularis illius Ecclesiæ solemnitas tali die colenda est.

℟. Potest celebrari de licentia Episcopi, dummodò in ipso Altari ex tabulis constructo superponatur Altare aliud portatile consecratum. Locus visendus erit ab Episcopo, vel eius Vicario, à quo monendi erunt celebraturi, ut omnem diligentiam adhibeant, ne vento, aut pluvia ex improviso adveniente, aliqua irreverentia sanctissimæ Eucharistiæ superaccidat.

823. Q. An detur duplex Altare, scilicet portatile, & fixum.

℟. Datur Altare fixum est, quod alicui lo-

co,

co, seu basi, calce, aliovè modo affigitur, & immobile manet; Altare verò portatile est illud, quod huc, & illuc asportari potest: Hæc duo Altaria differunt, quia Altare portatile non amittit consecrationem, nisi per fractionem sigilli, vbi reconduntur Reliquiæ Sanctorum; Altare verò fixum non remanet amplius consecratum, si mensa, ubi celebratur, ab inferiore structura removeatur.

824. Q. Quæ fractura exiccret Altare.

℟. Fractura notabilis exsecrat Altare, & est notabilis, quando in nulla integra illius parte calix cum patena consistere possunt; calix autem, & patena tunc consistere possunt, quando lapis longè patet uno pede, latè verò vncijs nomen; præter capsam, in qua continetur.

825. Q. Quando, & quibus Altare esse ornatum.

℟. Si fuerit Altare fixum, & consecratum, mensa lapidea tela cerata debet esse tectum, deinde Icone honorifica ornatum, pallium ligneum decenter pictum habeat, quod illius mensam adæquet ab omni parte tribus mappis lineis distinctis, integris, mundis, ab Episcopo, vel ab alio, cui facultas tribuitur, benedictis, quarum superior ab vtroque capite fluat usque ad planum bradellæ, tela stragula viridi, vel cerulei coloris lacinijs brevioribus à tribus lateribus ornata, sit Crux, vel Crucifixus

fixus

fixus parvus decenter in medio Altaris, ponantur duo candelabra, & tabella cum Canone, quæ quotidie post Missam recondi debet sub tela stragula à latere Epistolæ. Sit clavus defixus in pariete ad appendendum birretum Sacerdotis celebrantis, quia in Altari non debet reponi. Si autem Altare non fuerit consecratum, mensæ lapideæ sternatur alia mensa ex tabulis confecta; quæ omninò lapidem adæquet, eique inferatur altare portatile mensuræ superiùs dictæ, ita tamen, ut è mensæ ligneæ superficie paululum existet, quo Sacerdos celebraturus tactu depræhendat, ubi sit medium Altaris.

826. Q. An fiat irregularis, aut peccet mortaliter ille, qui celebrat in Altari non consecrato, neque portatili.

℟. Peccaret mortaliter, si in tali Altari ex crassa negligentia celebraret, sed secundùm Filiucium tract. 5. cap. 4. num. 122. non fieret irregularis.

827. Q. Cur tobaleis tribus debeat ornari Altare, quarum quidem tobalearum, duæ non videntur.

℟. Ad significandas tres virtutes Theologales, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas, quarum duæ sunt de non apparentibus, & Tertia habet ostensionem.

828. Q. Quare in die Parasceves una tantùm tobalea ponatur super Altare.

℟.

℟. Quia tali die non conficitur Eucharistia; sed tantùm sumitur à Sacerdote; quæ quidem tobalea sola sic posita significat Sindonem, qua Corpus Christi involutum fuit.

829. Q. Quam pœnam incurrat Sacerdos, si celebret Missam sine igne, aut cum una tantùm candela.

℟. Sacerdos celebrans Missam sine igne privatur Officio, & beneficio. Cap. literas de celeb. Miss. sed in necessitate cum una tantùm candela celebrari potest saltem ubi talis usus.

830. Q. Quæ Ordinandi prima Tonsura, Ordinibus minoribus, & Ordinibus maioribus scire teneatur.

℟. Ordinandi Prima Tonsura tenentur scire prima fidei rudimenta, & legere, & scribere; Ordinandi Ordinibus minoribus tenetur scire non solùm prima fidei rudimenta, legere, & scribere, sed etiã lingvã latinã & ea, quæ spectant ad ipsos Ordines minores exercendos. Ordinandi autem Ordinibus Sacris tenentur scire non solùm ea, quæ ab Ordinandis minoribus Ordinibus scienda sunt, sed etiam officia omnium Ordinum Ecclesiasticorum, & omnia supra, & infra contenta, quæ quidem suis locis extent possimus.

831. Q. An Ordinandi cognitionem censurarum & irregularitatis saltem in genere habere debeant.

℞. Maximè, ut sciat, si ab ipsis censuris, & irregularitate sint impediti ad sua Officia exercenda.

De Censuris.

832. Q. Quid sit censura.

℞. Est pœna spiritualis, & medicinalis privans vsu aliquorum spiritualium bonorum per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eamdem ordinariè absolui possit. Ita inquid Suarez disp. 1. sect. 1. n. 5.

833. Q. Quotuplex sit censura.

℞. Triplex, scilicet Excommunicatio, suspensio, & interdictum.

834. Q. An irregularitas sit censura, & quid sit.

℞. Irregularitas non est censura, sed est inhabilitas, seu impedimentum canonicum, id est legale ex se directè, ac primariò impediens receptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & consequenter etiam usum ipsorum. Ita Suarez disp. 40. sec. 1.

735. Q. Cur irregularitas non sit censura, cum aliqua irregularitas videatur posse dici censura, id est pœna, ut est illa, quæ contrahitur ob homicidium iniustùm, vel propter celebrationem, quando quis est suspensus, vel excommunicatus, & in tali statu celebrat Missam.

℞. Est per accidens, quòd irregularitas sit pœna, quia ipsa non est ad corrigendum, ut

sunt

sunt censuræ, sed ad decentem statum Ministri Sacramenti Ordinis censurandum & hoc patet, quia in multis casibus datur irregularitas, quæ procedit ex quibusdam defectibus sine peccato.

826 Q. Quid sit Excommunicatio.

℞. Excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo Christianus bonis fidelium communibus privatur, quæ quidam bona sunt tria Primum est exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio, & convictu consistit; Secundum est participatio Sacramentorum; Tertium est orationes, & suffragia Ecclesiæ militantis.

837. Q. Quotuplex sit Excommunicatio.

℞. Duplex est ex parte effectus, una est major, altera minor; illa privat supradictis tribus bonis, minor verò privat sola participatione passiva Sacramentorum, id est privat receptione ipsorum Sacramentorum.

838. Q. Cur solus modò ille, qui est Christianus, excommunicari possit,

℞. Quia ille, qui non est Christianus, numquàm in communione fidelium fuit, & ideo solus Christianus, qui est in communione Christi fidelium, bonis communibus ipsorum Christi fidelium privari potest propter quædam peccata, quod quidem significatur ab hoc nomine Excommunicatio, quia ipsa ex-

commu-

communicatio quoad etymologiam dicitur quasi extra communionem positio.

839. Q. An Excommunicatio vocetur etiam Anathema.

℟. Excommunicatio maior vocatur etiam Anathema, quo quidem nomine sæpè Concilium Tridentinum utitur, quia quoad vinculum ipsa Excommunicatio maior, & Anathema sunt unum, & idem, sed differunt quantũ ad solemnitatem in ipsis fulminandis.

840. Q. Quam pænã incurrant Ordinati maiori, seu minori Ordine, si exerceant sui Ordinis aliquem actum, dum sunt Excõmunicati.

℟. Incurrunt irregularitatem exercentes aliquem actum sui Ordinis, si Excommunicatione maiori sint Excommunicati, non autem si Excommunicati sint Excommunicatione minori.

841. Q. Quid sit suspensio.

℟. Suspensio est censura Ecclesiastica, qua prohibetur Ecclesiasticum exercitium officij Ecclesiastici, vel beneficij, vel utriusquè simul in totum vel in partem ob aliquam culpam.

842. Q. Quis suspendi possit.

℟. Sola Ecclesiastica persona suspendi potest.

843. Q. Quale peccatum commmittat ille, qui non servat suspensionem.

℟. Committit peccatum mortale propter

 inobe-

inobedientiam. & quia exercet indignè ministerium, & fit irregularis, si exerceat solemniter sui Ordinis actum peculiarem.

844. Q. Quid sit interdictum.

℞. Interdictum est censura Ecclesiastica, qua prohibentur Divina officia, Sacrãenta, & sepultura Ecclesiastica activè, & passivè aliquibus exceptis.

845. Q. Quotuplex sit Interdictum.

℞. Triplex, scilicet personale tantùm quando sola persona interdicitur; locale tantùm, quando solus locus, & non persona interdicitur, & locale, & personale simul, quando locus, & persona interdicuntur. Sunt autem aliæ divisiones interdicti, quæ quidem divisiones brevitatis causa hic non ponuntur, & videri possunt facili in libris Summistarum.

846. Q. Propter quid Interdictum ferri possit.

℞. Solummodo propter peccatum mortale maius, quàm illud, propter quod Excommunicatio fertur, & huius ratio est. quia quãvis Excommunicatio maior sit gravior pœna intensiva tamen Interdictum est maior pœna extensivè, quia compræhendit communitatẽ, etiamsi in eo sint innocentes: Excommunicatio verò solùm comprælhendit personam singularem delinquentur, & propria Communionem excommunicari non potest.

847.

847. Q. An Ordinandi debent habere cognitionem administrandi solemniter Sacramentum Baptismi.

℟. Maximè, quia quando erunt Ordinati Ordine Diaconatus, poterunt administrare solemniter ipsum Sacramentum Baptismi de commissione Episcopi, vel Parochi, & tantò magis simplex Sacerdos de ipsius Episcopi, vel Parochi licentia hoc facere potest, quod quidem non est faciendum, nisi ubi adest penuria, seu paucitas Sacerdotum.

848. Q. Quæ in solemni administratione Baptismi Sacramenti sint servanda.

℟. Quæ pro tali administratione assignata sunt in Rituali Romano, quod adhibendum est, quando eandem administratio fit.

849. Q. Quæ servanda sint in administratione eiusdem Sacramenti Baptismi sine solemnitate in casu necessitatis.

℟. Cum debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia in baptizando, quilibet etiam Laicus, etiam excommunicatus etiam hæreticus, etiam infidelis, sive fœmina, & in qualibet lingva debet uti aqua naturali, quæ sit verè aqua elementaris, siue sit ex fontibus, sive ex fluminibus, sive ex puteis, sive ex pluvia, sive ex mari, &c. sive sit calida, sive frigida, sive turbida, dummodò non sit permixta alijs rebus, ut iam non censeatur esse communiuiu,

nì usu aqua; nix verò, & gelu, nisi aliquo modo liquefiant, non sunt materia apta ad administrandum Sacramentum Baptismi; debet etiam hac forma uti

Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Omnes particulæ contentæ in ipsa forma sunt de essentia formæ, præter illas, Ego Amen, & In. Debet etiam advertere, quòd proferendo ipsam Baptismi formam debet ex necessitate Sacramenti Baptismi abluere saltem semel caput cum dicta aqua naturali, & hoc fieri potest vel immergendo ipsum caput illius qui est baptizandus cum modo directo ad abluendum, non autem ad occidendum, vel aspergendo ipsam aquàm super caput, vel effundendo aquam super ipsum caput, & sufficeret, ut dicit Sotus, quòd aqua caderet super capillos capitis, licèt ita non penetraret, ut attingeret ipsius capitis cutem sed tutius, ut tangat. Adverte etiam, quod Toletus, & alij dicunt esse probabile confici valide Baptismum, si abluatur manus, vel pes, aut alia corporis pars, quæ non est caput, tamen ille, qui est in tali parte baptizatus, denuò baptizandus est sub conditione, dicendo, si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

850. Q. An Minister baptizans tempore necessi-

necessitatis existens in mortali, & sine contritione, peccet mortaliter.

℟. Non, quia hoc faceret, ut Laicus, sed si faceret solemniter, & ex officio, peccaret mortaliter; sed Parochus existens in mortali non peccat mortaliter, si assistat Matrimonio, quia non est Minister, sed testis auctoritativus; & Ministri, qui sunt ipsi contrahentes, in mortali peccato, non peccant mortaliter cum non sint Ministri Sacri.

851. Q. A quibus Sacerdos simplex possit absoluere in articulo mortis.

℟. Potest absoluere ab omnibus peccatis, etiam enormibus, & à casibus reservatis, & à censuris quibuscunque, quia nulla est reservatio in ipso articulo mortis.

852. Q. An Sacerdos simplex teneatur scire absolutionis formam, quæ adhibenda est in absolvendo existente in articulo mortis, & quæ sit ipsa forma absolutionis.

℟. Maximè, quia, cùm ipse simplex Sacerdos possit absoluere existentem in articulo mortis, ut supra dictum est, necessarium est ipsum simplicem Sacerdotem rectè scire ipsam formam tunc temporis adhibendam, quæ quidem, ut habetur in Rit. Rom. hæc est.

Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patis, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Et ad-

Et advertè absolutionis formam extra casum necessitatis articuli mortis adhibendam ab habentibus ordinariam, seu delegatam auctoritatem absolvendi descriptam esse in Rituali Romano, vel Agendis.

853. Q. An, dato casu, quòd simplex Sacerdos incœperit audire confessionem alicujus existentis in articulo mortis, & superveniat proprius Parochus, ipse simplex Sacerdos teneatur ipsi Parocho cedere, ut idem Parochus audiat confessionem eiusdem pænitentis, & eum absoluat.

℟. Ipse simplex Sacerdos debet prosequi auditionem confessionis ipsius pœnitentis existentis in articulo mortis, & eundem absoluere debet ita inquit Sà in Aphoris. num. 3. quia in tali casu hoc est in favorē pœnitentis.

854. Q. An pœnitens in articulo mortis existens, qui petijt confessarium, signaquè tantùm contritionis dat, aut dedit, ut refertur ab aliquo fide digno, sed ampliùs dare non potest, absolui possit.

℟. Absolui quidem potest iuxta sententiam communem.

855. Q. Quid Sacerdos simplex in ipso articulo mortis imponere debeat habenti casus reseruatos, & censuras, si pœnitens convaluerit.

℟. Pro casibus reservatis nihil imponere

debet;

debet; pro censuris autem præcipere debet pœnitenti, ut, si ex periculo exiverit, se præsentet Superiori, cui reservatæ erant censuræ, & nisi hoc fecerit, similes incurret.

856. Q. Ad quid pœnitens debeat se præsentare superiori, si convaluerit, cùm iam sit absolutus etiam à censuris.

℟. Hæc præsentatio non est ad procurandam iterum absolutionem, iam enim est absolutus ratione illius articuli mortis, sed est, ut obediat mandatis Superioris, & ut constet, utrum satisfecerit parti.

857. Q. An ipse pœnitens, si convaluerit, debeat se præsentare superiori pro casibus reservatis.

℟. Nequaquàm Superiori se præsentare debet pro casibus reservatis, quia talis obligatio non est à iure.

858. Q. An Sacerdos excommunicatus maiore excommunicatione fiat irregularis, si absoluat aliquem in articulo mortis.

℟. Nequaquàm, & hoc est per Concilium Tridentinum.

859. Q. An Sacerdos irretitus minore excommunicatione peccet, si Sacramentum conferat.

℟. Nullum peccatum committit secundum Navarrum, quia quatenus sic excommunicatus minore excommunicatione privatus est

sola

sola Sacramentorum participatione passiva.

860. Q. An simplex Sacerdos possit absoluere à venialibus, & ab excommunicatione minori.

℞. Potest absoluere à venialibus, non autem ab excommunicatione minori: ita ait Caietanus, quia excommunicatio minor est vinculum Ecclesiæ, & ideo requiritur facultas iurisdictionis in absolvente; qua quidem iurisdictione simplex Sacerdos caret.

861. Q. An non solùm Sacerdos, sed etiã Diaconus, & Subdiaconus peccaret mortaliter, si nunquàm se exerceret in actibus Sacri Ordinis suscepti.

℞. Quantum ad Sacerdotem, vtiquè ipse peccaret mortaliter, nisi legitimo impedimento excusetur, quia quatenus Sacerdos ex Officio ter, vel quater quolibet anno, scilicet in festis principalioribus celebrare Missam tenetur sub mortali: Quantum verò ad Diaconum, & Subdiaconum, ipsi venialiter tantũ peccarent nunquàm se exercendo in Ordinibus Sacris, si scandalum minimè ex hoc oriatur, quia huiusmodi transgressio est levis materia: sed si scandalum oriretur, mortaliter peccarent, & similiter mortaliter peccarent, si adesset contemptus.

862. Q. An sit congruum Ordinandos scire casus conscientiæ quantùm ad omnia Sacramenta, &

ta, & ad Divina, & Ecclesiastica præcepta:

℟. Est congruum Ordinandos scire ipsos casus conscientiæ; sed si velint accipere cito curam animarum, tenentur sub pæna peccati mortalis scire saltem casus conscientiæ communiores, & de reliquis dubitare sciant, vt saltem à viris doctis decisiones, seu resolutiones ipsorum requirant,& quia agendo de cura animarum, agitur de Summa rerum.

Præterea Ordinandi maximam adhibere debent diligentiam, ut memoria retineat ea, quæ ad Doctrinam pertinent Christianam, quod supra ad eorum considerationẽ reduxi.

863. Q. Adquæ tenetur qui dimmissoriales accepit.

℟. Qui falsis, aut in insufficientibus causis obtinuit, quia sunt nullæ suspenditur ipso iure, & si exerœant sic acceptos Ordines, sit irregularis 2do. Si à proprio non est examinatus, debet sub mortali examinari ab Ordinante. 3tio Si in dimmissorijs nõ est expressum quod sit dispensatus in interstitijs, non potest dispensari ab alieno à quo petit Ordines quia dispensatio est actio Episcopalis quæ non potest exerceri ab alieno sine facultate proprij Episcopi.

864. Q. Qui Clerici gaudent foro.

℟. Gaudere foro est esse immunem à Iudi-

cc ſæ.

ce sæculari: sicut gaudere Canone, est, si quis se suadente diabolo percusserit, ut fiat excommunicatus. Quis clericus gaudet foro? Qui obtinet Beneficium Ecclesiasticum. 2do. Qui habitum & tonsuram defert, & adscriptus est alicui Ecclesiæ ab Episcopo. 3tio. Qui cum habitu & Tonsura studet in Seminario. 4to Vel in schola cum licentia Episcopi, 5to Vel in Vniversitate cum licentia eiusdem ut vero amittat forum non est opus monitione Longa. Anno. II. Augu. 1597.

Illud hic advertendum falli vehementer eos qui causis non veris obtinent dispensationem sive ut extra tempora sive sine interstitijs ordinentur tales præsumuntur esse, qui Ordinati non sunt reversi ad suam Ecclesiam: sicut & illi præsumũtur fictam habere provisionem qui statim atque sunt Ordinati illam deserunt. hi omnes sunt ipso iure suspensi & si interim celebraverint fiunt irregulares & in irregularitate quoties celebrant, toties mortaliter peccant & approbatio illorum pro audiendis est Confessionibus nulla. Neque illos ignorantia excusat, sed potius accusat.

EXAMEN PRO CONFESSIONIBVS

865. Q. Quid est Pænitentia?

℞. Pænitentia ut est virtus, est odium & detestatio peccati commissi, propter Deum, cum

firmo

firmo proposito deinceps non peccandi, & cum spe veniæ. Ex his sequitur dolor & satisfactio. & hæc virtus est materia Sacramenti Pænitentiæ quod ita definiri potest. Pænitentia est Sacramentum absolutionis, quâ Sacerdos, sibi subditum confitentem legitimè peccata sua cum dolore, & proposito, impositâ satisfactione, à peccatis absoluit,

866. Q. Quot sunt Partes huius Sacramenti?

℞. Tres, Contritio, Confessio, Satisfactio.

867. Q. Quid est Contririo?

℞. Est detestatio supra omnia odibilia peccatorum à se Commissorum contra Summe dilectum Deum, & excitatio spei veniæ, ac desiderij confitendi, ac deinceps vitandi omnia saltem mortalia, & pro illis satisfaciendis Hæc detestatio debet esse in intellectu ac voluntate, ex illa procedit dolor sensitivus, lacrimæ &c. quæ non sunt Contritio, sed effectus Contritionis & sine vera Contritione esse possunt. debet esse dolor super omnia, ut potiùs omnia mala perpeti quam iterum peccare sed non opus ut hæc mala sibi quis repræsentet in Particulari, si autem quis doleat non propter solum Deum optimum à se offensum. Sed propter mala quæ Deus illi in Pænam immittere potest; esse attritio, quæ quidem cum Sacramento tollet peccata sed sine illo non tollet.

868. Q. Quid est Confessio?

℟. Est secreta sui accusatio de peccatis coram proprio Sacerdote, ut ab illis absolvatur,

869. Q. Quæ paccata necessaria ita confiteri debemus, ut si vel unum voluntariè omiserimus, nullum omninò nobis dimittatur?

℟. Omnia mortalia facta post Baptismum sive mente, sive verbo, sive opere, si illa legitimè non sumus antea Confessi propterea oportet confiteri circumstantias, quæ ex bono opere, vel peccato veniali, faciunt mortales vel ex uno mortali aliud diversum. Ex venialibus, itemque antea legitimè Confessis, potest quæ uult ommittere Pænitens.

870. Q. Quæ est forma huius Sacramenti

℟. Ego te absolvo à peccatis.

871. Q. Potestne Excommunicatus absolui à peccatis?

℟. Non potest nisi prius ab excommunicatione absolvatur.

872. Q. Quæ requiruntur ad legitimã Confessionem essentialiter?

℟. Requiritur 1mum. ut Pænitens vere sit contritus, vel saltem sufficienter attritus. 2do ut omnia dicat mortalia, & ea de quibus dubitat an sint mortalia, cum circumstantijs mortaliter aggravantibus. 3tio ut speciem & numerum eorum dicat inquantum meminisse potest, quare prius Examen diligens debet præmit-

præmittere, sed peccata nemo scribere tenetur.

873. Q. An quilibet Sacerdos absolvere possit.

℟. Solus ille qui supra Pænitentem habet Iurisdictionem, Sacerdos enim hîc agit Iudicem: Iudex verò solum eum Iudicare potest qui est sub illius potestate vel Iurisdictione.

874. Q. Quotuplex est Iurisdictio?

℟. Duplex: Ordinaria: quam illi habent, quibus ex Officio incumbit cura animarum, & delegata: quæ accipitur ab Ordinario; nam is delegare potest: sed Delegatus non potest subdelegare. Nec vltra potest delegare nisi in sibi subditos. A Iure concessa est potestas Religiosis Mendicantibus approbatis. Delegata potestas, Id est à Iure, vel à Papa per modum Privilegii perpetui, expirat Mortuo, vel ab officio amoto Delegante non tamen Excōmunicato.

875. Q. A quo possit absolui habens casum reservatum?

℟. Ab eo cui est reservatus, vel ab eo cui ille concessit. In mortis articulo potest absolui à quocumque Sacerdote à quibuscunque etiam à Censuris. Sed si convaluit, debet denuo quærere absolutionē à Censuris, alioqui in illas relabetur. Peregrinus qui in sua Diæcesi commisit casum, qui in ea non est reservatus, si confiteatur in alia in qua est re-

ser-

ſervatus, abſolui non poterit, quia per reſervationem ſublata eſt Sacerdotibus poteſtas abſolvendi. Sed ſi in ſua diæceſi commiſit in ea reſervatum, & veniat ad aliam in qua non eſt reſervatus, poterit abſolui. Sermo aut hic eſt de illis Peregrinis qui Mutârunt domicilium nam qui non mutarunt, ubi ad ſuam redierunt, videtur quòd debeant recurrere ad habentem poteſtatem abſolvendi ab ea. Si quis ignoret caſum eſſe reſervatum quem facit, nihilominus facit reſervatum. Vagabundi cum alibi domicilium habeant, cuius Epiſcopi reſervationi ſubiacent apud quem tunc ſunt.

876 Q. Quando repetenda eſt Confeſſio?

℟. Ex Parte Sacerdotis repetenda eſt. 1mo. Si Sacerdos non habuit Iuriſdictionem ſupra Pænitentem 2do. Si non ſcivit diſcernere inter mortale & veniale, niſi hanc ignorantiam ſuppleviſſet Pænitens. 3tio. Si fuit Excommunicatus, vel propter notoriam Clerici percuſſionem, vel nominatim Excommunicatus, & Publicatus quacunque excauſa. Ex Parte Pænitentis. 1mo. Si non doluit de peccatis 2do. Si aliquid mortale ſcienter omiſit non propter cauſam quæ abhoc excuſat, ſed ob aliam. 3tio. Si tunc Pænitens fuit Excommunicatus licet ignoraret ſe eſſe excommunicatum.

877. Q.

877. Q. Quando Pænitentem debet interrogare Sacerdos.

℞. Quando illum videt non sufficienter Confiteri non interroget eum de vanis, inutilibus, impertinenter circa carnalia circumstantiæ nominis exquirat ne aut ipse Pænitens tentetur doceaturvè interroget de præceptis Dei atque Ecclesiæ, peccatis capitalib9, obligationibus proprij statûs. Si timet ne interim Pænitens moriatur, vel in febrim incidat, Statim interrogetur de gravioribus. Si non novit Pænitentem, quærat initio ex qua sit Parochia, ut videat an supra illum habeat Iurisdictionem, cuius sit statûs, quampridem Confessus, an Pænitentiam præteritam impleverit, an se præparaverit an paratus dimittere offensam, & occasiones proximas peccati an sit paratus restituere, res, Famam, proximi, debita; an præteritæ Confessiones non sunt iterandæ an etiam habeat Consvetudinem peccandi?

878. Q. Quæ præcipue continentur sub primo Decalogi præcepto.

℞. Ista Hæresis, Schisma, Atheismus, dubitatio de fide, negatio fidei verbo vel signo, etiamsi in corde retineatur. in Deum vel Sanctos blasphemia: aut membrorum eorū indecens nominatio: Superstitio, admixtio, turpium cantilinarum cantui Ecclesiastico

 dæmo-

dæmonum explicita vel implicita invocatio; cum ijs pactum aut familiaritas, incantatio: divinatio, auguria, sortes, Somniorum vana observantia, portare certos characteres, aut scripturas superstitiosas. observare absque ratione tempora, numeros, modum scribendi, contra Deum murmurare, de eius misericordia desperare, aut nimium præsumere, miracula non necessaria expetere, quod est tentare Deum, nescire ad salutem necessaria:

879. Q. Quæ sunt contra secundum præceptum.

℟. Iurare falsum vel dubium, promittere sub Iuramento quod non vis servare, irreverenter & sine causa Iurare. S. Scripturam iocis, & frivolis applicare vovere rem illicitam vel licitam sed propter malum finem, vel animo non adimplendi; votum non implere longo tempore vel impedire, vel quærere in eo sine iusta causa dispensationem.

880. Q. Quæ sunt peccata contra tertiū Dei præceptum, & præcepta Ecclesiæ?

℟. Facere die Festo opera servilia, vel fieri præcipere: Missam omittere, vel irreverenter audire non Ieiunare aut cibis vetitis uti. contemnere Sacramentum Confirmationis non conficere si potes aut non communicare pro Paschate, vel in periculo mortis. Sumere Cō-munionem aliâ re præsumptâ excepto articulo mortis

mortis, vel in peccato mortali: Sacramentă ministrare, vel percipere in mortali, vel in excommunicatione: abuti Sacramentis vel Sacramentalibus. Censuris non obedire. Ecclesiam, vel eius immunitatem violare. Reliquijs, vel imaginibus sacris iniuriam facere vim Ecclesiasticis inferre, aut alios aggravare, post votum castitatis peccare Carnaliter.

881. Q. Quæ sunt peccata contra quartũ præceptum?

℟. Parentes aut superiores non honorare, Mortem ijs optare, aut aliquod malum; Non subvenire Parentibus, in eorum necessitate, propter Parentes Deum offendere, aut illos ipsos; illis detrahere, conjuges, liberos, familiam, indignè tractare, subditos male regere. Patriæ, Affinibus, in necessitate non subvenire. Testamenta non statim exequi, aut, non exequi. In dignitate constitutis non exhibere honorem, vel non obedire: durum esse in Pauperes, ingratũ in benefactores, vel non subvenire alicui in extrema necessitate.

882. Q. Quæ sunt Contra quintum & octavum Præceptum?

℟. Optare alicui grave malum, appetere vindictam, gaudere de alieno malo, & dolere de bono. iudicare temerariè, suspicari, sibi mortem aut vulnera inferre, male alteri suadere, in iudicio legitimo mentem aut verita-

gem tacere, aut Iudici dolosè respondere, falsò testari Cum sis Iudex, advocatus, causam trahere, eludere. Mentiri cum gravi damno alicuius. Detractionem facere, vel audire, contendere, irridere, maledicere; de peccato aliquem laudare: iniustè incarcerare, torquere, plectere: Infantes ad lectum assumere cum periculo suffocationis. Abortum vel sterilitatem procurare, inimicitias fovere, in bello iniusto militare, scandalum alicui præbere ut tuo malo exemplo peccet, iuvare ad malum, impedire à bonis, docere peccare. Periculo mortis absque causa se exponere: non iuvare alterum in periculo corporis vel animæ cũ possis. non defendere aliquem cum diffamatur, nolle offenso reconciliari, nolle parcere deprecanti.

883. Q. Quæ sunt peccata contra sextum & nonum præceptum?

℟. Verba Carnalia dicere, vel audire libenter, nutus, aspectus exercere propter carnalem finem, mittere literas, munuscula, desiderare delectari in cogitatione, ornare se fine malo, tangere, osculari, quæ etiam sunt Mortalia inter coniuges si fiant cum periculo pollutionis, in alijs sine hoc periculo, quia ad Mortalem finem ordinantur. Actus, desideria consensus, oportet in Confessione exprimere circa qualem personam fuerint, & an peccans sit coniugatus, aut voto castitatis ligatus, an affinis,

huc spectant peccata contra naturã, pollutio, bestialitas Sodomia.

884. Q. Quæ sunt peccata Contra septimũ & decimum præceptum?

℟. Affectu nimio res terrenas desiderare, nimio quærere rapere aliena, vel retinere, furari, iniustè acquirere, vt per Symoniam, usuram, fraudes, iniustos Contractus, dolos inludo, uti moneta adulterina non potes, etiamsi ipse sis deceptus neque ab eo lucrari, qui non habet potestatem pecuniæ. qualis est Monachus, dispensator, & quicunque non habet propria. damna proximo inferre. iniusta vectigalia imponere aut exigere. infideliter servire, aut pro mercede laborare, mercedem operarij retinere, mendicare cum non egeas, prodigum esse. Hæc ferè omnia peccata trahunt secum restitutionem.

885. Q. Quæ peccata pertinent ad superbiam?

℟. Putare se bona quæ quis habet à se habere. vel à Deo, sed pro suis meritis, arrogare sibi quod non habet vel amplius quàm habet, se alijs præferre eos despiciendo, suum iudiciũ non submittere superiori, virtuti suæ fidendo conijcere se in occasionem peccati, gloriari, de peccato, ambire honores, beneficia contemnere, in vestitu, honesta mensa, excedere.

886. Q. Quæ sunt peccata gulæ!

℟. Nimia solicitudo circa cibos, potus, & in his excessus Ieiuniorum violatio.

887. Q. Quæ sunt peccata Acediæ?

℟. Fastidire bona Opera, animo cadere in adversis, dare se in oratione cogitationibus otiosis, & in ea, vel circa vitam attediari, media salutis ex tædio negligere. De alijs capitalibus egimus in Decalogo.

888 Q. De quibus præterea interrogandi Domini.

℟. An iustè suum statum acquisiverint, an iustè exigant tributa aut onera a subditis, an Officia indignis conferant: an quæ sunt Communitatis sibi usurpent, tolerẽt usuras & peccata publica iustitiam negligant?

889 Q. Ad quæ se reflectere debent Ecclesiastici?

℟. An non resideant, cùm debent, an in subditis peccata tolerent. An Ordines, Beneficia, Officia, indignis conferant vel simoniacè, an diæcesim visitent, Synodos quotannis celebrent, Chrisma conficiant, an ex redditibus nihil pauperibus & Ecclesiæ dent? An Ordines ante legitimam ætatem, susceperint, vel in censuris, vel irregulares, vel in immortali peccato, vel in istis Ordines exercuerint? an habitum & Tonsuram deferant, an Breviarium devotè recitent an defectuose, aut pro pretio ministrent Sacramenta, an plura habent

bens Beneficia, an aliquando Missam dicant &c.?

890. Q. De quibus Iudices interrogandi?

℞. Si temerè in aliquo, vel contra leges processerunt, judicium sibi usurpàrunt, causas protraxerunt.

891. Q. De quibus advocati?

℞. An Causam scientes esse injustam defenderint! An instruxerint scienter, ut dolosè aut falsò responderet, an causam pauperis susceperint defendendam, an ad penuriam adduxerint, instrumenta falsificaverint, occultaverint, destruxerint &c.

892. Q. De quibus Mercatores?

℞. De fraudibus in numero, mensura, mercium qualitate. Si minoris emerint propter anticipatam solutionem, vel pluris vendiderit propter expectatám, usura si conueniãt secum ne vendant vel emant, nisi tanto pretio iniusto. An dedit mutuum cum spe lucris, an defraudarunt vectigalia, si monetis falsis aut diminutis usus: Si in societate Mercatoria se infideliter gessit, si res furtivas emit: Si mendacijs aut periurijs in vendendo usus, si diebus festis exercuit mercaturam. Si ad infideles ferrum, vel arma deportavit aut res bello servientes. est Casus Bullæ Cænæ.

893. Q. De quibus Medici?

℞. Si morbo non satis cognito medicinam adhibe-

adhibuerunt. An neglexerit ſtudium, viſitationem, Circa Morbum. Si incertam & ſolùm ad experiendum præſcripſit medicinam ſint ſua ſit ægro aliquid peccaminoſum. An infirmos admonuit de periculo mortis. An non Confeſſum intra triduum perrexerit curare infirmum?

894. Q. De quibus coniuges interrogandi?

℟. An in mortali, vel tempore interdicto, vel ſine bannis contraxerint nuptias? an ante benedictionem conſumârunt, an ſolius cauſâ voluptatis ſecum egerunt, vel modo non conveniente, vel extra vas, vel cum gravida, cum periculo abortûs, vel gravis damni, an debitum negaverint extra periculum vitæ, vel gravis ægritudinis, vel quia alter ius ad hoc nõ habet. An petijt debitum habens votum caſtiſtatis. an fuit alteri cauſa adulterij an ſit nimis Zelotypus, An uxor contentioſa negligens in cura Domûs an ſequatur domicilium viri?

895. Q. Quid eſt Simonia?

℟. Eſt aliquod temporale veluti ex Contractu dare pro ſpirituale. Tria verò ſunt eiuſmodi. Munus à manu, à lingva, ab obſequio. Simonia eſt etiam redimere vexationem antequam in Beneficium ius acquiſierit & tunc etiam non licebit illi dare qui prodeſſe tibi poteſt ſed tantùm illi, qui obeſſe. 896.

896. Q. Quotuplices sunt res circa quas committi potest Simonia?

℟. Triplices. 1mo. Merè spirituales, ut gratia Dei, effectus Sacramentorum, ius percipiendi redditus ex altari, decimis, Beneficio. 2do. Compositæ ex Materiali & Spirituali, in illis prævalet spirituale, ut Sacramenta & Sacramentalia, Missæ, Consecrationes Monialium, Beneficia, Concio 3tio In quibus prævalet temporale, ut Calices, Cruces Officia Ecclesiastica, Officiũ Iudicis, Doctoris, Sacristæ, Oeconomi.

897. Q. Quæ ex dictis tribus vendi & emi possunt?

℟. Primæ nullomodo: nec secundæ, sed Tertiæ possunt, dummodo non pluris vendantur quia illis adiuncta est spiritualitas. V. g. Calix ne pluris vendatur, quia, est, benedictus, aliquæ tamen ex his prohibentur vendi, & tunc comitteretur Simonia iuris humani. Præterea stipendium pro sustentatione dum exerces spiritualia licet accipere.

898 Q. Quotuplex est Simonia?

℟. Triplex. Mentalis, quæ in sola mente consistit & nullo modo involuit pactum. Conventionalis, quæ aliquod pactum involuit licet ad eius executionem vel ex vna vel ex utraque parte non sit pervensum sit Realis est quæ pactum complevit saltem quoad partem.

899. Q. Quæ sunt pænæ Simoniacorum?

℞. Qui Ordines Simoniacè accepit, ipso iure est quoad hos & alios suspensus etiamsi hoc Peccatum occultũ fuerit, qui contulit sic Ordines Simoniacè vel recepit, aut contulit Beneficium, vel quia fuit Mediator, Simoniæ, si hoc sit ocultum est ipso iure suspensus quoad se, si vero sit manifestum, est etiam quoad alios. Incurrit præterea excommunicationem Papæ reservatam & si in iudicio constiterit, deponatur restituere tenetur: Beneficium Simoniacè acceptum, & omnes fructus eius non solum quos accepit, sed etiam quos aliquis diligens accepisset; exceptis illis quos iam in utilitatem Ecclesiæ convertit.

900. Q. An si aliquis det pro me vt mihi Ordo vel Beneficium conferatur efficiar Simoniacus?

℞. Ille efficietur qui dat; sed ego non efficior quamdiu de hoc nescio, vel illi clarè contradico, nihilominus suspensus, sum, & contraho onus resignandi Beneficium: nisi hoc mihi aliquis in fraudem fecisset, ut me in illo Beneficio impediret, tunc enim mihi non nocebit. Quod datum Simoniacè, illi Ecclesiæ restituendum in cuius iniuriam datum est. non nocebit mihi simonia alterius, si me nesciente, vel contradicente quis dedit pro confirmatione, vel consecratione, non autem pro electione.

901.

901. Q. Quid requiritur ad hoc ut simoniacus, pænis supradictis subiaceat?

℟. 1. Debet esse Simonia externo signo prodita. 2. Debet esse realis & completa ut detur & accipiatur. 3. Debet esse in Ordine vel Beneficio. 4. Vt sit ex utraque parte completa. unde si interim antequam ex utraque compleatur, exerceat ordinem non fit irregularis Nau: Cap. 23 n. 104. 5to. In censuras incidit & pænas per conventionalem simoniam ob confidentiam Pius: IV. & Pius V.

902. Q. Quid est vsura?

℟. Est lucrum ratione mutui: Lucrum hîc sumitur pro eo omni quod pecuniâ potest æstimari;

903. Q. Quid est mutuum?

℟. Est translatio Dominij alicuius rei in alterum, ut mihi non idem numero reddat, sed idem in specie, & consistit in rebus quæ usu consumuntur; Et usus illarum est illæ ipsæ. si res usu non consumatur, non fiet circa illam mutuum, sed depositum, locatum, commodatum, pignus: Mutuum palliatum est, cùm mutuum alio contractu tegitur v. g. cùm minori pretio emit ob anticipatam solutionem, vel maiori vendit propter dilatam.

904. Q. An semper sit usura, accipere aliquid ratione mutui?

℟. Si accipiatur quid quod non est pretio

æstimabile, non erit usura, v.g. Do tibi mutuò ut sis meus amicus, nam amicitia non æstimatur pecuniâ. Si des mutuum ut aliquid spirituale ipsi detur, erit simonia, non usura. si detur mutuum ut rem propriam conserves, vel recuperes non est usura. quia non est verum lucrum. Si des mutuum ut ille tibi quando egebis, det mutuum, erit usura, si ad hoc illum tanquam ex debito abliges, quia hæc obligatio est pecuniâ æstimabilis. Si mutues ut deinde apud te non alium emat, erit usura, vel ut in tuo Molendino Molatur, ratio eadem. Item est usura, dare frumentum mutuò quod non eras servaturus in carius tempus, ut tibi quando erit carius in eadem mensura reddatur: dare recens ut tibi tantundem reddatur sicci, dare colono ut tibi laboret, vel aliquid præstet, quia in his omnibus lucrum percipitur ex mutuo, dare quod probabiliter creditur fortè minus aut plus vitutum tempore redditionis, non est usura.

905. Q. An possit aliquando aliquid accipi?

℟. Potest. 1mo. si quid ex mera liberalitate detur & accipiatur. 2. Si mutuans ideo patiatur damnum quia dedit mutuum alteri. 3tio. Si lucrum propterea mutuanti cessavit quia dedit pecuniam ex qua verisimiliter lucratus fuisset, quia fuisset illá negotiatus, nec habet

aliam

aliam pecuniam, per quam hoc idem lucrum acquirere poterat. 4to Si in pænam, non in lucrum, imponat mutuatario, ut nisi intra tale tempus mutuum reddiderit, debet tantùm solvere, ut tantò studiosiùs laboret de satisfaciendo mutuo sed hæc pæna non potest illi imponi, de quo statim initio creditur, quòd non poterit præstituto tempore solvere, nec ab eo exigenda de quo constat, quòd non potuerit soluere absque sua culpa.

906. Q. Quotuplex est justum pretium?

℟. Est triplex, infimum, medium, Summum, receptum tamen publicè. quocumque ex his vendas non peccas. sed si ista excedas ratione dilationis solutionis, vel minuas ob anticipationem, erit usura.

907. Q. Poteѕtne aliquis cariùs vendere merces quia in earum emptione deceptus est, vel maiores fecit impensas quam alij?

℟. Non potest.

908. Q. An sit licitus contractus venditionis cum onere revenditionis?

℟. Est licitus, dum hoc modo non occultetur mutuum, & fiat vera venditio & nō simulata, nec redimatur maiori pretio quam res vendita fuit. sed qui venderet prædium non seminatum cum pacto ut ei prætio eodem redderetur seminatum, committeret usuram palliatam. Committitur vsura si quis ideò minùs dat

quia

quia ante tempus soluit debitum, nisi id faciat ob preces creditoris cum suo damno? vel minus soluat, quia debitum non est liquidum. Habet aliquis apud debitorem debitum non nisi post duos. v. g. annos solvendum potest alius statim illi solvere, imò ipse Debitor non integrum debitum solvendo; quia non est mutuum iuris ad pecuniam, circa quam minoris est spes quàm res, & sic non ratione anticipatæ solutionis minus dabit.

909. Q. Quid est contractus Societatis Mercatoriæ?

℞. Quando plures conferunt pecuniam in Massam: vel, unus pecuniam alter laborem, & inter se lucra partiuntur pro rata, vel damna. si verò aliquis solùm participaret de lucris, esset usura, quia mutuũ in hoc palliaret, sed si pro hoc aliquid daret ut eius pecunia esset extra periculum, tunc priori contractui adijceret Contractũ assecurationis, quod est licitum.

910. Q. Quid est census?

℞. Est ius exigendi pensionem ex aliqua re fructifera, nam Dominus potest vendere fructus retentâ rei proprietate. Pius V. præscripsit ut census non statuatur nisi in re immobili ex se fructifera aut quæ habetur pro immobili, & quæ certis finibus designata sit, quare non potest statui supra personam; aut bona

incom-

in communi. 2do. vt census ematur pecuniâ verè numeratâ, præsentibus testibus ac notario, & inscribatur actis 3tio. vt non fiant solutiones anticipatæ. 4to. Ne ponantur conditiones directè aut indirectè obligantes ad casum fortuitum, eum, qui alias ex natura contractûs non tenetur. 5to. ut non tollatur facultas alienandi rem censui suppositam: sed si res vendenda, ille præferatur, qui emit censum. 6to. Ne deducatur in pactum, quod pœnam sit subiturus censuarius si non stato tempore solverit censum. 7mo. vt census non augeatur, nec novus super eadem re creetur. 8vo. vt non deducatur in pactum ut solvat onera, ad quem ex natura contractûs non spectant. 9no. vt si res ex toto vel parte pereat, vel fiat infructuosa: census etiam ex toto vel parte pereat sed si pro tempore tantum fiat infructuosa, census totus reddatur, quia id fructus alio tempore compensabunt. si res pereat, assecurationes super censu percipiendo pereant: si ex parte res perijt, assecurationes solùm pro parte valebunt. 10mo. Vt possit censum quocumque tempore qui illum vendidit, pecuniâ redimere, & dominus censûs non possit venditorem pro placito cogere ad extingvendum censum redditâ pecuniâ, sed qui vult extingvere censum debet bimestri ante id Domino censûs significare, & post hoc tempus nisi cen-

sum

ſum extinxerit, poterit illius dominus etiam ab invito pecuniam repetere, niſi id neglexerit per annum, tunc enim amplius non poterit repetere, venditor tamem ſemper Emptorem cogere poteſt, ut pecuniã recipiat præviâ tamen ſemper prædictâ denunciatione. Et ſi nec tum etiã extinxerit, poteſt etiam ab invito pecuniã repetere, & hoc obſervandum toties quoties, non obſtante vllâ præſcriptione, aut pactis in contrarium imo. vt pretium censûs nulla ex causâ minuatur, vel augeatur.

911. Q. Quod eſt iuſtum cenſûs pretium.

℟. Illud quod lex, vel bona conſvetudo ſtatuit

912. Q. Quid eſt Reſtitutio?

℟. Eſt actus iuſtitiæ commutativæ quo redditur alteri quod ſuum eſt, vel quod ei debetur lege iuſtitiæ formaliter vel virtualiter, de bonis animi, Corporis, vel externis.

913 Q. Quis reſtituere debet.

℟. Ille ſolus qui rem alienam tenet, vel ex lege iuſtitiæ debet. Ex his enim tribus cauſis oritur reſtitutio. Vel quia rem alienam detines; vel quia damnum intuliſti, vel quia alienum iniuſtè accepiſti: Rem alienam habet non ſolùs ille qui eam accepit ſed etiã qui ex Contractu vel quaſi Contractu obligatur, ut tutor pupillis, Executor Teſtamenti, iuſtè condemnatus ad pænam, vel ex mandato iuſto ſuperioris ut ſolvat alteri, vel ex lege ſed

mulctæ

multæ pœnales non obligant ante sententiam Iudicis, sic etiã debent restituere, qui succedũt in hæreditate iniusta, sic filiæ ex alienis dotatæ, sic Filij & Filiæ vsurariorum.

614 Q. Quot modis res aliena haberi potest?

℟. Duobus, bonâ vel malâ fide. Rursus vel in seipsa, vel in suo effectu, vt quia illius habetur precium: vel quia tuæ rei pepercisti alienam interim consumendo.

915. Q. Quæ est pro modo dictis doctrina?

℟. Imo si res aliena malâ fide habetur, hoc est, quam scis vel probabiliter dubitas esse alienam, factâ forti inquisitione, nam ad eam obligaris, restituere cum fructibus debes. 2do si bona fide accepisti, v.g. emisti non putando furto ablatam post quam deprehẽdisti esse ablatam; etiam sine precio restituere debes, tu verò quæras furem ut ab eo pretium recipias 3tio. si alienam rem bonâ fide accepisti, & iam ipsam non habes, sed illius pretium vel fructus, vel ex illa factus es ditior. ista restituere debes. Si nihil horum est, nihil restituere debes, si quis rem furtivam sibi donatam vendidit totum restituere debet pretium; sed si emit bonâ fide & eadem fide eodem pretio vendidit, ad nihil tenetur, quia in nullo factus est ditior, si pluris vendidit, excessum restituat: si rem talem consumpsit, aliàs suam consumpsisset valorẽ suæ restituat: si nihil de suo consumpsisset nihil restituat.

916. Q. Quis damna illata restituere debet.

℞. Qui intulit. In anima damnum infert, qui ad peccandum inducit, á virtutibus, vel à statu Religioso abstrahit. In corpore infert, qui iniustè occidit, mutilat, vulnerat, incarcerat. In honore infert, qui contumelijs, convitijs, irrisione, detractione utitur. In bonis temporalibus, qui rem alienam iniustè, accipit, destruit, malè custodit, aut non, defendit cùm debeat, non arceat suas bestias ab alienis boni consequutione impedit v.g. ab Officio, Beneficio, ab alio bono sibi debito in quo iam habuit ius acquisitum, aut erat de iustitia sibi debitum: vel à re impedit, ad quam alter habuit ius, seu imperfectum, quia illi promissa, quia ad illam præsentatus vel electus, vel ad illam habuit alium iustum titulum, per quem acquisivit ius adeundi Iudicem. Qui impedit à consecutione boni, ad quod alter nullum ius habuit, etsi aliquando peccet, non tenetur restituere, nisi impediat modo iustitiæ contrario, vi, metu, dolo, fraude &c. unde qui impedit, ne Collator, Præsentator, Elector, Conferat, præsentet eligat, non tenetur restituere, si id fecit absque dolo, vi, metu, mendacijs, falso testimonio. idem de eo qui simili modo fecit mutans testamentum, vel legatum in alterũ transferens sed qui impedit, per actus iustitiæ contrarios, à iusto modo acquirendi

v.g. Beneficium tenetur damna Compensare. Si impedivit modis qui solum sunt contra charitatem, peccavit sed restituere non tenetur. Qui impedit à Beneficio, Officio dignum, ad quod nullum ius habuit, interea promovetur indignus & ex hoc patitur damnum Ecclesia, vel Resp: quomodocumque impediat restituere damna tenetur ex eo secuta non illi quidem, sed Ecclesiæ, vel Reip. quia istis damnum intulit.

917. Q. Quis ob iniustam acceptionem tenetur restituere?

℟. Qui est causa illius. Sed qui accepit ut damnum inferret, Calumniam, homicidium, vel aliud crimen, turpiter quidem accepit, sed restituere non tenetur, quia non peccauit contra iustitiam, pro damnis tamen quæ intulit occidendo &c. restituere tenebitur. Leges quidē statuunt, ut si tantùm sit promissum pro perpetrando scelere peti non possit, sed non statuunt, ut si iam accepit, restituat, ex Consilio tamen pauperibus deberet, restituere, ut consentiunt ōnes de meretricib9 quæ aliquid pro suo peccato acceperunt. & idem est à pari de alijs peccatis, quia in his omnibus est turpis licet non iniusta donatio, contractum tamen seu promissionem in his leges annullant. In Simonia est etiam turpis acceptio & acceptum retineri non potest, quia ita specialiter

 statue-

statuerunt Canones, & spiritualia nullo pretio æstimari possunt, & est iniusta venditio eorum quæ gratis dari debent.

918. Q. Quæ iniustè dicuntur accipi?

℞. 1. Illa quæ contra Domini voluntatem accipiuntur. 2do. Quæ in ludo fraude acquiruntur. 3tio. Quæ quis accipit pro eo, quod alijs facere tenetur, ut Iudex pro iusta Sententia: Testis pro vero Testimonio, fur ne furetur, latro ne spoliet, inimicus ne occidat, hi omnes restituere debent, quia iniustè accipiunt, & illa à Dominis quasi coactè dantur;

919. Q. Qui sunt causa Damni?

℞. Illi qui damnum intulerunt vel iniustè acceperunt vel ista concurrerunt.

920. Q. Quot sunt qui iniustè cuncurrunt ad damnum licet solùm mortaliter?

℞. Sunt novem & his versiculis exprimuntur.

NB *Iussio, Consilium, consensus, Palpo, recursus:*
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Restituere ergo tenetur. 1. Qui iussit. 2. Qui svasit, ita ut vi svasionis illatum sit damnum, licet illam revocaverit. 3. Qui ita consensit, ut eius consensus sit causa damni. 4. Qui laudat crimen perpetrandum ita ut vi laudationis & adulationis eius alter faciat crimen. 5. Qui ita facturum crimen receptat, tanquam illi præberet securitatem faciendi,

confer-

conservans illum, ut possit damnificare, se efficiens eius quasi socium & defensorem postquam fecit, & ita, 6 fit participans, huc & ille spectat qui est mediator damni, vel explorator ita, ut talis participatio sit causa vel concausa iniuriæ. 7. Qui tacet non clamando arguendo &c cùm possit & ad hoc teneatur ex Officio, & sic est indirectè causa damni. 8. Qui non obstat cum possit, & ad hoc teneatur. 9. Qui non Manifestat damnificatorem, vel in ipso facto, vel post, ita, ut eius sit causa vel iniustæ acceptionis, vel detentionis. Mutus, non obstans, non manifestans, non tenetur restituere, quando ad damnificationem impediendam non obligantur ex Officio: sed si in gravi necessitate sileant quando possunt absque damno suo impedire, erunt rei restitutionis v. g. scit quis quòd alterius Domus invadetur, furto vexabitur, nisi ipse cùm possit absque suo damno, manifestaverit, reus ipse damni erit. Quilibet supra, numeratorum tenetur in solidum, hoc est, ad compensandum totum damnum quia fuit causa totius illius actionis, quæ damnum intulit licet non solus, sed fuit concausa totius.

921. Q. Quid debet restitui?

R. 1. illud ipsum quod ablatum est, vel detinetur, si extat nisi damnificatus sit alia re contentus. Si vero non extat, aut nullo modo id

do id ipsum reddi possit, v.g si damnificans sit ocultus, & restituendo se proderet, vel aliquod maius restituendo sequeretur incommodum tunc æquivalens est restituendum. 2do. Si damnum non est pretio æstimabile, ut vita, salus, libertas, fama, tunc iuxta æstimationem viri probi procedetur in restituendo. Quod si æstimabile sit pretio, ut iura, fructus, semina, damna emergentia, lucra cessantia, hæc ipsa restituenda, æquivalens arbitrio boni viri, in alijs restituendum est. 3tio. Si res iniustè detenta est fructifera, restituendi sunt omnes fructus, & lucra deductis expensis quæ necessariò debuerunt adhiberi in illis acquirendis, colligendis, conservandis, sed videatur an intervenerit fides bona vel mala, nam ita procedendum de fructibus rei alienæ, sicut de ipsa re aliena quoad restitutionē si ex re infructifera per industriam lucrum aliquod acquiratur, hoc non est restituendum v. g. pecuniâ quis furto vel per usuram acquisitâ negotiatur nisi per hoc alteri lucrum cesset, vel damnum emergat.

922. Q. Quantum est restituendum?

℟. Quantum alter damni patitur certò, nam si incerta sit quātitas damni ut fit circa vulnera, iniurias fructus speratos, lucri cessantis vel damni, emergentis, id arbitrio prudentis viri cōmittendum: & hoc de possessore bonæ fidei sed

possessor

possessor malæ fidei totum restituat etiamsi res aliena perit apud eum absque eius culpa.

923. Q. Quis vocatur creditor, seu Dominus rei, ablatæ.

℞. Non solùm ille qui est Dominus proprietatis, sed etiam dispensator, & ille cuius res custodiæ commissa, & ita censetur esse Dominus pignoris creditor, & depositi depositarius, commodatæ commodatarius, vestis faciendæ Sartor. Quando tamen ignoratur proprius Dominus, vel ad eum pervenire non possis, vel possis sed cum magno scandalo aut tuo periculo, tunc restitutio facienda eius tutoribus si habet illos, vel curatoribus: in alijs verò casibus reddendū hæredibus, Affinibus, & si hi desint, Pauperibus, aut in pia opera impendendum. Si ipse Pauper qui restituere debet, cum Consilio Confessarij poterit totum, vel partem pro se retinere:

924 Q. Cui reddenda sunt quæ vel nunquā habuerunt Dominum, vel non extat ulla memoria de domino, vel ita non curat illa Dominus ut pro derelictis habeantur.

℞. Nulli sunt reddenda.

925. Q. Ad quem spectat Thesaurus inventus?

℞. Qui Thesaurum cuius nullo modo sciri potest Dominus, in suo fundo reperit, totum facit suum, si casu invenit in alieno, dimidi-

dimidium spectabit ad Dominum fundi: si reperit cum facultate domini fundi, totum inventor accipiat etiamsi industriam adhibuerit in quærendo, sed si id fecit absque facultate Domini, totus ad dominũ spectabit, si sciens quod Dominus ignorat, thesaurum esse in fundo, emit fundum, totus thesaurus ad dominum spectabit.

926. Q. Vbi facienda restitutio?

℞. Qui bonâ fide rem alienam possedit, ibi illam restituat ubi res est, non enim debet damnum pati ex tali restitutione. si debet restitui ut contractui vel quasi cõtractui satisfiat cum ibi restituenda, ubi in contractu saltem tacitè innuitur vel vbi repetitur, ita tamen ut extra eum locum facta solutio nec creditori, nec debitori damno sit. Si nullus sit designatus locus, ibi reddenda, ubi Iudex designabit, si restitutio consurgit ex iniusta acceptione, ibi facienda, ubi creditori nullo modo fuerit damnosum; vel ubi res accepta fuit, vel ubi est Dominus, vel in eo ad quem dominus rem transtulisset: Si in alium locum mitti debet res quæ restituenda id fiat impensis possessoris malæ fidei.

927. Q. Quando res restituenda est?

℞. Quoad voluntatem, statim quoad executionem, congruo tempore.

928. Q. Quæ excusant à restitutione statim facienda?

℞.

℟. Hæcteria. 1mo. Si Dominus concedit dilationem. 2do rationabilis ignorantia iuris vel facti. 3tio Impotentia.

929. Q. In quot Casibus impotentia à statim restituendo excusat?

℟. In quinque 1mo Si debitor vix habeat necessaria vitæ suæ & suorum. quia in extrema necessitate omnia sunt Communia. 2do Si est periculum probabile quòd si statim restituatur cedet in damnum animæ, vitæ vel famæ ipsius, restituentis, aut alicuius alterius, vel ex hac immineret periculum peccati mortalis. 3tio. Si statim restituendo traheret secum grave damnum in restituentem, & parvum Commodum in dominum, v. g. deberet propterea prædium multò minoris vendere: secus si esset creditor in simili casu, sed etiam cum tuo magno ex eo in commodo aliena restituas siquidem non censeris cum tua iactura id facere, nam aliena reddis non tua dare. Etiam cum magno tuo damno restituendum est, si restitutionis dilatio infert etiam magnum damnum Creditori. 4to. Non tenetur statim restituere totum, qui per hoc ex decentia sui statûs excideret, dum Creditor non sit in tali, vel maiori necessitate: interea debitor caveat sumptus non necessarios, & habeat animum, restituendi, totum quam primum poterit. 5. si statim restituendo Creditori redundaret da-

mnum

mnum in eum spirituale vel corporale, non est statim restituendum ut gladius irato.

930. Q. An statim absolvendus in confessione qui non vult statim restituere?

℞. Si non habet ex proximè dictis aliquam causam differendi, non est absolvendus. similiter qui in præterita confessione promisit se restituturum, & absque iusta causa non restituit.

931. Q. Quomodo restituendum?

℞. Eo modo quem requirit vel contractus, vel testamentum, vel delictum. Et quidem si delictum est publicum, etiam restitutio facienda publice: si occultum, oculté: & quidē in occulto delicto ne te prodas poteris per alium restituere qui te non prodat, sed syngrapham à Domino accipiat in qua testetur se accepisse tantum & tantum ab illo pro damno sibi à quodam illato, & sic certus eris quod ille restituerit.

932. Q. Quid debet facere pauper qui non habet unde restituat?

℞. Petere sibi à Domino condonari.

933. Q. Cui prius restituendum cùm plures sunt damnificati?

℞. Si omnibus potest restituere, nihil refert cui prius restituat. Si non potest, prius solvenda sunt debita certa, & quorum creditores certò scis, postea incerta & quorum cre-

ditores

ditores non sciuntur, si nunquam sciebatur alicuius rei Dominus, ex Consilio in Pauperes est eroganda.

934. Q. Quo Ordine debita certa sunt restituenda?

℞. Isto. 1mo Res ipsa si extat restituenda, ut in furto, commodato, deposito. 2do si rem alienam emisti & illa ipse extat apud te, redde. 3tio. Illi cui habes tua bona obligata expressè tum uxori, & debitum fisco. postea quibus bona tacitè obligata suo Ordine, tum deposita tum illis qui ad hoc habent depositū personale postremè alijs omnibus qui habent hyrographo sed antea debent seponi expensæ pro funere honesto sed non pomposo Mortui debitoris, & aliæ necessariæ pro adeunda hæreditate. Ille qui dedit Domino pro reficienda domo, navi, aut alia re, præfertur omnibus habentibus pignus. Et hic ordo servari debet sub peccato, & ignorantia iuris aut facti hîc non excusat. Qui priùs exigit debitum illi priùs est solvendum, nisi alter sit privilegiatus. Vnde peccant, Generi & nurus, qui accipiunt vel retinent de bonis Socerorum quod ijs debetur, scientes eorum bona ad alios magis privilegiatos spectare.

935. Q. Quibus debeant priùs Vsurarij satisfacere?

℞. Illi prius quibus obligati sunt per contractus

tractus licitos, ut emptionis, mutui, postea restituāt illud quod per usuras extorserūt, si non extet hoc ipsum, ut pignora quæ debent reddi Dominis pecuniam reddentibus. si tamen ex licitis contractibus facti sunt pauperiores, ut ex promissione, donatione, qui sunt contractus gratuiti, prius debent restituere, quod per usuras extorserunt.

936. Q. Quæ excusat omnino à restitutione facienda?

℞. Ea sunt novem 1mo. Extrema debitoris necessitas. 2do. Si condonet Dominus sine dolo, vi, metu, & condonare possit. 3tio. Si Domino in compensationem detur, aut procuretur officiū (non Ecclesiasticū) 4 Quando cum ratione probabili putat esse suum quod restituendum est: vel postquam consuluit probos viros, responderunt eum non teneri ad restituendum. 5to. Cum bona fide facta præscriptio. 6to. Cessio de bonis, sed hæc in conscientia non excusat. 7mo. Quando restitui non potest sine vitæ periculo. 8. Quando restitui nō potest sine amissione libertatis vel sui venditione. 9. Quando restitui non potest sine jactura famæ quoad virtutem.

937. Q. Quot modis fit detractio.

℞. Est tribus, nam vel imponitur falsum crimen, vel detegitur verum sed secretum, vel alterius virtus negatur, occultatur. Formali-

ter detrahit qui loquitur intendendo ut alterius destruat famam: nam materialiter detrahit, qui sine hac intentione de alio dicit malè, imo putat quod non malè loquatur.

938. Q. Quale peccatum est detractio?

℞. Formalis detractio est semper mortalis nisi excuset parvitas materiæ. Est gravior furto, quia melius est nomen bonum quam divitiæ multæ, erit etiam mortalis si leve quid dicas, sed ex eo proximus grave damnum accepit. Si dicas in genere, Scio ego aliqua de Petro, peccas mortaliter, quia conijcis illum apud audientes in suspicionē gravium. Materialis detractio non solet esse mortalis nisi grave damnum afferat.

939. Q. An peccet graviter qui audit Detractorem?

℞. Peccat si audit complacendo sibi in proximi infamia gravi. Item peccat, si potest, & ex officio debet occurrere detractioni, nec facit, etiā si ex timore aut verecundia non faciat: vel si advertat ex detractione grave malum secuturum tunc etiamsi non sit superior tenetur ex charitate impedire detrahentem.

940. Q. Vbi restituenda est fama?

℞. Vbi sunt illi qui audierunt detractionem, & quidem si publice diffamâsti, publice revocare debes. Si mentitus es diffamando,

fatearis

fatearis tuum mendacium; & si opus est, etiam supra hoc iures, & testes pro fama à te diffamati adduc, neque ab hoc te excusabit tua infamia aut pudor sed liber es à revocatione, si infamatus alio modo recuperavit famam, si Diffamatori non est creditum. Qui verum sed occultum crimen revelando, detraxit, ita debet revocare ut non mentiatur, dicat se malè locutum, aut potiùs solùm laudet virtutes diffamatis, Si etiam auditores obliti sunt non commemoret, sed damna si per hoc intulit, resarceat.

941. Q. Quid excusat à restitutione famæ?

℞. 1. Si absque salutis & vitæ periculo restituere non possimus, nisi etiam in pari necessitate sit, qui est infamatus vide à num, 190.

942. Q. Quid sunt Sponsalia?

℞. Sunt futuri Matrimonii mutua promissio. Non sunt Sacramentum, & obligant etiamsi nec iuramento, nec bannis firmentur.

943. Q. Quibus modis solvantur sponsalia?

℞. 1. Si uterque sponsus consentiat in illorum solutionem 2. si alter ingrediatur Religiosum etiámsi in illá nondum profiteatur. 3tio. Si ordinem sacrum suscipiat. 4. Si alter matrimonium cum altera contrahat per verba de præsente, etiamsi cum posteriore nondum habuerit copulam. sed si solùm cum altera fecit sponsalia licet & iuramentum adiecisset

tenent priora, nisi cum posteriore habuerit copulã affectu maritali. Sed si copula fuit cum Affine prioris sponsæ in primo gradu, cum neutra potest contrahere, cum prima enim ratione huius copulæ contraxit Affinitatem: cum altera intercessit impedimentum publicæ honestatis ex prioribus Sponsalibus natum. 5. Si alter peregrè profectus non redierit pro constituto tempore. 6. Si affinitatem contraxit per copulam habitam cum Affine sponsæ in primo gradu. 7. Si elapsum est tempus quo constituerunt secum contrahere Matrimonium. 8. Propter ignoratum ante, vel modò supervenientem morbum contagiosũ: aut notabilem deformitatem. 9. Propter alterius fornicationem, vel aliud Crimen infamæ, tunc innocens pars solvere potest sponsalia, si ante sponsalia fuit hoc crimen illi ignotum. 10. Si ante sponsalia fecit alter votum castitatis. 11. Si non satisfiat conditionibus appositis in sponsalibus. 12. Si alter deprehendatur habere mores asperos. 13 Si ante legitimam ætatem facta sponsalia, hoc est ante septem ætatis. Ad Matrimonium vero in Masculis 14. Anni requiruntur, in fæmella 12. utrique completi 14. Si aliquid superveniat, quod si fuisset ante prævium non sibi spopondissent.

944. Q. An sponsalia transeant eo ipso in

Matrimo-

Matrimonium quòd se sponsi animo maritali cognoscant?

℟. Non.

945 Q. Quid est Matrimonium?

℟. Est Sacramentum in quo fit coniunctio Maritalis Viri & Mulieris perpetuam vitæ consvetudinem retinens.

946. Q. Quæ sunt de essentia Matrimonij?

℟. Materia, Forma, Parochus proprius, saltem duo Testes. Materia sunt ipsæ Personæ, Forma verba, sive quid illis æquivalens quod exprimat consensum. Parochus potest esse non Sacerdos, sed cui Parochus concedit ut loco sui assistat, debet esse Sacerdos. si absque testibùs contraheretur, esset clandestinum. &c. proinde nullum vbi est receptum Tridentinũ.

947 Q. An Matrimonium valeat omissis bannis?

℟. Valet, sed & Parochus & contrahentes graviter peccant.

948 Q. An possit Matrimonium contrahi per Procuratorem?

℟. Potest, sed opus ut dum procurator per verba de præsenti contrahit, saltem virtualem habeat intentionem contrahendi Principalis. nam si tunc revocaret, etiamsi de hoc nec Sponsa, nec Procurator sciret, Matrimoniũ nullum esset.

949. Q. Quotuplicia sunt impedimenta Matrimonij?

Resp.

℞. Duplicia 1mo. Dirimẽtia, quæ omninò faciunt invalidum Matrimonium. 2do. Non dirimentia quæ relinquunt validum, sed faciunt peccaminosum.
950. Q. Quis statuere potest impedimenta Matrimonij?
℞. Ecclesia, quia habet potestatem declarandi contractus validos, invalidos, illicitos, pro rerum varietate Matrimonium verò fundatur supra contractum.
951. Q. Quæ sunt impedimenta dirimentia?
℞. Hæc 12. his versiculis contenta.
Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultûs disparitas; vis, Ordo, ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis.
952 Q. Quod est impedimentum erroris?
℞. Quando errorem committis circa personam. v.g. Vis contrahere cum Anna, & substituitur tibi Barbara. error verò in qualitate non facit invalidum, nisi qualitatis error redundet in errorem Personæ ita ut aliâs nõ consentires, v.g. duco te si es legittimè nata: Sed si in eam absolutè consentiret existimando esse nobilem cùm non sit, valeret Matrimonium, quia hîc est consensus in Personam, & solùm circa qualitatem error.
953. Q. Quod est impedimentũ conditionis?
℞. Quando putat esse liberam, quæ est mancipium, quod si scivisset, nunquam cum

ea contraxisset, non tenet Matrimonium & si interea illam cognovisset. sed si faceret cum illa copulam, postquam eam cognovit servam, vel ita cum illa contraxit, ut etiamsi sciret servam, adhuc cum illa contraxisset, valebit Matrimonium, ut etiam si scivit antea esse servam. Si servus contrahit cum serva putans esse liberam, valebit Matrimoniū, quia per hoc non efficitur illius conditio deterior.

954. Q. Quod est impedimentum voti?

℟. Si quis fecit solenne in Religione approbata sive expressum, siue tacitum. aut si ordinem sacrum accepit.

955. Q. Quod est impedimentum criminis?

℟. Duo sunt crimina quæ Matrimonium & impediunt, & dirimunt, nempe homicidium, & adulterium. Hoc est quando coniux procuravit suum coniugem occidi per aliquē, talis homicida cum instigante ad necem non potest contrehere Matrimonium. Etiam si homicidium non sit sine Matrimonij factum, ut patet ex Extrau. de conu. Infid. cap. laudabilem. vel quando coniux est causa mortis, & commisit adulterium; cum eo vel ea, cum qua vult contrahere, non valebit Matrimonium propter homicidium adulterio mixtum sive antea promiserint sibi Matrimoniū sive non. Vel si adulterando contraxit de præsenti, vel futuro. Cap. si quis Extrau. de co.

956. Q. Quod est impedimentum disparitatis cultûs?

℟. Si unus Baptisatus alter non Baptisatus sed cum Hæretico, vel Apostata tenet Matrimoniū.

957. Q. Quando vis impedit?

℟. Non solùm quando absolutè violentè cogitur ad Matrimoniū, sed etiam quando metus incutitur qui cadit in constantem virū, ut est stupri, Servitutis verberum, spoliationis. & minor metus reddit invalidum fæminæ, quam viri Matrimonium.

958 Q. Quid est impedimentum ligaminis.

℟. Est contractum priùs cum alia Matrimonium per verba de præsenti.

959. Q. Quod est impedimentum publicæ honestatis?

℟. Est quædam propinquitas Orta ex sponsalibus validis cum Affine vel consanguinea illius quam modo vis ducere, durat hoc impedimentum solùm ad primum gradum.

960 Q. Quid si fortè coire nequibis?

℟. Est perpetua ad coeundum impotentia, sive sit naturalis, sive ex maleficio. Conceditur triennium ad experiendū an sit perpetua, & si adhuc duraverit, solvendum erit Matrimonium per Iudicem Ecclesiasticum. Impotentia ex maleficio quæ non potest tolli nisi per aliud maleficium, censetur perpetua. Et hæc potest tantum esse respectu unius & non

 alte-

alterius: unde talis cum altera contrahere potest sed naturalis impotentia est respectu omnium.

961. Q. Quotuplex est cognatio quæ dicitur Matrimonium?

R. Duplex, Spiritualis & Legalis, spiritualis oritur ex Baptismo inter Baptisantem & Baptisatum, inter levantem vel levantes & Baptisatum, inter Baptisantem & Baptisati Patrem ac Matrem. oritur & ex Confirmatione inter Confirmantem & Confirmatum inter suscipientem & Confirmantem: inter Confirmantem & Patrē ac Matrē confirmati. Levare de Baptismo vnicus debet, vel unꝰ & una, utrūque hoc impedimentum est dirimens si incurratur ante contractum Matrimonium: si verò post Contractum non dirimit, sed impedit petitionem debiti. sed nullum contrahunt impedimentum qui iam ante privatim domi Baptisatum infantem deferunt ad Ecclesiam, ut suppleantur quæ fuerunt circa illum ommissæ ceremoniæ. non contrahunt etiam Patrini nisi ipsi antea sint Baptisati. nec Contrahunt qui tangunt infantem ultra designatos ad hoc, si nullus sit designatus ut sit Patrinus, tunc omnes qui tangunt, contrahunt, si ex necessitate, aut ignorantia iuris vel facti Baptiset Pater vel Mater, non amittunt ius petendi debitum. vide de his infra.

962.

962 Q. Quid est cognatio legalis?

℟. Est propinquitas orta ex adoptione alicuius in filium, sed quia hic casus rarus in Polonia, in qua hæc scribo, progredior ulterius vide infra.

963. Q. Quid est consangvinitatis impedimentum?

℟. Est vinculum sanguinis, aliquorum ab eodem stipite descendentium per carnalem propaginem. tres eius sunt lineæ. 1mo. Recta Descendentium, in qua Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos: & Ascendentium, in qua Pater, Avus, Atavus, Proavus. gradus vocantur Numerando ordine Personas dictas, ita ut tot sint gradus quod sint dictæ Personæ, non numerando stipitem, seu primum à quo incipiunt; Descendentes etiam sunt, Filia, Neptis, Abneptis: & Ascendentes, Mater, Avia, Proavia, Abavia. Vnde filia & Mater sunt in primo gradu & sic deinceps. 2da. Linea est collateralis, quæ est eorum qui descendunt à communi principio, id est, geniti ex eodem Patre & Matre vel ex eodem Patre vel ex eadem Matre, qui in hoc casu sunt stipes, pro his datur hæc Regula. Si Personæ æqualiter distant à communi stipite, quot gradibus ab eo distant, totidem à se distant: ut duo fratres sunt secum in primo gradu, duo fratrum filij in 2do. & sic deinceps. Si verò inæqualiter

 distant

distant à stipite, tum quoto gradu distat remotior, à stipite, eodem gradu à se distabunt ipsi.

964. Q. Quid est affinitatis impedimentum.

℞. Est propinquitas Personarum ex perfecta copula proveniens per quam semen viri in vas Mulieris ordinatum ad generandum immittitur; sive copula sit licita sive illicita, quia per hanc vir & Mulier efficiuntur una caro: Hæc affinitas impedit Matrimonium usque ad quartum gradum. Gradus affinitatis computantur eodem modo sicut & Consanguinitatis, nam omnes Consanguinei Vxoris tuæ sunt tibi affines in eodem gradu in quo tibi sunt Consanguinei. & ita Vxoris Soror tuæ, est vxori tuæ in primo gradu Consanguinitatis, filia Sororis est illi in secundo gradu Consanguinitatis; at tibi in secundo affinitatis & sic deinceps: Consanguinei autem tui cum Consanguineis Vxoris tuæ, nullo modo sunt sibi affines. Vnde duo fratres possunt contrahere cum duabus Sororibus: item Pater & Filius, cum Matre & Filia eius. Quod si te mortuo Vxor tua cum alio contrahit aut illâ mortuâ vir secundus aliam duxerit; Consangvinei quidem tui contrahent quandam affinitatem cum secundo Vxoris tuæ Marito & eius Consanguineis & cum secunda Vxore illius secundi Ma-

di Mariti eiusque Consanguineis, sed hæc affinitas non impedit Matrimonium inter Consanguineos suos & Consanguineos secundi Mariti Vxoris à te relictæ. Affinitas ergo solum impedit inter Consanguineos Vxoris & eius Maritum, & inter Consanguineos Mariti & eius Vxorem.

965. Q. Quousque se extendit impedimentum Affinitatis?

℟. Ad quartum gradum.

966. Q. Quousque se extendit impedimentum Consangvinitatis in Linea rectaè

℟. Sine ullo termino, & nuptiæ erunt contra naturam.

967. Q. Quousque impedit affinitas orta ex copula illicita?

℟. Ad secundum gradum.

968. Q. Quæ sunt impedimenta quæ contractum Matrimonium non dirimunt sed faciunt illicitum, & ne contrahatur impediunt?

℟. Hæc. primo si Episcopus vel Parochus prohibet contrahi donec de impedimento constet quod obijcitur. 2do. Ecclesiæ solennitates, Matrimonij prohibet à prima Adventûs ad Epiphaniam & à prima Quadragesimæ usque ad Octavam Paschatis inclusivè, hoc est, non debet tunc fieri solennis nuptiarum benedictio, nec solemnis sponsæ traductio: sed possunt fieri sponsalia & Bannæ, potest

teſt contrahi per verba de præſenti, & conſummari poteſt. 3. Qui cum una contraxit ſponſalia non poteſt cum alia ſine cauſa iuſta & arbitrio Iudicis. 4. Si Cathechiſavit Baptiſandum cum eo in tot gradibus contrahere non poteſt in quot ſi illum Baptiſaviſſet. 5. Si fecit votum ſimplex caſtitatis, talis etiam debitum petere non poteſt: & mortuo priore coniuge non poteſt cum altero contrahere, ſi adhuc voti obligatiò durat. duo autem ſunt vota ſollennia Caſtitatis, & reddunt Matrimonium invalidum nimirum in Profeſſione Religioſa, & ſuſceptione ſub diaconatùs, ut dictum ſupra. 6. Crimen. & ſunt ſeptem Crimina, propter quæ prohibetur Matrimonium contrahi ſine diſpenſatione. 1. Inceſtus cum Affine vel Conſanguinea. 2. Si Coniugem occidit. 3. Raptus alienæ ſponſæ. 4. Si filium proprium ſuſcepit ex animo ne vxor ab eo poſſit debitum petere. 5. Si occidit Sacerdotem. 6. Si commiſit peccatū Propter quod ſolennis pænitentia impoſita & facta. 7mo. Contractus Matrimonij ſcienter cum Moniali factus.

969 Q. Quotupliciter poteſt contrahi Matrimonium ſub conditione?

℟. Tripliciter. 1. Si adijciatur conditio turpis, & contra ſubſtantiam vel bonum Matrimonij. Vt, accipio te, ſi procuraveris ſterilitatem

gilitatem, si per adulterium provideris tibi de victu, si non inveneris postea ditiorem, hæ Conditiones destruunt Matrimonium. 2do. Sunt turpes, aut impossibiles, aut necessariæ sed non sunt contra substantiam vel bonum Matrimonij. ut sunt si furatus fueris, lunam detraxeris è cælo. si sol cras orietur, tales habentur pro non adiectis, & neque dirimunt neque suspendunt Matrimonium. 3. Sunt honestæ, vt si Pater meus consenserit. si tanta dos detur, & hæ si ponantur de futuro & a principio Matrimonij, & suspensivè, suspendunt Matrimonium usque ad eventum conditionis: si ponantur post Contractum Matrimonium nihil faciunt, sed etiam possunt Coniuges non curare suspendentem conditionem & ab ea resilire. Si dicas accipio te, si te per copulam inuenero virginem est turpis; & pro non adiecta habetur. Sed si te invenero Virginem per inspectionem honestarum mulierum, facit conditionale Matrimonium:

970. Q. Quomodo procedendum si quis obtinuit in impedimento dirimente iam contracto, licet invalide Matrimonio, dispensationem?

℞. Si illud impedimentum est notorium contrahendum est iterum cum omnibus solennitatibus, quia omnibus constat, quod nullum fuerit Matrimonium. Si

oculcum

ocultum contrahant de novo domi cum assistentia Parochi & Testium?

971. Q. An possit validum Matrimonium solui?

℟. Non potest, nisi solum ratum si alter ingrediatur Religionem. Sed quod non est Sacramentum, sed merus contractus, solvi potest ut patet in Matrimonio infidelium.

972. Q. Quid supra contractum addit Sacramentum Matrimonij?

℟. Addit gratiam Dei & indissolubilitatem, quæ oritur ex eo, quia post consumationem significat vnionem quæ est inter Christum & Ecclesiam, & inter Christum, & fideles, in rato verò videtur sola unio significari quæ est inter Christum & animam fidelem, estque solubilis, quare etiam ratum solverunt aliquando Pontifices.

973. Q. Quando solvatur invalidum Matrimonium?

℟. Per seipsum, sed tamen requiritur declaratio Iudicis.

974 Q. Quando solvitur validum Matrimonium quoad thorum & cohabitationem?

℟. Quando alter adulteratur, potest innocens eo nolente ingredi Religionem, vel amplius illi non cohabitare, & non cum thoro nisi & ipse adulteretur vel delictum condonet. Potest dividi ob sævitiam coniugis à Iudice decla-

declaratam; simili modo potest recedere si coniux inducat ad Peccatum mortale & aliter occurri non possit. non potest recedere ob coniugis morbum infectivum aut amentiam nisi adest periculum Mortis;

975. Q. Quando solvitur quoad thorum tantùm?

℞. Si alter adulteretur, & talis non potest petere debitum, sed tenetur reddere. innocens autem non tenetur à nocente, & potest ei condonare. sed si & ipse adulteretur, tenebitur reddere.

976. Q. Quid est votum?

℞. Est promissio facta Deo ut sit valida, requiruntur hæc quinque. 1. Vt sit deliberata ut scilicet, sciat quid agat. 2. Vt libera. 3. Vt fiat cum intentione se obligandi. 4. Vt sit de re grata Deo. 5. Vt vovens se possit obligare.

977. Q. Quando res grata vovetur?

℞. Quando bona & Maioris boni non impeditiva. vnde si quis rem malam voveat & peccat & tenetur non implere.

978. Q. Quanta requiritur deliberatio ad votum?

℞. Tanta quanta ad peccatum mortale sufficeret, vnde factum votum ex motu primo non tenet.

979. Q. Qualis metus invalidat Votum?

℟. Qui cadit in constantem virum, ut mortis periculum, bonorum, famæ, libertatis, amissio, & talis invalidat etiam professionem Religiosam & Matrimonium, & excusat ab observantia legis Ecclesiasticæ, non tamen naturalis, aut Divinæ. Et in fæmina sufficit minor metus quam in viro.

980. Q. In quo consistit libertas necessaria ad votum?

℟. Vt vovens sit sui iuris, nam nemo potest id promittere quod non est in eius potestate. & talia vota possunt à superiore confirmari vel irritari quare nõ possunt se firmiter obligare Religiosi ad aliquid sine consensu superioris, excepto voto de transeunda ad strictiorem Religionem. Si Religiosus vovit rem præceptam à Deo, potest eum superior liberare ab hoc voto & si non à præcepto, ut transgrediens non dupliciter peccet, & voti quæ fecit debet adimplere, donec à superiore irritentur. Coniux non potest aliquid vovere in præiudicium coniugis, & potest talia vota irritare alter coniux.

981. Q. Quæ vota filiorum irritare potest Pater?

℟. Duplicia sunt vota, alia personalia, sive quæ sunt de actibus Personæ, ut ingredi Religionem, Orare, Ieiunare &c. Alia realia, quæ per res explentur, ut dare Eleemosynam fundare

dare templum. &c. Triplex est etiam ætas quoad præsens punctum. Infantilis quæ durat per primum vitæ septennium. In hac vota non valent, quia nondum plenus rationis usus habetur. 2. Post hoc sequitur Pueritia, quæ in maribus durat ad Annum 14. in fæminis ad. 12 in hac ætate vota valent Puerorum, sed omnia possunt irritare eorum Patres, Tutores, etiam de Religionis ingressu, sed sollenne votum non valet tam in Puero, quàm in Puella ante. 16. Annos. 3. Ætas ab Annis 14. durat ad. 25. dicitur Adolescentia, seu Pubertas, ad hanc usque Adolescentes sunt sub cura Parentum, & de suis bonis disponere nō possunt, & inter hanc ætatē vota Personalia ligant sed realia ut valeant requirunt consensum Patris.

982 Q Quando Pater non potest ampliùs filij votum irritare?

℞. Factum votum Personale ante. 15. Annum, & reale ante. 25. Si intra hos terminos non irritaverit, amplius irritare non potest.

983. Q. An Mancipium voto se obligare potest?

℞. Nullo potest, quia & actiones eius, & res sub potestate Domini, vnde nec ingressum Religionis, nec Peregrinationes vovere, quia per ista abstraheretur ab obsequio, imò nec ieiunia per quæ debilitaretur.

Sed

Sed quod nihil præiudicat Domino, hoc vovere poterit.

984. Q. Quomodo debet esse id possibile quod vovetur?

℞. Non solum debet esse possibile Physicè, sed & Moraliter. Præterea non teneris votum per alium implere quod per te non potes nisi id vovendo expresseris.

985. Q. An qui vovit Religionem eo ipso vovit castitatem?

℞. Non. quia solum vovit continentiæ se facturum votum quando erit in Religione, in qua non est, maximè dum est in Matrimonio, idque si vovit non solum probare Religionem, sed etiam in illa profiteri: sed post mortem Vxoris tenetur ingredi Religionem.

986 Q. An qui votum simplex emisit castitatis possit ab vxore quam duxit petere dibitum?

℞. Non potest, sed reddere debet, quia illud votum non potest præiudicare vxori.

987. Q. An qui vovit Virginitatem, illâ amissâ non ligetur ampliùs voto?

℞. Non ligari, quia non potest ampliùs Virginitatem servare.

988. Ad quid teneatur qui vovit ingredi Religionem?

℞. Qui vovit ingredi in certo Monasterio. Si in illo non recipiatur, non tenetur in alio

petere

petere ingressum. Si vovit ingredi hanc Religionem, tenetur aliquot eius Monasteria accedere, ut in aliquo recipiatur. sed extra Provinciam, non tenetur quærere. Qui vovit non solum ingredi, sed etiam perseverare si absque sua causa non perseveret est liber à voto. Qui habet votum solenne, aut æquivalens, & suâ culpa à Religione dimittitur, tenetur regredi.

989 Q. Quomodo requiritur in voto intentio se obligandi?

℞. Qui vovit v. g. ioco, non habens intentionem se obligandi, in foro interno non tenetur. Si verè vovit cum intentione non observandi, peccavit graviter, sed obligatur ad implendum.

990. Q. Quid est Censura?

℞. Est pæna Ecclesiastica ad medelam imposita. Vnde irregularitas non est Censura, sed inhabilitas ad ordines suscipiendos vel exercendos; etiam aliquando sine peccato incurritur.

991. Q. Quid est excommunicatiò Maior?

℞. Est Censura quâ non solùm activus & passivus Sacramentorum, id etiam conversatio tam in spiritualibus, quàm corporalib9 seu civilibus tam ipsi, quàm alijs cum eo, si sit publicatus, prohibetur, & quidem in Spiritualibus, sub mortali. in alijs si absit contem-

ptus

peus sub veniali, conversatio hoc versu exprimitur.

Os, Orare, vale, Communio, Mensa, negatur.
Extra Divina tamen in hìs cum communicare licet
Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

992. Q. Quot sunt effectus excommunicationis maioris?

℟. Octo. 1. Priuat Communibus suffragijs Ecclesiæ 2. privat usu Sacramentorum actiuo & Passivo: 3 aliarum rerum Sacrorum & sepulturæ 4. Privat & inhabiles reddità ad Beneficia. 5. Privat iurisdictione Ecclesiasticá. voce activâ & passivâ. 6. Privat consortio civili cum fidelibus. 7. Forensi & iudiciali consortio. 8. Annullat impetrationẽ gratiarum.

993. Q. Quid est minor excommunicatio?

℟. Est censura quâ prohibetur usus passivus Sacramentorum, & electio passiva canonica, contrahitur minor solum ex eo quia quis participavit in casibus prohibitis cum excommunicato excommunicatione Maiori.

994. Q. Quid est suspensio?

℟. Est censura, quâ Ecclesiasticæ Personæ prohibetur exercitium Ordinis, vel Beneficij vel Officij, in toto vel parte, in certum tempus vel in perpetuum. potest & ob veniale incurri.

995. Q. Quid est interdictum?

℟. Est censura, quâ prohibetur Divina Officia, Sacramenta, & Sepultura Activè & Passivè, sed tamen permittitur Baptismus, Confirmatio, Chrismatis Confectio, & quædam alia.

996. Q. Doletne de peccatis qui dicit se maxima dolere quod de illis non doleat?

℟. Non dolet nisi interpretativè, signum doloris per hoc ostendendo.

997. Q. Quando dolor in Sacramento elici debet?

℟. Ante Absolutionem, sed cavendum ne post illum elicitum intercedat novum peccatum, vel complacentia de antiquis, & ut eliciatur in Ordine ad hoc, ut absolvaris.

998. Q. Qnomodo procedendum cum eo, qui sola dubia affert peccata?

℟. Saltem ex illis quæ antea confessus, afferat aliquod certum, nam in Sacramentis cavendum à dubia materia.

999. Q. An in generali Confessione liceat aliqua peccata mortalia omittere?

℟. Licet illa omittere à quibus iam antea fuit legitimè absolutus.

1000. Q. An ille qui scit se peccatum fecisse, sed dubitat, an sit illud Confessus debeat Confiteri?

℟. Debet.

1001. Q. Si Pænitens Bonâ fide Confessus

 est se

est se peccatum fecisse, vel in illud consensisse, si postea claré advertit, se non fecisse, non consensisse, an id debeat dicere do novo Sacerdoti?

℞. Non debet, idem de eo qui dixit Bonâ fide se peccasse centies, & postea advertit quod solum trigesies, quia in Maiori numero dixit minorem. sed si malâ dixit fide de mortalibus, debet id Confiteri quia peccavit mortaliter.

1002. Q. An absolui potest de quo dubitatur an sit peccatum quod reservatum?

℞. Potest. Quia reservatio non cadit nisi in certa peccata.

1003 Q. Aliquis in pueritia quædam peccata non putabat peccata & sic bonâ fide omittebat illa in confessione: factus vir advertis illa fuisse peccata, an teneatur illa Confiteri?

℞. Non teneri ita Tamburinus.

1004 Q. De quo interrogari debet qui Confitetur hæresim?

℞. An solùm internas habuerit, nam ab ista à quovis approbato absolui potest? an verò signo aliquo illam prodiderit: an eadem hæresis coniuncta fuit cum blasphemia, & an sectam quæ illam hæresim docet voluerit amplecti?

1005. Q. Quomodo oportet Confiteri blasphemias?

Resp.

℞. Specialiter explicandum quæ fuerunt contra Deum, quæ contra B. V. quæ contra Sanctos, Soar. Sanch. tum si illi addidit hæresim, in voto verò violato addat, an illud fuerit iuramento firmatum, vel fuerit de re alia præcepta.

1006. Q. Quid homicida Confiteri debet?

℞. An crudeli modo occiderit, an supra cadaver sævierit? an in loco sacro occiderit, aut in illo sanguinem copiosum effuderit, quia tunc etiam loco sacro facta est iniuria.

1007. Q. Quid de peccatis internis contra castitatem?

℞. 1mo. Desiderium est turpe quo quis actum turpem desiderat facere. 2. Delectatio est morosa cum aliquis delectatur cogitando turpia sine desiderio illa faciendi. 3. Consensus est voluntas id faciendi, vel in eo se oblectandi, de eo gaudendi. in desiderio, consensu, gaudio, explicandum circa quales personas fuerint, idem est de oblectatione, aspectibus, tactibus & qui hæc facit debet addere quod sit coniugatus, vel sacra Persona. ita Vasq.

1008. Q. Quid de verbis turpibus?

℞. Si quis loquitur de turpibus, non est opus speciem explicare, sed si simul desiderat, est opus. similiter qui se iactat de peccato, aut in eo complacet, est opus: & addere, si dum se iactaret, infamavit aliquem? similiter

an de

an de vero, an de falso se iactaverit, quia miscuit mendacium, similiter si aliquem per hoc incitavit ad peccatum, quia miscuit scandalum. Idem est de eo qui alterum laudavit de peccato: qui suasit peccatum, debet dicere quale.

1009. Q. Quid de factis contra castitatem?

℞. Si peccavit cum Infideli, id explicet, quia peccavit contra reverentiam Baptismi. Sanch. Lugo. Si peccavit Eunuchus, aut impotens, etiam id explicet, quia fecit contra naturam. Qui sollicitavit Puellam, sed post eã mentem interruptam, pervenit ad actum, id explicet, quia duo peccata commisit. Si non servat modum naturalem in copula cum periculo perdendi seminis, id explicet. Qui inchoatam non perficit, copulam, id explicet, quia fecit & tactum & molliciem, qui se in periculum coniecit peccandi, si non peccavit, vel post interruptionem periculi peccavit, id explicet. Si per suum factum, incitavit aliquem ad peccatum, etiam id dicat, quia adiecit scandalum.

1010. Q. Quomodo incestus in Confessione explicandus?

℞. Opus explicare in quo fuit gradu consangvinitatis, vel affinitatis, quia quilibet horum specialem continet turpitudinem: idem expliacandum cum legaliter iunctis ut inter

adoptantem & adoptatum: inter adoptatos & filios legitimos adoptantis; inter uxorem adoptantis & ipsum adoptatum, inter Conjunctos ex Baptismo vel Confirmatione, ut inter Patrinum vel Matrinam cum ipso Baptisato: inter Baptisantem & Baptisatum: inter Parentes Baptisati cum ipso Baptisante: inter Parentes Baptisati & Patrinũ vel Matrinam. Simile quid est in Confirmatione, tales incestus habent aliquam sacrilegij malitiam, sed gradus non explicandi, quia eodem modo opponitur reverentiæ Sacramenti. Oritur incestus & ratione publicæ honestatis, inter quos hoc impedimentum intercedit. Oritur & ex Matrimonio rato etiamsi irritato ex alia causa, sed non ex defectu consensûs, extenditur ad quartum gradum, & hic gradus axplicandus, explicandi & in Sodomia gradus.

1011. Q. Quid ille qui se polluit dicere in Confessione debet?

℟. Si ad hoc opus adhibuit aliquid inanimatum, non est opus ut id explicet. Sed explicet si tunc cogitavit de alia Persona, & dicat, de quali, item explicet qualem, si ad hoc hominem adhibuit.

1012. Q. An aliquando possit Mortale in Confessione reticeri?

℟. Potest in his Casibus. 1mo. Dum qui Morti proximus loqui non potest, tunc suf-

 ficit

ficit ut aliquid in communi dicát, & signum doloris ostendat. 2. Quando instat naufragium, prælium, tunc possunt plures simul aliquid in communi dicere, & signis doloris ostensis, absolui. 3. Si quis fit surdus & mutus, quod potest id signis exprimat. Sed quid sit, dubiū est an signa illa procedāt ex vi morbi, an ex pænitentia? ℟. Tunc sub cōditione, *Si capax es*, absolvendus. Sed in conditionatis Sacramentis Conditio præmittenda ante formā.

1013. Q. Quæ signa doloris possunt esse in infirmo?

℟. 1mo. Si dicat se dolere, velle se Confiteri. 2do. Si tundat pectus. Dubia verò sunt signa, & forte ex morbo proveniunt. Suspirare, Lachrymari, manum stringere, & tunc sub conditione absolvendus.

1014. Q. An absolvendus qui meminit quidem se peccâsse mortaliter, sed non meminit, quali peccato?

℟. Si sufficiens fecit Examen, & nihilominus sibi memorare non potest, est absolvendus, alias non.

1015. Q. An possit quis occultare peccatum quando eius Confessione sibi vel proximo imminet damnum?

℟. 1mo Potest, si certò imminet & desit alter Confessarius cui sine hoc periculo Confiteri possit, ita Coniung. ut cum rationabiliter

putat

putat Sacerdotem revelaturum? si non possis Confiteri, etiam extra articulum mortis, nisi per interpretem. Idem. 3 quando pænitens timet sibi, ne, si se magis examinet, Commemorando sibi, in eadem relabatur. Sic & Sacerdos cum suo periculo non tenetur multùm Examinare, etsi propterea aliquod peccatum omitteretur. 4. Quando puella rationabiliter timet, ne si diceret peccatum, sollicitaretur à Sacerdote. 5. Quando pænitens est nimis scrupulosus non est opꝰ ut se nimis examinet. 6. Quando Sacerdos peccatum suum non potest Confiteri absque violatione Sigilli, tunc solùm in genere & cautè Confiteatur. 7. Quando pænitens morbo contagioso laborat, nec Sacerdos è longinquo audire potest tunc sufficiat ut dicat aliqua peccata. Sed ista omnia pericula debent esse certa & gravia, & alter Confessarius longiori tempore non haberi. ob pudorem autem nihil potest reticere.

1016. Q An qui habet non reservataa & reseruata, possit vni priora, alteri posteriora Confiteri?

℟. Non potest.

1017. Q Quando est mortale mentiri in Confessione?

℟. Quando agitur de mortali etiam antea Confesso si de illo ex necessitate interroget Sacerdos, ut possit iudicare Sacerdos, vel illis mederi:

mederi: Fateri mortale quod quis non fecit, nisi bona fides excuset, erit mortale. Ita Vasq. Quia hoc grauiter variat Iudicium Sacerdotis. Item mortale est dicere falsò veniale, &nullum aliud dicere, quia irritum facit Sacramentum, ita Soar.

1018. Q. Si quis ante decem annos scienter tacuit mortale, postea illius verè oblitus Confitebatur integre, tandem sibi commemoravit illud peccatum, an debeat omnes Confessiones repetere?

℞. Solam illam in quo sciens omisit debet repetere.

1019 Q. Valetne Confessio facta coram Sacerdote excommunicato sed non denunciato, neque percusore Clerici?

℞. Valet, ita Conc. Constantiense.

1020. Q. Valetne Confessio facta coram, rudi Sacerdote?

℞. Si ita sit rudis ut nesciat omnino discernere mortale à veniali, non valet ita Soar.

1021. Q. Si post absolutionem advertat pænitens, quod Sacerdos aliqua propter Somnum vel Distractionem non audiverit, quid debet facere?

℞. Si scit quæ non audivit, illa sola repetat. Si nescit quæ, omnia repetat.

1022. Q. Quando absolutio differenda?

℞. Imo Quando pænitens non amouet proximas

ximas peccandi cum possit occasiones. 2do. Cum frequenter ralabitur. 3tio. cum illi expedit ut differatur absolutio?

1023. Q. Quid faciendum cum eo qui non potest deserere proximam occasionem, propter magnum scandalum, gravem infamiam, magnum detrimentum spirituale aut temporale.

℞. Absolvendus, si doleat extra ordinariè si nolit deinceps solus cum sola loqui, eius conspectum velit fugere, ita Layman.

1024. Q. Quid debet facere Sacerdos si erravit audiendo Confessionemm?

℞. Si erravit in eo quod nec bonum tertij, nec valorem Sacramenti lædit. v.g. non interrogauit de numero, Circumstantiis: reliquit in occasione proxima, si processit bonâ fide, id est, sine peccato mortali hæc faciendo, ad nihil ampliùs obligatur. sed si processit malâ fide, debet curare ut de hoc moneat Pænitentem, ita Lugo. Quia est causa Moralis quòd Pænitens Sacramento non satisfacerit 2do. Quando erravit Sacerdos cum damno tertij, solum tacendo, idque bonâ fide, ad nihil tenetur. Si egit malâ fide, tenetur admonere, & si non monuerit, peccat, sed non tenetur ipse restituere pro Pænitente, si hic tenebatur. Quia non tenetur ex iustitia bonum temporale aliorum quærere. Si positivè de-

obliga-

obligavit à restituendo, tenetur monere: & si Pænitens nolit aut non possit, cùm antea potuerit restituere & voluisset, tenebitur ipse Sacerdos restituere, quia est causa positiva damni etiamsi bonâ fide hunc errorem fecerit. 3. Si erravit destruendo valorem Sacramenti & malâ hoc fide fecit, tenetur etiam cum suo gravi incommodo Monere. ita Fillicuc. Lugo imò & si bonâ fide, quando non est spes amplius quod Pænitens iterum sit illi confessurus nam si est spes, monebit in Confessiõe semper autem cavendum ne lædatur sigillum Confessionis.

1025. Q. Quando ignorantia Pænitentis est Corrigenda?

℞. 1mo. Quando Pænitens nescit mysteria fidei 2. Si Pænitens laboret ignorantiâ mortaliter culpabili. Quoad ignorantiam inculpabilem hæc sunt servanda. si est ignorantia contra Pænitentem, ut cùm putat esse Mortale quod non est, debet admoneri, quia tendit in illius grave damnum, excipe casum: Si Pænitens prævideatur peiora patraturus si id ipsi aperiretur. 2do. Si ignorantia inculpabilis non sit contra Pænitentem, ut cùm. v g. Non putat esse peccatum quod est, tum & si de hoc non interroget, est docendus, si videtur id facile relicturus quod re ipsâ est peccatum: sed si videtur non relicturus, tacendum, ne gra-

vius

viùs peccet. Idem faciendum de occasione proxima: idem de impedimentis Matrimonij contracti, aut contrahendi: ita Lugo. idem de restitutione, si non sit in damnum alicuius. Idem de eo, qui admitteret quidem instructionem, sed absque scandalo & infamia gravi corrigere non posset, v g. Matrimonium solvere. Idem de eo, qui nunc non acceptaret instructionem sed postea acceptaturus speraretur. 3. Quando de veritate Pœnitens interrogat, semper est aperienda alioqui Sacerdos tacendo videretur approbare.

1026. Q. Quid debet facere Sacerdos quando scit peccâsse Pœnitentem, & Pœnitens id non confitetur?

℞. Si scit certò quôd peccaverit, quòd alteri non sit confessus, non absolvat, ita Soar. Fagund. Sed si solùm de his dubitat, absolvat. Quia debet præsumi dispositus quandiu de contrario non constat. Potest etiam præsumi quòd Pœnitens habeat causam tacendi. potest etiam Sacerdos interrogare, forte enim Pœnitens oblitus, aut se male examinavit.

1027. Q. An Pœnitens debet implere sub mortali Pœnitentiam?

℞ Debet, si illi data pro mortalibus: imò & pro venialibus, si sit magna, si sit parva pro mortalibus, sub veniali obligabit. sed etiam ad gravem pro gravibus potest Sacerdos sub veniali tantùm obligare. Soar.

1028. Q. An tenetur Pænitens acceptare?

℟. Tenetur. patet ex Trid. Seſſ. 14. c. 8.

1029. Q. Quando impleri debet Pænitentia?

℟. Quamprimùm, ſi non eſt alligata ad tempus, nam Magna eius dilatio pro gravibus eſt mortalis. Poteſt impleri in peccato mortali, & Oratio in ea impoſita poteſt dici in Miſſa quam de præcepto audio Caſtrop.

1030. Q. Poteſtne Pænitentia per alterum impleri?

℟. Poteſt realis ſed non Perſonalis & aliquando poteſt imponi ut per alium impleatur.

1031. Q. Quid debet facere qui Pænitentiæ oblitus?

℟. Adeat Confeſſarium ut illi commemoret, ſed ſi & hic oblitus, ad nihil tenetur. ſi ſua culpa oblitus Confiteatur hanc culpam, ſed non eſt opus ut repetat Confeſſionem. Vaſq.

1032. Q. Si impoſita. eſt alicui Pænitentia ut in certo templo oret flectendo, ſi in alio & quidem ſedendo oraverit, an ſatisfaciat?

℟. Pro circumſtantijs Pænitentiæ id obſervandum. 1mo. Si pro pænitentia res impoſita eſt gravis, & illi additur circumſtantia levis, tunc circumſtantiam omittere, eſt veniale. 2. Si res levis imponitur, & circumſtantia gravis, tunc iſtam omittere erit mortale, & idem eſt de voto. 3. Si Sacerdos præcipuè intendit cir-

dit circumstantiam, si hanc non potes facere, nec ad pænitentiam obligaris: si non præcipuè imposuit, debet implere Pænitentiam.

1033. Q. An sibi quis possit commutare pænitentiam?

℞. Non potest, ita Sanches, Reginald. Quia nemo commutare, præceptum superioris potest, etiam in melius, aliud est de voto quod ille qui fecit, potest in melius commutare, quia circa hoc ipse sibi est superior.

1034. Q. An si coram alieno confitearis eadem peccata, possit commutare impositam tibi à priore Pænitentiam?

℞. Potest dum non inferioris sit potestatis quam prior, sed non auditâ Confessione non potest. ita Soar. Vasq. vota commutari aut irritari, item censuræ possunt extra Confessionem remitti possunt.

1035. Q. An audita in Confessione possent aliquando revelari.

℞. Nunquam, nisi concesserit claré, liberé, Pænitens, hoc est de illis quæ sunt dicta in ordine ad absolutionem, etiamsi illa non fuerit sequuta. neque hic præsumptio de consensu Pænitentis habet locum. neque potest dicere Sacerdos se aliquem non absoluisse, neque potest Confiteri suum peccatum ut detegat Pænitentem.

1036. Q. Quæ sub sigillum cadunt?

Resp.

℟. Omnia mortalia etiam in communi, sed venialia solum in particulari revellari non possunt. imò & in communi. si dicas confessus est mihi gravia venialia, Violas sigillum, si vnum tuum Pænitentem laudes, de altero sileas: si in Confessione ostendas signum, ex quo colligere quis possit quod tibi dicantur gravia, item si noluit Pænitens sciri quod tibi ille sit Confessus, & tu dicas, Confessus est mihi. item si dicas, quam illi Pænitentiam imposuisti. nec potest dicere, ego in tali loco, si sit parvus audiui talia peccata, nec potes dicere illa de quibus aliunde scis, si tamen etiam illa dixit tibi Pænitens: nec cum altero Sacerdote loqui cui eadem dixit Pænitens in Confessione. ita Lugo. Nec illum potes dicere, cui se dixit Pænitens detraxisse, aut cum quo peccasse, etiam cum consensu Pænitentis vno verbo, quid quid non vult de se Pænitens dici, hoc silendum ne reddatur odiosa Confessio.

1037. Q. Debetnè dare Sacerdos Testimonium Confessionis illi quem non absoluit?

℟. Debet, alioqui illum proderet.

1038. Q. Qui obligantur ad sigillum?

℟. Non solùm Sacerdos, sed etiam Interpres, sed etiam qui audivit peccata confitentis, & cui ea Sacerdos revelavit. tenetur & superior à quo pro reservatis petit Pænitens per se vel per alium facultatem. similiter tenetur qui alicuius invenit peccata scripta.

1039. Q. An obligetur Pænitens sigillo ad ea tacenda quæ audivit à Sacerdote.

℟. Obligatur non quidem Sacramentali, sed Naturali?

1040. Q. Si confiteatur Petrus se peccasse cum Ioanne, Ioannes verò id sileat, quid debet facere Sacerdos?

℟. Nullo modo potest ostendere se aliquid de peccato Ioannis scire, sed solùm interroget in communi an aliquod peccatum habeat. vniversim nihil potest agere Sacerdos ex quo conijci possit, quòd vtatur scientiâ ex Confessione.

1041. Q. An possim absolvere quem sola alterius Confessione scio esse indispositum, si ipse dicat se esse dispositum.

℟. Possum & debeo.

1042. Q. An valeat absolutio, si dicam absolvo te, si superior approbabit te, non valet. Quid faciendum si dubitem an absolverim?

℟. Ita denuò absolvendus. Si non es absolutus Absolvo te similiter si dubitem an sint peccata quæ dixit Pænitens, sic absolvã si sunt peccata quæ dixisti, Absolvo te. similiter, si habes vsum rationis.

1043 Q. An valet Confessio si Pænitens dum confiteretur, bonâ fide putabat se dispositum, & postea advertit se non fuisse dispositum. Resp.

℟. Valet, ſed de hoc defeſtu doleat: ſed ſi malâ fide id putavit, repetenda erit Confeſſio.

1044. Q. An Sacerdos Excommunicatus notorius, non tamen denuntiatus, nec publicus Clerici percurſor valide abſolvit?

℟. Validè, ſed irregularitatem incurrit.

1045. Q. An poſſit Sacerdos impoſitam ab alio Pænitentiam mutare?

℟. Si talia peccata habet Pænitens à quibus tu illum abſolvere potes, etiam mutare potes, ſecùs non. ſi tamen ea tibi priùs Confiteatur.

1046. Q. Quot res debet habere Confeſſarius?

℟. Decem 1. Ordinem. 2. Iuriſdictionem. 3. Vſum Iuriſdictionis non impeditum. 4. Scientiam. 5. Prudentiam. 6. Bonitatem. 7. Sigilli Cuſtodiam. 8. Approbationem. 9. Attentionem ad Confitentem. 10. Satisfactiones & Formæ prolationem.

1047. Q. Quot res in Pænitente requiruntur?

℟. Quinque 1. vt ſit ſub Iuriſdictione Confeſſarij. 2. vt ratione vtatur 3. vt intentione debitâ accedat 4. ut ſuam examinet Conſcientiam. 5. vt exactè peccata dicat, doleat, ſatisfaciat.

1048. Valeretne abſolutio ſi illam Sacerdos ſolâ mente proferret. Reſp.

℟. In nullo Sacramento valet forma si mente solâ profei tur. sicut si absq; intẽtione.

1049 Q. An licet sub Conditione absolvere?

℟. Sub conditione de futuro non licet, sed sub Conditione de præsenti, vel præterito licet in his casibus. 1. Quando Sacerdos dubitat an dixerit essentialia formæ, quod potest accidere in illius interruptione. tunc dicat, si non est absolutus absolvo te. 2. Si dubitat an sit sufficiens materia. 3. Si dubitat an Pænitens, habeat vsum rationis, conditionem satis est mente exprimere. Absens non potest absolvi nisi à Censuris.

1050. Q. An sub ratis habitione dari possit absolutio?

℟. Potest, quando de illa certum est, & est præsens vel præterita, non autem futura.

1051. Q. An possit absolvi qui putat se relapsurum, omninò tamen vult non relabi?

℟. Potest, dummodo deserat proximam occasionem.

1052. Q. An possit in articulo mortis quilibet Sacerdos dispensare in irregularitate!

℟. Non potest.

1053. Q. Quotuplex integritas est Confessionis?

℟. Duplex 1. Formalis, vt de omnibus Mortalibus à quibus non est absolutus doleat, & hæc est semper necessaria. 2. Materialis vt

 omnia

omnia mortalia facta post Baptismum, à quibus non est absolutus dicat, & hæc aliquando non requiritur.

1054. Q. Quando quis tenetur Confiteri?

℟. 1. Quilibet saltem semel in Anno 2. Sacerdos Celebraturus si est in mortali tenetur Confiteri, vel si tunc non possit, tenetur deinde quàm primùm, ex præcepto Tridentini. 3. Cum quis est Communicaturus, si est in mortali tenetur Confiteri sed si non possit, non tenetur deinde quam primùm. 4. Cùm Matrimonium Celebraturi, vel confirmandi vel extremè vngendi, vel ordinandi, si sunt in mortali. 5. In periculo mortis. 6, Si solent labi in peccata nisi confiteantur.

1054. Q. Qui sunt status magis obnoxij restitutioni?

℟. Hi viginti sequentibus versiculis comprehensi.

Lucrator, raptor, fur, miles, causaq; damni.
Participans, Sacer, & Iudex, & curia, contract.
Falsator, Prodens, Simon, quiq; impedit & qui.
Iniustè ludit, locat, aut qui fert turpia lucra.
Detractor, corpus lædens, animumq;, reponant.

1055. Q. Qui ratione lucri deberet restituere?

℟. 1mo: Qui ratione mutui pignus accepit, & ex pignore est aliquid lucratus. 2do. Qui pecuniam dat mutuam Petro, ut quod

per

per eam lucrabitur secum dividat, & pecuniam integram reddat. 3. Si emo minoris vel vendo maioris, quia pretium vel non statim solvitur, vel anticipativè neque merces in cariùs tempus errant servandæ, quo certo erant plus valiture.

4. Qui fecit cambium fictum. 5. Qui aliquid pretio æstimabile accipit ratione mutui.

1056 Q. Qui ratione rapinæ debēt restituere?

℟. 1mo. Qui rem rapuit, aut detinet ipsam, vel fructus eius. 2. Qui exigit tributa, labores ultra debitum, aut aliquos gravat. 3tio. Qui instituit telonia suâ authoritate: vel publicâ quidem, sed vias non reparat. 4to. Qui ex naufragio collecta retinet.

1057. Q. Qui ratione furti tenentur?

℟. 1mo. Qui res inventas quarum scitur Dominus retinent. 2do. Qui malâ fide rem aliquam præscripserunt. 3. Qui pignus vel commodatum perdiderunt. 4. Qui furatus etiam Patri, Vxori. &c. 5. Religiosus qui inscio superiore aliquid dat, accipit, nec est paratus superiori tradere.

1058. Q. Qui ratione militiæ debent restituere?

℟. 1mò Qui bellum iniustum gerit, svadet iuvant, non solùm hostibus illata damna, sed etiam illata ab hostibus, tenetur compensare. 2. Qui in bello iusto spolia iniustè

dividit. 3. Bellans iustè si hostium Christianorum spoliet templa, Mercatores, Peregrinos. 5. In bello iusto si non defendat suos maximè si militat pro stipendio, vel si bellũ trahat. 6. Qui suorum militum stipendia, aut bona in se convertit.

1059. Q. Qui est causa Damni quæ restituet?

℞. Qui imperat, furtum, rapinam, usuram, aliud damnum, detractionem &c. Si hoc damnum est illatum, etsi ipse ex eo nihil lucri percepit, tenetur satisfacere. 2 Qui in bonum alterius, ut Tutor, Factor, facit usuras, tenetur restituere, si ille noluerit in cuius factæ sunt commodum. 3. Si minùs damnum fuisset factum nisi tu mandavisses, invitavisses, ad illum excessum teneris. idem est de Cooperatione ad contractus iniustos. 4 Restituere tenetur qui rem raptam, ablatam, occultat: vel quia damnificatorem receptat, ideò damna infert. 5. Qui ex Officio tenetur, & potest salvâ suâ vitâ, damna impedire, fures prodere, vel ablata ubi sint, & non facit.

1060. Q. Qui sunt participantes qui debent restituere?

℞, 1mo. Ille cui donata est res male acquisita, vel cibo vescitur quem alter malè acquisivit. 2. Qui dotem accepit ex malè partis. 3. Qui sciens, vel crasse ignorãs, quòd sint aliena, ea emit

ea emit; debet restituere domino. vel si hic desit, debet restituere pauperibus: & hoc ipsum debet facere, etsi bonâ fide emit, & postea advertit esse aliena. 4. Qui in hæreditatem succedit male partam, vel tale legatum accipit.

1061. Q. Quis sacrilegus tenetur restituere?

℟. 1mo. Qui res sacras aufert. 2. Qui aufert non sacras, sed in loco sacro depositas causâ securitatis. 3. Qui incendit aut effringit locum Sacrum, aut vectigali onerat. 4. Clericus qui bona Ecclesiæ dilapidat, donat, Convertit in Consangvineos, & vanas pompas.

1062. Q. Quando Iudex tenetur restituere?

℟. 1mo Quando sciens volens tulit iniustam Sententiam, ad omnia damna tenetur. 2. similiter si ex ignorantia crassa tulit iniustam 3. Si per fraudem Assessoris quem putabat esse probum vel per eius ignorantiam quē credebat esse doctum deceptus tulit iniustam, tenetur Assessor restituere. 4. Si protulit iniustam quia noluit magis in veritatem inquirere, tenetur restituere. 5. IudexQui accipit pro eo ut iudicet, vel non Iudicet, aut ut bene vel malè iudicet, restituat. 6. Cùm non fert, quando debet & potest ferre sententiam, si per hoc pars innocens damnum patiatur, debet illi Iudex restituere. 7. Si Pænam dimittit

Reo illicite, vel diminuit, tenetur communitati: Si auget; tenetur Reo compensare,

1063. Q. Quando Advocatus, vel Causidicus obligatur restituere?

℟. 1mo. Si lucretur causam iniustam, & principalis nolit satisfacere, tunc ille tenetur ad omnia damna. 2. Si Principali dixit suam causam iustam, quæ non erat iusta, & si sciuisset iniustam, non litigavisset Principalis, tum quidquid hic exponit, & Pars Contraria, tenetur utrique Advocatus. 3. Si Causam iustã per negligentiam, vel crassam ignorantiam, perdidit tenetur Principali ad omnes expensas 4. Si malis cõsilijs datis Principali malâ fide, causam perdidit. tenetur ad damna: secus si bonâ fide, tunc enim tenebitur ad id quod à Principali accepit 5. Si accusavit de falso Crimine, vel falso debito, tenetur ad damna: si accusat de verò Crimine sed prece vel pretio corruptus desistit: ut prævericator tenetur Communitati. Reus etiam legitimè interrogatus à Iudice si neget veritatem, & inde sequatur damnum accusatori, tenetur ad illud. Qui falsò testatur, ad omnia damna tenetur. Si accipit pro Testimonio sive vero, sive falso, id debet Pauperibus.

1064. Q. Quando ex contractu oritur debitum restitutionis?

℟. 1mo. Quando quis vendit rem in sub-

stantia

stantia aliam pro alia, ut aurum Chymicum pro vero. 2 Si in Mensura; pondere, vel numero fallat, tenetur ad id compensandum in quo fefellit. 3. Si rem corruptam pro bona, infirmum animal pro sano multò magis si rem noxiam pro utili vendat. 4. Si nimis carò vendat quia emptor illâ re valdè indiget, vel nescit eius pretium. 5 Si fallit iustum vectigal.

1065 Q. Quando falsarius tenetur compensare?

℟ 1mo Quando fallit Mensuras pondera. 2. Quando Monetam falsam cudit verã abradit, falsâ utitur. 3. Cum falsis causis pro beneficio Bullas Apostolicas obtinuit, impedimenta reticuit, tunc Beneficium aut gratiam nullo iure habet, & tenetur resignare & fructus perceptos restituere. 4. Qui instrumenta Publica aut Testamenta falsificavit tenetur damna ex hoc sequuta compensare. 5 Mulier si Conceptum ex adulterio, vel alienum pro legitimo & proprio supponit: tunc mulier, & ea quæ talis filius ex hæreditate verorum consumit aut subtrahit, tenetur restituere veris legitimis.

1066 Q. Qualis proditor tenetur restituere?

℟. 1. Qui aliquem tradit inimicis vt occidatur vel in negotijs impedit. 2. Qui proditoriè occi-

dunt si ád Ecclesias Confugint, extradũtur; inter cæteros sunt, qui abortum procurant malis Medicamentis. Ita Congr: Con: 3. Dec. 1632. Aut qui veneno occidunt. Ibid. 3. Qui bona alicuius curat in manus inimicorum devenire, aut illum ipsum in latrones vt abijs spolietur. 4 Qui prodit secreta & inde sequuntur damna. Item si Causidicus prodat sui Clientis secreta. 5. Si fallat fidem servanti eandem.

1967. Q. Quando tenetur restituere Simoniacus?

℟. 1. Quando aliquid accepit pro Sacramentorũ administratione vel collatione &c. Beneficij, sivè antea, sivè post accepit per modum pretij non autem per modum puræ Eleemosynæ, aut sustentationis, liberæ gratitudinis hoc reddendum est Pauperibus vel Ecclesiæ cui facta iniuria. Idem de alijs rebus sacris vt Templo, Altari consecrato, Oleo Sacro, Reliquijs, sepultura in loco Sacro, Iurepatronatûs, ingressu Religionis, item quod datur pro Concione, Oratione, Infirmi Visitatione, Electione, Confirmatione, præsentatione, imò & pro desitione à Corrigendo, pro cura animarum excepta sustentatione, totum id restitui debet nisi ipse sit Pauper, tum Consilio Confessarij retinere pro se poterit. præterea labor est circa spiritualia

duplex

duplex. intrinsecus, qui est ipsa actio per quam exercentur spiritualia v. g. motus manuum, statio, locutio dum hæc peraguntur, & sine quibus hæc fieri non possunt, pro hoc nihil pretio æstimabile accipi potest. labor extrinsecus sine quo his peragi possunt, v. g. facere equo cunducto milliaria duo ut Sacrum facias &c. & pro his potest accipi, quia hæc sunt pretio æstimabilia. 2. Qui promovet, mediat ut accepto pretio quis promoveatur ad Beneficium, vel officium Ecclesiasticum, vel Officium spirituale, tenetur dare Pauperibus pretium quod accepit.

1068. Q. Qui impedientes debent restituere?

℟. 1. Qui alicui quasi, vel iam possessum Beneficium, vel Officium aufert iniustè, tenetur ad totum damnum. si autem nondum possessum, arbitrio boni viri facienda restitutio. 2. Qui impedit fructus agri, arboris tenetur illos solvere. 3. Qui impedit ne repetantur per vsuram acquisita, vel sic decernit, vel iubet solvi vsuras, tenetur restituere, nisi ipsam vsurarius restituerit. 4. Qui impedit, ne à debitore repetatur debitum. 5. Qui impedit ne quis negotia honesta exequatur, oculcat instrumenta ius ipsius continentia, impedit ne Iudicem accedat.

1969. Q. Quis lusor tenetur restituere?

Resp.

℞. Qui decipit in ludo artibus non solitis admitti, aut mendacio. 2. Qui lucratur ab his qui non sunt domini pecuniæ ut Filij, Servi, Pupilli, vxores, Religiosi. 3. Qui ab eo lucratur quem importunè ad ludendum còégit: vel à ludo volentē recedere detinuit.

1070. Q. Quando locator tenetur restituere?

℞. 1mo. Cum rem vitiosam elocat, ex quo alter accipit damnum, tenetur ad illud locator. 2. Cum ante tempus condictum aufert rem locatam. 3. Cum nimium pretium exigit pro locatione. 4 Conductor autem tenetur si nimis parvo pretio conducat: vel mercedem cum damno locantis differat: vel res dat loco pecuniæ cum aliquo damno. 5to. Si rem alteri locatam destruat, destrui permittat.

1071. Q. Quomodo quis turpiter lucratus restituere debet v.g. ex opere Carnali, ex artibus illicitis, ut est divinatio, incantatio, turpe obsequium, labor die festo, venditio armorum Paganis.

℞. Ista solum ex consilio Pauperibus restituenda.

1072. Q. Quid detractor debet?

℞. 1mo. Si quem falsò accusavit, ante quam ille puniatur debet retractare: si verò iam punitus, debet boni viri arbitrio compensare. 2.

Si dixit de altero falsum, vel vero addidit partem notabilem falsi vel alios talia dicentes confirmavit verbo vel silentio, debet revocare. 3. Qui Crimen alterius verum sed occultum revelat, vel afficit contumeliâ, debet reparare famam læsi.

1073. Q. Pro cæde & vulneribus quid restituendum?

℟. 1mo. Qui Occidit extra iudicialiter: vel extra defensionem sui vel in defensionem plus agendo quàm ad sui tutelam erat necesse, tenetur ad damna. 2. Qui mutilat percutit, vulnerat, & impensas in Medicum, & damna debet compensare. 3 Qui incarcerat iniustè, proscribit, illegitimè torquet, in exilium mittit, tenetur ad omnia damna.

1072. Q. Ad quid tenetur qui offendit Animas?

℟. 1mo. Qui volenti ingredi Religionem falsis rationibus dissvadet, tenetur veritatem aperire. 2. Qui novitium educit, tenetur ad ea arbitrio viri prudentis quæ ab illo speravit Religio. 3. Qui svasionibus inducit ad crimen, hæresim, tenetur abducere. 4. Qui abstrahit Virginitatem, debet eam in Matrimonium ducere vel dotare, si scilicet id fraude, vi, promisso Matrimonio fecit. 5 Qui aliquem suo malo exemplo ad peccata inducit, debet bono exemplo reducere.

1075. Q. An teneantur restituere quartam funeralium qui illam non solverunt?

℟. Tenentur hæc accipitur ex cereis qui deferuntur circa cadaver, non autem ex ijs quos Fratres portant. Etrau: Inter cunctas. Qui verò ab hac quarta eximantur, legatur Decisio S. Rotæ Rom. in causa Gracoviensi 25. Maij 1646. eodem anno impressa Romæ in Typ. Rev. Cam. Apost. & Pij. V. Bulla *Mendicantium*,

1076 Q. Quantum restituere tenetur qui Breviarium omittit ad quod dicendum obligatur ratione Beneficij?

℟. Episcopus quintam partem reddituum eius dici quá omisit, Parochus quartam, Pensionarius tertiam ita. Pius. V.

EXAMEN AD PAROCHIAM.

Qui Parochus auditurus Confessiones, & alia Sacramenta Administraturus, debet in tota Morali Theologia esse versatus, de illaq; Examinari, hîc solùm pauca insinuabimur illi propria.

1076. Q. An tenetur Parochus residere?

℟. Tenetur, & quidem in Domo vicina Ecclesiæ, & si eam non habet, conducat, Decisum refert Garcias. Capellani, & coadiutores Parochorum instituti à Sede Apostolica tenentur ad Personalem residentiam.

1077. Q. Qui Canonicatum habet in Collegiata & Parochiam, vbi debet residere?

Resp.

℟. In Parochiali, idq; sub pænis arbitrio Ordinarij, etiam privationis Beneficiorum. Pius V. an 1568. nec potest abesse etiamsi coadiutorem habeat, Barbossa. Nec habetur pro residente qui Dominicis tantùm diebus accedit Ecclesiam: Decisum refert Garcias: Non excusat à residētia senectus. Praxis nova Epi: neq; negotiū Episc: decisum refertGarc.

1978. Q. An si absit Parochus studiorum causâ possit percipere fructus?

℟. Non potest, ita Decisum apud Barbos.

1079. Q. An possit abesse causâ Magnarum inimicitiarum? vel morbi?

℟. Potest etiam per Annum propter inimicitias substituto idoneo Barbos. ob curandā sanitatem potest etiam ad quatuor Menses cum licentia Episcopi sed idoneo substituto. Ibid. vltra bimestre Regulariter non absint Parochi & eo casu cū licētia in scripto, & vicario approbato, & ex gravi causa. Trid. Sess: 23 c 1.

1080 Q. Quā pœnā incurrit qui abest illegitimè?

℟. In primis peccat mortaliter & pro rata temporis fructus non facit suos & restituere illos debet in foro conscientiæ, fabricæ Ecclesiæ, aut Pauperibus loci, Trid. Sess. 23. cap. 1. & potest per censuras & alia remedia juris, vsq; ad privationem Beneficij, compelli ad residentiam, Ibid.

1081. Q. Ad quid tenetur quoad Missas?

Resp.

℟. Debet frequenter celebrare, & offerre pro ovibus. Trid. Seſſ. 23. cap. 12.

1082. Q. Ad quæ alia obligatur Parochus?

℟. Prædicet Populo omnibus diebus feſtis Trid. Seſſ. 24. cap. 4. in Concionibus vim Sacramentorum, & vſum explicet. ibid cap. 7. decreta Matrimonialia Concil. Trid. ibid Seſſ. 24. cap. 1. Ieiunia & dies feſtos commendet & evulget. Seſſ. 25. in fine. Sacramenta Miniſtret Seſſ. 23. cap. 1. In Baptiſmo certos tantùm admittat, qui de fonte levent Seſſ. 24. c. 2. Nuptias ipſe benedicat, Seſſ. 24. c. 1. In diebus feſtis fidei rudimenta pueros obedientiam erga Deum & Parentes, doceat, Seſſ. 24. c. 1. Ad Parochos ſpectat, non ad Capellanos, Benedictio Cinerum, Candelarum, ramorum, fontis baptiſmalis, delatio Ss. Sacramenti, Celebratio Miſsæ feriâ V. Cœnæ Domini, aſperſiones. Congr. Rit. 23. Maij 1602.

1083. Q. Quid præterea ad Parochum ſpectat?

℟. Habeat librum Baptiſatorum, item Matrimoniorum Seſſ. 24. c. 2. Hoſpitalitatem amet Seſſ. 25. cap 1. Pauperum & Miſerabilium Perſonarum curam Paternam gerat. Seſſ. 23 cap. 1. Parochus Sæcularis audiens Confeſſiones tenetur deferre ſuperpelliceum & ſtolam. Congr. Epiſc. 8. Novembris 1588.

1084.

1084. Q. Quid potest concedere Parochus?

℟. Seclusâ Episcopi reservatione potest dare simplici Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, excepto pœnitentiæ Cong. Epis 20. Aug 1602. nisi sit approbatus

1085. Q. An sit necessarium Examen pro Parochia?

℟. Congr. Conc. 5ta Iul. 1627 ita statuit. Parochus pro cura Animarum non potest deputari, nisi de consensu Episcopi, & prævio Examine.

1086 Q. An possit Parochus aliquid pro Missa accipere?

℟. Parochi quibus diebus tenentur Missam Celebrare, non possunt pro ea manualem Eleemosynam recipere Congr. Conc. 1 Septembris 1629. pro alijs possunt

1087. Q. Quid circa Conciones potest Parochus?

℟. Parochus per se ipsum inter Missarum Solemnia, non autem Præsbyteri Parochiales, potest sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse prædicat Congr. Conc. 11 Iun. 1631. Potest dare licentiam approbatis ab Ordinario prædicandi in suá Parochia Cong. Conc. apud Barbos.

1088. Q. Quid iuris habeat Parochus circa Funera?

℟. Parochi occasione cadaverum in Regulari-

gularium Ecclesijs humandorum prætendere possunt quartam partem funeralium Ceræ Eccesiæ Parochali debitæ. Cong. Episc. 29. Iulij 1616. Parocho inconsulto, ac sine eius præsentia defuncti possunt sepeliri in sua Ecclesia Parochiali: vel in alia in qua elegerunt sepulturam, si requisitus interesse recuset vel petitam licentiam deneget, Congr. Rit. 22. Dec: 1629. Parochis non licet solùm eorum iuribus Parochialibus impedire contra voluntatem hæredum, Defunctorum, ad quasvis Ecclesias deferenda vna cum Parochis Congr. Rit. 23. Apr. 1633. Parochi non possunt cogere Hæredes, seu executores Testamentarios vt pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesijs Regularium, in Ecclesijs etiam Parochialibus faciant celebrari Officia, Novennaria, & anniversaria prout celebrantur in Ecclesijs Regularium in quibus Cadavera sepeliuntur Cong. Rit. apud de Peyrinis.

1089 Q. Ex quibus debetur Parocho quarta funeralium?

℟. Quarta Funeralis non debetur Parocho ex intorstitijs seu cereis Confraternitatum secularium funera associantium Congr: Episc. 5. Martij 1616. Pius V. 17. Cal. Ian. 1567. nec tenentur solvere hanc quartam Monasteria 40. Annis ante Tridentinum fundata: post hoc, solùm illi solvent qui consueverunt

& vbi

& vbi solvi consvevit, & tantùm de cera quæ defertur solvi debet. hoc etiam sciendum; Pauperes gratis sepeliri debent, neq; quia exterorum est Cadaver, plùs exigere potest Parochus. non potest autem prohiberi ne Cadaver sepeliant. hæc & plura apud Barbos: in Cap. 13. De Reform. Trid.

1090. Q. Quid debeat facere Parochus si non sufficiat laboribus?

℟. Assumat alium Sacerdotem, sed non Coadiutorem. Barbos. Trid. Sess 13.

1091. Q. An possit Parochus in aliena Parochia audire Confessiones.

℟. Quilibet Parochus tantum pro sua Parochia est approbatus: itaq; in aliena audire non potest, etiamsi alter consentiat & cum relinquit Parochiam cessat approbatio nec proprius Parochus potest in aliena audire nisi ex vrgenti causa. Nec sufficit petijsse approbationem, si non est data etiam iniustè. Sufficit tamen verbalis, neq; expirat morte approbantis. Ibid.

1092. Q. Quot annis opus vt quis fiat Parochus?

℟. Annis 25. & intra annum ab institutione debet fieri Sacerdos. Barbos. ad Sess. 22. ita vt si non fiat, ipso iure vacabit Parochia & fructus perceptos restituere tenebitur, & ipse ad hanc Parochiam erit inhabilis restitutio-

tutionem, intellige, si non habuit animum vt fieret Sacerdos. Synod. Cracov. 1643.

1693. Q. Quæ sunt Beneficia curata?

℟. Curata propriè sunt quæ Sacramenta administrant; impropriè, quæ habent aliqua onera, vt canendi in choro & Iurisdictionem in Clerum. non curata autem illa sunt, quæ sunt absq; vllo onere. Piasec. in Praxi.

1694. Q. Quanta est necessitas Examinis pro Parochia?

℟. Sine illo collatio esset nulla Pius V. & Parochia ipso Iure vacabit, & Papæ reservabitur. ab hoc Examine neq; Doctor excusatur. Piasec. in Praxi.

1095. Q. Quæ sit Ecclesia Matrix?

℟. Illa, in qua est fons Baptismalis.

1096. Q. An qui non est Confessus anno præterito pro Paschate, teneatur hoc anno quamprimùm Confiteri ex præcepto annuæ Confessionis?

℟. Teneri Soar. Disp. 36. Sect. 4.

1097 Q. An qui uno anno prætermisit Confessionem toties peccet mortaliter quoties elapso non confitetur oblatâ occasione Confitendi. ℟. Peccat.

1098. Q. An qui præterito anno non est Confessus, si hoc anno Confiteatur, satisfaciat præcepto pro vtroq; anno?

℟. Non satisfacit, quia ad vnam Confessionem

sionem tenetur præcepto anni præcedentis, ad alteram præcepto huius anni. Soarez Disp. 36. Sect. 4.

1099. Q. Vtrum per Confessionem Sacrilegam satisfaciat quis præcepto Confitendi semel in anno?

℟. Nequaquam.

1100. Q. An Parochus existens in Mortali possit celebrare Missam ne illa careant Parochiani?

℟. Potest, quando non habet copiam Confessarij, & hoc in die festo, & præmissa contritione, sed post hoc debet quamprimùm Confiteri.

1101. Q. Quis censetur non habere copiam Confessarij?

℟. Ille qui non habet cui Confiteatur, & scandalum esset si non celebraret. vel qui habet copiam Confessarij sed non approbati, sed excommunicati vitandi.

1102. Q. Quando peccat mortaliter Parochus omittendo Concionem?

℟. Toties peccat contra Præceptum Divinum, quoties populus graviter indiget prædicatione. Bonac. In 3. Decal. Præcept. disp. 3.

1103. Q. Quando Parochus graviter peccàt circa Parochialia?

℟. Quando non residet, aut Sacramenta suis ovibus non administrat, non orat pro po-

 pulo

pulo sibi subiecto, illique Missæ sacrificium non applicat, non Concionatur, aut infirmos non visitat? ratio est: quia ovium sibi subiectarum curam non habet. Bonac.

1104. Q. Quæ sunt obligationes Parochi?

℟. 1mo. Residere. 2. Sacramenta administrari. 3 Orare pro populo, illique Sacrum applicare. 4 Docere populum, quod est de iure Divino. 5. Singulis diebus Dominicis & festis solennibus Catechesim docere. 6. Infirmos invisere, & pauperum curam habere. Bonac. in 4 Decal. disp. 6. q. vlt. pun. 6.

1105. Q. An peccet Parochus qui transumptum Bullæ Cænæ penes se non habet?

℟. Peccat, quia facit contra præceptum ibi positum.

1106. Q. An possit Parochus eum impedire sepultura qui in Paschate non communicavit?

℟. Lateran: Conc. decrevit ut talis vivens ab Ecclesia arceatur: & mortuus Ecclesiasticâ sepulturâ prohibeatur. sed hæc non est sententia lata, verum ferenda. quare Parochus sepulturam tali negare non potest nisi consulto priùs Episcopo, qui iudicabit, an sit neganda Layman.

1107. Q. Quos Parochus Ecclesiasticæ sepulturæ dare non potest?

℟. 1mo. Non baptisatum, Hæreticum. 2. Notorium usurarium de hoc non pænitentē,

3. Sæculares decimarum detentores. 4. Blasphemum de hoc non pænitentem. 5. Eum, qui non in amentia seipsum occidit. 6. Qui in duello occisus. 7. Excommunicatum. 8. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Synod. Posnanien. Anno 1642.

1108. Q. Quibus modis Ecclesia Violatur?

℟. His quinque ut in ea celebrari Missa non possit. 1. Iniuriosâ sanguinis effusione. 2. Iniurioso homicidio. 3. Illicita humani seminis effusione. 4. & 5. Excommunicati non Tolerati, aut non Baptisati hominis sepulturâ, pollutâ Ecclesiâ polluuntur etiam altaria omnia quæ in ea fixa sunt, violata Ecclesia etiam Cæmeterium esse censetur, sed non vice versa. Factum per quod Ecclesiæ vel altaris violatio inducitur debet esse notorium.

1109. Q. Quis violatam Ecclesiam reconciliare potest?

℟. Si Consecrata violatur, solus eam Episcopus reconciliare potest: benedictam vero potest simplex Sacerdos cum scitu Episcopi. Idem de Cæmeterio sentiendum. Non reconciliatur permissam bonâ fide in ea Celebratã.

1110. Q. Quando Ecclesia execratur?

℟. Quando parietum crusta vel tota vel maiori Parte decidit, vel Paries totus corruit.

1111. Q. An Parochus possit Exorcisare?

℟. Debet pro hoc ab Episcopo approbari nec

poteſt alijs Exorciſmis uti quàm approbatis.

1112. Q. An teneatur ad Breviarium qui propter munus Parentum ſuſcepit Beneficiū?

℟. Si percipit fructus tenetur: ſi Parentes percipiunt fructus illi tenentur reſtituere.

1113. Q. Quid interdicti tempore obſervari debet?

℟. In loco interdicto ſepeliri non poſſunt ſæculares, poſſunt verò Eccleſiaſtici ſi non ſunt perſonaliter interdicti, vel interdictum violaverunt. Qui violat interdictum mortaliter peccat.

1114. Q. Quod Matrimonium vocatur clandeſtinum?

℟. Quod ſine proprio Parocho alijsque Teſtibus celebratum. & tale ſemper fuit illicitum, poſt receptum verò Concil. Trid: eſt invalidum

1115. Q. Poteſtne Parochus Concedere ut alius loco ſui aſſiſtat Matrimonio?

℟. Poteſt, dummodo ille alius ſit Sacerdos Parochus verò etiam non Sacerdos poteſt ipſe aſſiſtere, ita Trid. & poteſt valide aſſiſtere etiamſi ſit excomnicatꝰ non toleratus, modo titulum ac poſſeſſionem Parochiæ retineat. interea debet ſub mortali Parochus ſcire impedimenta Matrimonij, & hanc totam Materiam.

1116. Q. Poteſtne Catholicus Parochus aſſiſtere Matrimonijs Hæreticorum quos habet in ſua Parochia?

Reſp.

℟. Potteſt. ita Layman.

1117. Q. An poſſit aliquando Bannas omittere Porochus ante aſſiſtentiam Matrimonij?

℟. Poteſt ob iuſtam cauſam imò aliquando una ſola pro bina ſufficit. ſed in his debet Epiſcopum conſulere, niſi periculum ſit in mora, ut ſi quis morti vicinus cum concubina contrahere velit.

1118. Q. Tenenturne fideles poſt denũciatas Bannas revelare impedimenta Matrimonij?

℟. Si habent de illis certitudinem moralem tenentur. excepto ſi ſpirent privata Monitione poſſe emendari ſponſos, aut ſi vereantur ex tali denuntiatione aliquod maius malum aut ſcandalum. ſed & ipſi ſponſi debent fateri impedimentum, & ſi occultum, niſi iam ante fuerint diſpenſati.

1119. Q. Quibus nuptijs adhibenda ſit benedictio?

℟. Solis primis, niſi antea non fuerit Benedictio recepta & iſta eſt conſuetudo. Layman.

1120. Q. An Sponſalia valent ſine præſentia Parochi?

℟. Valent, ſed Parochus debet docere ſponſos, nondum inter illos eſſe contractum Matrimonium, & ſi eo utantur, peccant mortaliter, quare nec ſecum poſſunt cohabitare.

1121. Q. Quid ſi in ſponſalibus ſponſi utan-

tur in præſentia Parochi verbis de Præſenti eritne Matrimonium?

℟. Non erit. quia nec Parochus, nec teſtes adſtiterunt tanquam Matrimonio, quia nec dum denunciatum fuit. Layman,

1122. Q. In quibus caſibus deceptor Puellæ non obligatur ad eam ducendam.

℟. 1mo. Si decepta ſe iactavit eſſe Virginem cum non eſſet. 2. Si ex tali Matrimonio ſcandalum & exitus infelices timeantur. 3 Si deceptor in longe eminentiori ſtatu poſitus ſit, dummodo ſpe Matrimonij copula non interceſſerit. 4. Si decepta, cognitâ deceptione aliam damni compenſationem ſponte recipiat. 5. Si deceptor aliud Matrimonium verè contraxit.

1123. Q. An credendum, ſi coniux dicat ſe non habuiſſe conſenſum?

℟. Coniugi affirmanti etſi iurato ſe fictè contraxiſſe, fides habenda non eſt, donec clarè id demonſtret. neque enim iuranti creditur adverſus ea, quæ antea aſſeveravit, Layman.

1124. Q. Quando Coniux poteſt tranſire ad ſecundas nuptias?

℟. Quando habebit nuntium certum aliamque moralem certitudinem de morte coniugis. Leo X. addit 1515. 5. Id. Aug. pro Polonia. Ordinarij & eorum Vicarij, conſtito eis per famam publicam vel legitimas coniec-

ctures

ℂturas, vel aliter facta sufficienti diligentiâ, quòd capti ab infidelibus sint mortui, aut quòd de eorum vita certitudo aliqua haberi non possit, licentiam cum alio contrahendi intra Terminum arbitrio ipsorum Ordinariorum statuendum, dare ac in casu huiusmodi, prolem inde susceptam legittimam decernere, absque tamen præiudicio prioris quandocumque redeuntis. Habetur hæc bulla in Con: Synod. Fol. 322.

1125. Q. Quando Matrimonium inter viventes dissolvitur?

℟. Ratum & non consumatum per professionem Religionis omnino dissoluitur idque Ecclesiæ Authoritate.

1126. Q. Quando coniux post nuptias tenetur reddere debitum coniugi?

℟. Datur post nuptias Coniugi bimestre ut deliberet utrum Religionem ingredi velit: postea verò si ingressus non fuerit, Coniugij debitum reddere debet coniugi exigenti.

1127. Q. Quæ sunt quæ excusant ab auditione Missæ?

℟. 1mo. Impotentia spiritualis, si v. g. in Excommunicatione quispiam sit. 2. Impotentia corporalis, si Missam audire non possit absque magna difficultate. 3. Rationabilis consvetudo scientibus Prælatis introducta, qualis est in quibusdam locis in vidua lugente

Maritum

Maritum Defunctum. 4. si Sacerdos cuius Missa est audienda sit notoriè excommunicatus, vel concubinarius per denuntiationem.

1128. Q. An tenetur Parochus scire materiam de contractibus?

℟. Maximè, cùm iusta materia frequenter in Confessionib9 occurrat. sicut & de Restitutione

1128. Q. A quibus peccatis potest absolvere?

℟. Ab his quæ nō sunt reservata alieno foro.

1129. Q. Quæ sunt reservata Episcopo?

℟. Quæ ipse sibi reservat, unde in diversis Diæcesibus sunt diversa, & quidem quæ sibi absque Synodo, sunt tantum ad ipsius cessum vel decessum reservata, quæ cum Synodo, sunt perpetuo reservata, in Synodo, Posnaniensi anno 1642. Hæc sunt pro illa Diæcesi reservata. 1. Adulterium notorium 2. Raptus, aut violatio Virginis. 3. Incestus. 4. Sodomia. 5. Clandestinum Matrimonium. 6. Usura, & alij contractus per Canones prohibiti. 7. Detentio decimarum uel rerum ad Pia legatarum. 8. Percusio deliberata Parentum cum læsione. 9. Sacrilegium, seu Divinatio. 10. Ad Sortilegos recurrentium. 11. procuratio abortûs, vel sterilitatis. 12. Qui accipiunt prolem secum ad lectum, & suffocatur. 13. Qui mittunt Pueros ad scholas Hæreticorum 14. Qui impediunt voluntates morientium. 15. Qui prohibent ne quis famuletur Ecclesiastico. 16. Peccata Communiter quæ habent adnexam

Excommunicationem reſervatam Epiſcopo.

1130. Q Quæ ſunt peccata reſervata Papæ?

℟. Illa quibus eſt annexa Papæ reſervata excommunicatio, & ſunt hæc, ut ponit dicta Synodus 1. Si percuſſit Perſonam Eccleſiaſticam vel percuti mandauit cum peccato mortali, vel percuſſorem in hoc iuvit, conſenſit, defendit percuſſionem factam ſuo Nomine 2. Qui in Excommunicatione lata per Commiſſarios Papales durat vltra Annum. 3. Excommunicati ab Epiſopo propter falſificatas literas, ſi intra dies 20. non paruerint Epiſcopo. 4. Eccleſiaſtici qui admittunt ſcienter ad Divina nominatim excommunicatos, & declaratos à Papa 5. Qui ſcienter communicant in hoc crimine ob quod alter excommunicatus. 6. Qui malitioſe incendunt templa & loca ſacra, effractores templorum ab Epiſcopo publicati. 7. Abſoluti in articulo mortis à non habente alias poteſtatem ſani recidunt in excommun: vt & illi qui non ſatisfacerunt pænitentiæ pro hoc ſibi impoſitæ. 8. Religioſi etiam non profeſſi qui ſine licentia Parochi aſſiſtunt Matrimonio vel dant extremam vnctionem, vel qui audent abſolvere ab excomm. lata à Canone & contra Statuta Provincialia, aut Synodalia: hoc eſt, à Pæna & culpa, niſi habeant Privilegia. 9. Quicūq; Eccleſiaſtici inducentes vt in eorū

Ecclesia quis spondeat sepeliri, vel vt hoc votum non mutet. 10, Quicunq; cogunt Sacerdotem vt in loco interdicto Celebret Missam, & quomodocunq; ad talem Missam convocant Excommunicatos, aut interdictos, item Excommunicati, vel interdicti iussi ex Ecclesia exire, si non exeant, & illi qui eos in hoc iuvant. 11, Quia audent dispensare cum aliquo in voto eundi Hierosolimã; vel Romã; vel Compostellam, aut à voto ingrediendi Religionem, aut à voto perpetuæ Castitatis, 12. Qui dant vel accipiunt aliquid pro ingressu ad Religionem. 13. Qui realem Simoniam circa Ordines, vel Beneficium, committunt, & qui in hoc mediant 14. Qui pro collatione Benficij aliquid accipiunt. 15. Qui beneficium per simoniam confidentialem, hoc est, vt alteri, qui modò est incapax, postea resignet. 16. Qui sinè licentia & causa iusta intrant Monasteria monialium. 17. Quicunq; qui iurisdictionem, bona, census, fructus, redditus, Ecclesiæ, aut Monasterij; vel ad Beneficium, aut ad locum pium spectantes sibi vsurpant, vel impediunt ne ad eos perveniant, ad quos spectant. 18. Qui duellum committunt, & qui pro duello concedunt locum, iuvant, consulunt, assistunt. 19. Qui ob deliberatam succensionem, domorum, frugum, excommunicantur, & declarantur ab Episcopo,

1131. Q. Qui sunt casus Bullæ cænæ?

℟. Qui die Cænæ Domini debent prælegi populo in Ecclesia. Ab his absolvere non potest Parochus etiamsi illi concessum fuerit absolvere à reservatis Papæ: etsi etiam concessum fuerit à casib. Bullæ cænæ, non eo ipso ab hæresi.

1132. Q. Quomodo Parochus uti potest & debet suis redditibus?

℟. Quæ acquirit Clericus par industrias Laicales aut per Ministeria Clericalia, illorum Dominus est, & de illis pro libitu disponere potest, uti etiam de Patrimonio: & de his si in pias causas vel in sui sustentationem expendat, potest tantundem ex fructibus Beneficij pro se reponere, computet pro suo statu honestissimam sustentationem, & quidquid de illa detraxerit, hæc reponere potest. & de his omnibus repositis pro libitu disponere quod ultra hanc sustentationem supererit, totũ in pias causas debet converti etiam per Testamentum, sub mortali, imò & restituere hoc, si in aliud convertat, tenebitur, iuxta omnes ferè Canonistas & Theologos paucis exceptis. Colligitur hoc onus ex Trid. Sess. 25. cap. 1. De Reform. ita Lessius.

1133. Q. Quid est Simonia?

℟. Est pro re Spirituali, aut ei coniuncta redditio rei pretio temporali æstimabilis.

1134 Q. Quotuplex sit eiusmodi Res?

℟. Triplex. A manu, seu quæ per manum præstatur, à Lingva, seu quæ per lingvam: ab obsequio, seu quæ per obsequium. Requiritur autem ut contractus explicitus, vel implicitus interveniat ut sit Simonia.

1135. Q. An sit Simonia redimere vexationem iniustam circa Beneficium?

℟. Non esse, si iam antè habeas ius ad Beneficium, & si apud eum redimas qui habeat vires solùm tibi nocendi, non autem etiam te promovendi. Lessius.

1136. Q. Quomodo potest aliquid accipi pro ministerio Sacrorum?

℟. Nihil posse accipi ministerio, aut labore, qui ipsis sacris intrinsecus est, v.g. in sacro stes &c. potest accipi pro extrinseco, quòd v.g. Duo milliaria conficias, ut in gratiam alterius facias Missam, potest etiam pro sustentatione ut habeas vnde vivas dum in gratiam illius sacra facis.

1137. Q. Quoties Parochus tenetur sub mortali audire Confessiones suorum?

℟. Toties, quoties rationabiliter eam petierint, quia hæc Materia gravis, Dicastillo de Sacram. Tom. 2. & 8. Disp. 10.

1138. Q. An possit aliquid pro iure sepulturæ accipere?

℟. Potest accipi si spontè offeratur item vigore consvetudinis. Layman. 1139.

1139. Q. Quomodo Pœnæ Simoniacis impositæ sunt intelligendæ?

℟. Si Simonia ex utraque parte per traditionem completa sit, quia Pœnæ præsertim graves, strictæ interpretationis esse debent, ideoque de actu omnino completo.

1140. Q. Quæ Simonia iuducit Pœnas ipso facto?

℟. Quæ est in Religionis ingressu, Ordine, ac Beneficio. propter susceptionem Ordinum etiam primæ Tonsuræ incurruntur Censuræ excommunicationis & suspensionis Papæ reservatæ. Layman.

1141. Q. Qui sunt effectus Simoniæ realis?

℟. Præter excom: Papæ reservatam, electio, præsentatio, Cōfirmatio, institutio, irrita est non obstante quod alius pro eo, etiam illo dederit ignorante, nisi hoc fecisset in fraudem alius ut & à Benefitio ita impediret. Simoniacè electus, provisus, inhabilis efficitur, hoc ab Episcopo ad hoc beneficium habilitari potest, & quod dedit debet Ecclesiæ restitui. Layman.

1142. Q. An possit Parochus vestimenta sacra Benedicere?

℟. Non potest nisi habeat facultatem à Papa. Layman.

1143. Q. An peccet si quid immundum habeat in Altari?

Resp.

℟. Sacræ vestes integræ & mundæ esse debent, multò magis, Calix, Patena Corporale, Purificatorium, sub mortali.

1144. Q. An peccet si petenti neget extremam unctionem Parochus?

℟. Peccat mortaliter. Layman. Quia ad hoc ex officio est obligatus. In dubio an vivat æger, sub conditione vngend9 est, sed conditio ante formam proferatur, quod in omni Sacramento observandum quando conditionate ministratur.

1145. Q. Potestnè Parochus cum aliquo dispensare in ieiunio?

℟. Potest ex consvetudine non de iure, idq; dum Episcopus difficulter adiri potest, ita Navar. Caiet. sed cùm de sufficientia causæ dubitat, Medicum consulat.

1146. Q. An possit Matrimonio eorum assistere quorum impedimentum ex sola Confessione novit?

℟. Potest. Card. Lugo. t. 3. in 3. par. Quia scit illud impedimentum non tanquam homo, sed tanquam Deus. Idem est de eo qui non est Parochus, sed habet potestatem assistendi Matrimonio, nec opus est petere priùs à Pænitente, ut possit cum eo loqui de rebus auditis in eius Confessione. Sanchez. etiamsi possit petere si speret fructum sed in ipsa Confessione monendus est.

1147. Q. Quæ indulgentiæ suspenduntur tempore Iubilei?

℟. Omnes plenariæ, non tamen Concessæ Basilicis vrbis Romæ, nec ijs gaudent Religiosi, licet aliqui habeant indulgentiarũ cum Romanis Ecclesijs communicationem. Patet ex Bulla Greg. XIII. non suspenduntur Indulgentiæ Domûs Lauretanæ, nec Bullæ cruciatæ, nec concessa altari privilegiato. suspenduntur datæ pro articulo mortis. Non suspenduntur datæ pro defunctis. Gobar.

1148. Q. An valeat votum si quis voveat se diebus Dominicis Ieiunaturum?

℟. Non valere quia est de re illicita, nec quis sic vovit tenetur Ieiunium in diem alterã transferre. Soar. Tomo. 2. de Relig. de voto Lib. 3. cap. 6 sed licet vovere Ieiunium aliquibus Dominicis secluso scandalo ob finem bonum. Sanch. Tom. 1, Lib. 2 Cap. 37.

1149. Q. An potest Pater irritare votum Filij?

℟. Potest impuberis, si non confirmatum est in pubertate. Sanch. libr. 4. c. 32.

1150 Q. An liceat maleficij signum destruere?

℟. Licet dummodo in hoc novum maleficium non committatur, hoc est, non obligetur dæmon ad aliquid,

1151. Q An liceat tabellas aponere imagini in signum falsi miraculi aut beneficij?

 Resp.

℟. Id esse mortale. Quia per hoc magna religioni irrogatur iniuria, Caiet. V. superstitio Nau.

1152. Q. An tenetur filius ingredi Religionem si Pater vovit, ut ille ingrediatur.

℟. Non teneri si Patris votum suo voto non confirmavit vel aliter non acceptavit. Quia votum unius nequit obligare alterum. sed si præsente filio doli capace & tacente, Parens eius nomine emittat votum, & in hoc interim consentiat filius, votum obligabit filium. aliud est de Matrimonio. Sanch. lib. 4. cap. 16. n. 23.

1153. Q. Quid est Beneficium?

℟. Est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum. ita Lessius.

1154. Q. Quis vocatur in Beneficium Intrusus?

℟. Qui non est institutus iuxta sacros Canones.

1155. Q. Quotuplex est Ius patronatus?

℟. Duplex, Ecclesiastici, cùm Ecclesia est fundata ex bonis Ecclesiasticis, vel extructa vel dotata. Laici cum ex bonis laicalibus.

1156. Q. An committat Simoniam qui dat aliquid pro Beneficio dicendo se non emere ipsum sed labores Colonorum qui sunt in prædijs Beneficij?

℟. Est incapax, si id factum sine consensu proprij cap. Illud 1. debet ergo quærere ratis habitionem proprij, nam est suspensus ad arbitrium proprij.

1164. Q. An possit Episcopus dispensare cum Parocho vt intra annum ab adepta pacifica possessione Parochiæ, non fiat Sacerdos?

℟. Ad septennium, sed ob vnicam causam studiorum, interea tamen intra annum quo debebat fieri Sacerdos, saltem debet fieri Subdiaconus, alias ipso facto privatus est Parochiâ, sicut si expleto septennio studiorum non sit factus Sacerdos Cap. cum ex eo de electione in 6 modo à solò Papa conceditur.

1165. Q. Si, cui Confertur Parochia ignoret probabili ignorantia se esse excommunicatum, valebitne collatio?

℟. Non valebit ideò ad cautelam Papa solet absolvere à censuris dum alicui confert Beneficium. Glossa communis.

1166. Q. Quæ sunt impedimenta acquirendæ Parochiæ.

℟. Præter supradictas inhabilitates & Censuras, irregularitates, adhuc est inhabilis quòd sit filius hæretici, vel quòd ad preces Hæretici obtinuerit Beneficium, vel quòd sit intrusus & intrusio ad Beneficium adfert etiam inhabilitatem ad illud.

1167. Q. Quibus modis Beneficia acquiruntur?

℟. His sex. 1. Patroni præsentatione & institutione. 2. Electione & Confirmatione. 3. Postulatione & Confirmatione. 4 Collatione liberâ 5. Permutatione. 6. Resignatione in favorem. sed his duobus modis postremis potiùs Beneficium amittitur, quàm acquiritur. Lessius.

1168. Q. An omnis Beneficiatus tenetur ad horas?

℟. Teneri. Patet ex Conc. Lateran. sess. 9. Quia Beneficium propter Officium, in quo comprehenduntur preces Canonicæ, & hoc ipsum est etsi Beneficiatus non sit in sacris.

1169. Q. A quo tempore Beneficiatus incipit obligari ad preces?

℟. Non à tempore præsentationis, vel electionis, quia tunc nondum acquisivit ius in re, sed post captam possessionem, nisi illam de industria differat, ne dicat preces.

1170. Q. Quibus modis amittitur Beneficium?

℟. Tribus, vel per dispositionem Iuris, vel per sententiam Iudicis, vel per liberam resignationem.

1171. Q. Quomodo dispensatione Iuris amittitur Beneficium?

℟. 1mo. Propter crimen aliquod cui ipso

facto

facto ius adnectit amissionem. 2. Propter alterius Beneficij incompatibilis consecutionem. 3. Per professionem in Religione approbata. 4. Per Matrimonium validè initum.

1172. Q. Quæ sunt crimina propter quæ iure ipso amittitur Beneficium?

℟. Hæc esse. 1. Hæresis. 2. Schisma. 3. Sodomia sæpiùs exercita. 4. Percussio Cardinalis, vel Episcopi. 5. Homicidium per Sicarium pretio conductum. 6. Falsificatio literarũ Apostolicarum. 7. Si quis per se, vel per alium occidat Clericum suæ Ecclesiæ. 8. Si examinatores ad Parochialem aliquid pro examine acceperunt. 9. Si commisit Simoniam confidentiæ. 10. Si obtinet Parochialẽ non factus Sacerdos intra annum. 11. Si quis duo incompatibilia primi generis habeat, tunc & secundum amittit. 12. Si quis vi possessionem ingressus.

1173. Q. Ob quæ crimina potest privari?

℟. Propter omnia præter quæ deponi potest.

1174. Q. An excusetur à peccato Parochus si nesciat ea quæ sunt sui Officij?

℟. Minime.

1175. Q. Per quem impetrari possunt Beneficia quibus alter privatus est.

℟. Non possunt impetrari per nepotes Consanguineos, affines, Procuratores, Sollicitatores,

domesticos, vel familiares, Iudicis privantis, ita ut illa eis conferri prohibeantur Pius V. cupientes vnicuique.

1176. Q. A quo Beneficium petendum quod propter hæresim vacat?

℟. A Sede Apostolica. Pius. V. cùm ex Apostolatûs?

1177 Q. Resignatum Beneficium cui conferri potest?

℟. Beneficia coram Ordinario resignata, cõsanguineis, sive Affinibus conferri ab ipso prohibuit Pius V. Sanctissimus in Christo.

1178. Q. Propter quas causas potest fieri resignatio?

℟. Statuit Pius V. Constit. 58. non admittendam esse resignationem Beneficij, nisi ob senium, infirmitatem corporis, impedimentum, vel vitium. Crimen aut Censurarum nexum & alijs de causis, quas ibi vide.

1179 Q. An possit Beneficium resignare constitutus in Minoribus?

℟. Potest, etiamsi non habeat unde vivat, sed in sacris non potest Barbos. in Trid.

1180. Q. An possit Parochus dare in arendam sua bona?

℟. Non potest bona Ecclesiastica locare anticipatis solutionibus & fiet locatio invalida, & cedit in præiudicium successorum Trid. sess. 25. cap. 1.

1181. Q. An qui Parochiam Simoniacè obtinuit per ignorantiam Simoniæ in ipsius favorem ab altero commissæ, teneatur restituere fructus?

℞. Quamdiu fuit in illa ignorantia seu bona fide, non tenetur restituere fructus ex quibus non est factus ditior, sed statim atque hoc rescivit, tenetur fructus restituere vel componere cum Pontifice, nisi fructus non superaverint labores ipsius quos interim in Beneficio sustinuit. nam tum probabile est Episcopum dispensare posse ut fructus extantes recipiat, maximè si difficilis sit ad Pontificem accessus, nihilominus talis tenetur in Episcopi, vel Capituli à quo illi collatum Beneficium manus resignare, qui illi poterunt iterum conferre. patet ex cap. penul. ex insinuatione de Simonia.

1182. Q. Sed quid si talis de quo modo dictum est, reclamavit, quantum potuit?

℞. Si tamen acceptavit Parochiam, eo ipso consensit in Simoniam. Et talis ab Episcopo habilitari non potest, sed eget recursu ad Papam, & tenetur restituere fructus etiam non extantes, non tamen se conijendo in extremam inopiam vel tenetur compositionem facere cum Pontifice. Lessius. V. Simonia.

1183. Q. An possit peti aliquid pro loco sacro ut quis in eo sepeliatur.

Resp.

℟. Id prohibet Greg. IV. in cap. abolenda de sepulturis, & Bonac. de Simonia docet id esse simoniam iuris humanice, & Synodi passim prohibet.

1184. Q. An liceat circa elationem funeris in platea concionari?

℟. Synodus Posnaniensis an. 1642. ita de hoc habet. Decernimus ut nullus sæcularis, vel Regularis in plateis circa elationem cadaveris, siue alio loco extra Ecclesiam, Concionem faciat, & qui violare hoc mandatum ausus fuerit, suspensionis vinculo subiaceat.

1185. Q. Quoties in anno scholas visitare debet Parochus?

℟. Synodus modò citata, sic habet. Parochis bis in anno visitationem scholarum delegamus qui de bona conversatione, profectu Puerorum inquirant.

1186. Q. An liceat alicui dare ex templo reliquias?

℟. Quod scit si quis ex reliquiarijs templo vel crucibus, ausus fuerit aliquam particulam vel notabiles reliquias, eas frangendo scindendo, & aliquomodo diminuendo asportare, pæne excom: ipsofacto subiaceat, nobis, vel Officio nostro reservatæ, ex qua pæna patet mortale id esse peccatum.

1187. Q. An aliquid accipi possit pro administratione Sacramentorum?

℟. Synod. cit. ita habet. Pro ministerio Sacramentorum, nihil directè vel indirectè, à Parochianis sub reatu Simoniæ petant: spontè ac voluntariè oblatum nomine eleemosynæ, debita cum modestia recipiant.

1188. Q. An Clerico liceat in causa criminali procedere?

℟. Concessit Greg. *XIII.* Anno. 1570. ut in Polonia sine periculo irregularitatis possint Clerici causas criminales per procuratorem promovere.

1189. Q. An possit Parochus admittere ad celebrandum ex aliena diæcesi Sacerdotē?

℟. Potest, si ille literas commendatias sui Episcopi ostenderit. aliter non potest. Constit Synod. pag. 69.

1190. Q. An Parochus in irregularitate celebrans incurrat novam irreg.

℟. Non incurrit, sed toties quoties mortaliter peccat.

1191. Q. Quomodo punitur Parochus nō residens?

℟. Quod si quis vltra sex menses, à suo Beneficio se se absentare præsumpserit, curam animarum habens, ex tunc à perceptione fructuum Beneficij, suspendatur, fabricæ eiusdem Ecclesiæ applicandorum. Quodsi stante illâ suspensione per alios sex Menses, ter monitus, cessante legitimâ causâ, ad Ecclesiam

non

non redierit, eâdem ipso facto sit privatus. & tunc Patroni liberam alium præsentandi habeant facultatem. Consti. Synod. pag. 141.

1192. Q. An possit Parochus rem aliquam Ecclesiasticam alienare?

℟. Si quispiam ita procax fuerit, ut Bona, calices, aut res Ecclesiæ perpetuò vel ad tempus, titulo pignoris vel hypothecæ absq; consensu Diæcesani, & sine sollennitate à iure cõmuni inducta, dare, vel alienare præsumpserit, pænâ privationis Beneficij cuius bona vel res alienaverit, per Ordinarium puniatur & nihilominus excommunicatione tamdiu percellatur, donec rem alienatam recuperet & Ecclesiæ seu Beneficio suo restituat. Ibid. pag. 167.

1193. Q. An Parochus debeat tolerare consvetudinem probandi sagas per aquam?

℟. In Polonia statutum est in Const: Anno 1543. Causam incantationis & Magiæ ad Iudicia spiritualia pertinere Probatio autem illa per aquam est omnino illicita.

1194 Q. An sagam liceat sepelire in loco sacro?

℟. Si verè est saga non debet sepeliri, quia à fide apostatavit. sed vi torturarum mortua in carcere, nec crimen fassa, nec de illo convicta nõ debet privari Ecclesiasticâ sepulturâ si aliud non obstat.

1195. Q. Quid Parochus tenetur successori relinquere?

Resp.

℟. Annuum gratia, hoc est quando cedit, vel moritur in Ian. Febr. Martio habet quartam partem omnium redditüum iuxta valorem sui Beneficij, sed successori frumenta æstivalia relinquat ad seminandum prædium, si in Apr. Maio Iunio, habet medietatem: si in Iul. Aug. Sep. habet tres partes de frumentis hyemalibus, ad quantitatem prædij non seminati successori relicta, sed residuis mensibus habet totum Const. Synod. pag. 177.

1196 Q. An Parochus possit absolvere Clericidam?

℟. Talis non potest ab alio quàm ab Episcopo absolvi. ita Leo Anno 1515 quin. Id Aug.

1197 Q. An Parochus prohibere possit aliquē ne Religioso approbato confiteatur?

℟. Non potest ita. Bonac. de Pænit. d. 5. q. 5. s. 2. & cap. Omnes utriusque sexûs debere intelligi de non Privilegiato Sacerdote. Vnde non potest. Parochus negare illi in Paschate Eucharistiā qui fide dignus dicit se Confessum Religioso Id. Ibid. Tom. 1.

1198 Q. An peccet mortaliter Parochus si non Concionatur?

℟. Toties peccat contra præceptum Divinū quoties populus graviter indiget prædicatione, nam ex mandato Dei tenetur oves suas verbo Dei prædicatione pascere ut patet ex Trid, ses. 23. cap. de refor. ergo maximè tene

tur

tur dum populus graviter indiget. Bonac. tom 2. disp. 5 q. unic. punct. 2.

1199. Q. Quantum tempus ad hoc requiritur. ut Parochus peccet mortaliter, si non Concionetur?

℞. Duorum, vel trium Mensium. Quia Tri. Sess. 5. cap. 2. Si moniti Parochi trium Mensium spatio defuerint suo Officio cogi debere per censuras; at verò censura supponit peccatum mortale, duo etiam Menses sunt spatiùm notabile.

1200. Q. Quodnam est officium Parochi?

℞. Ex Trid. Sess 5. cap 2. & Sess. 13. cap. 4. & 7. Hæc esse 1. In sua Parochia residere. 2. Sacramenta administrare. 3. Orare populo, illiq; sacrificium Missæ applicare, etsi non quodlibet. 4. Docere Populum concionando & arguendo. 5. Singulis diebus Dominicis, & Festis populum sibi subditum docere Cathesim. 6. Infirmos frequenter invisere & Pauperum curam habere.

1201. Q. An Domus Parochi existens intra 30. passus ab Ecclesia gaudet immunitate?

℞. Dum Ecclesia sit authoritate Episcopi fundata; gaudet & Domus Parochi intra dictum spatium ædificata, etiamsi non Parochus sed Laicus in ea habitet. Quia hoc privilegium loco datum est non personæ: & gau-

det

det, etiamsi Ecclesia polluta sit, aut interdicta, quia pollutio aut interdictum non tollit immunitatem Ecclesiæ modo non sit diruta authoritate Episcopi sine spe redificandi nam immunitas est veluti accidens, quod destructo subiecto perit alioqui si non illa authoritate diruta, gaudet.

1202. Q. Quæ partes Ecclesiæ gaudent immunitate?

℟. Gaudet non solùm interius Ecclesiæ corpus sed etiam tota Ecclesiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile Sacristia Ecclesiæ coniuncta. Quia L. Quæ religiosos ff. De rei vendicatione, dicitur. Quæ religiosis adhærent, religiosa censentur.

1203. Q. An domus Laicorum vicinæ Ecclesiæ gaudeant immunitate?

℟. Neq; viæ publicæ propè Ecclesias gaudent hâc immunitate: quia non pertinent ad Ecclesiam. ita Tuscus.

1204. Q An Parochus benedicens secundis Nuptijs incurrit aliquam censuram?

℟. Non incurrit, quia licet vetitum sit sponsos alias Benedictos benedicere, non est tamen lata censura ipso facto contra benedicentem.

1205. Q. Quid per residentiam Parochi intelligitur?

℟. Non solùm intelligitur habitatio penes

suam

ſuam Eccleſiam, ſed etiam exercitium ſui officij. vnde etiamſi habitet in loco, ſi non per ſe, ſed per ſubſtitutum miniſtret Sacramenta, peccat mortaliter, & tenetur ad fructuum reſtitutionem iure Naturæ. Sancius in ſelect. diſp. 47. Sotus de iuſtit. lib. 10. q 3. art. 1. nam idem eſt inutiliter adeſſe, quod abeſſe. & Beneficium datur propter officium.

1206. Q. An Parochus tempore peſtis teneatur cum ſuo periculo miniſtrare Sacramenta?

℞. Sacramentum Pænitentiæ quia neceſſarium eſt ad ſalutem proximi, tenetur miniſtrare. Euchariſtiam verò non tenetur cum tanto periculo, niſi neceſſitas proximi magna eſſet, ut, quia valdè dubitaretur de ipſius ſalute ſi abſque viatico decederet. De cetero hortetur Parochus à longè ſuos, ut patienter ferant peſtem, habeant propoſitum ſumendi viaticum. Rodriq. in ſumma tom. 2. cap 87. nūm. 7.

1207. Q. An peccet mortaliter Parochus aſſiſtendo Matrimonio, omittens illa verba. Ego vos coniungo &c.

℞. Solùm venialiter peccat. Quia non ipſe, ſed ſponſi conficiunt Sacramentum, cuius illa verba nec ſunt materia nec forma. ita Sāch. Tom. 3. Lib. 8, diſp. 27. num. 45.

1208. Q. An peccet mortaliter Parochus ſi non interroget ſponſos de Conſenſu?

℞. Iubet Trid. Seſſ. 24. cap. 1. ut de Conſenſu

ſensâ interroget. Attamen non peccabit mortaliter, ſi aliunde ſcit certò eos conſentire. Sanchez. tom. 1. Lib. 3. diſp. 38. num. 8. & num. 10. addit quòd non teneatur illos de impedimentis interrogare.

1209. Q. An ſit licitum Parochos intereſſe convivijs?

℞. Non negamus Sacerdotes privatim ad privatam menſam, ubi neceſſitas poſtulaverit poſſe accedere: ſive dum viſunt infirmum, ſive dum ſolantur afflictum, ſive dum iter faciunt: ſed ad nuptiales menſas, ad Convivia etiam in ſepulturis fieri ſolita, ubi Concurſus ſæcularium, ubi ebrietatis ſuſpicio, vigore ſacrorum ab Eccleſia Dei, & Spiritu S. conſcriptorum Canonum, arcemus lege præſenti pæna decem marcarum in tranſgreſſores primâ vice: ſecunda, pæna arbitraria: tertiâ, ſub ſequeſtratione certorum proventuum ex Beneficio. Ita Synodus Luceorienſe ea Breſtenſis per Illuſtriſſimum ac *Reverendiſſimum Dominum Dominum Stanislaum in Magna Witwica Witwicki* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, tunc Epiſcopum Luceorienſem & Breſtenſem, nunc verò Poſnanienſem, celebrata, ſcripſit & Typis vulgavit ſua Celſitudo plura ingenioſiſſimè & utiliſſimè, quæ non ſolùm Examinandos, ſed & ipſos Examinatores plurimum iuvare, poſſunt, quæ

quia facilè haberi possunt, ad ea te mi lector remitto, & peto, ores mecum Deum, ut hunc Præsulem optimum, ad utilitatem suæ Ecclesiæ, quàm diutissimè sanum, incolumem, prosperum conservet.

Vnum deerat huic opusculo, scilicet ut de Bonitate, & Prudentia Confessarij agerem: Sed hoc, perfecit idem *Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus* tam in suis doctissimis Operibus: quàm ubi authoritate *Eminentissimi Cardinalis* Palavicini Legati Apostolici in Polonia, tum suâ propriâ, mandauit ut librum de dicta Materia Italicé à P. Paulo Segneri nostræ Soc. editum in Lingvam Maternam transferrem, quod feci observantissimè, & iussu eiusdem Illustrissimi, proximè lucem ut spero, conspecturus est.

Ne tamen & ego in aliquo desim, adiungo tres tractatus Confessarijs utilissimos.



TRA-

TRACTATVS I.

De his quæ Sacerdos ante auditionem Sacræ Confessionis habere & scire debet.

Quatuor sunt quæ in Sacerdote ante auditionem Confessionis reperiri debent. Bonitas scilicet, Potestas, Scientia, & Prudentia.

PARS PRIMA.

De Bonitate Confessarij:

QValiscunque vitæ sit Sacerdos validè absoluit (dum cætera non desint) si vere absolvere velit. vt tamen licitè munus suum obeat, opus est ut sit in gratia, è qua si per mortale peccatum excidisset, ipse prius alteri confiteatur, vel saltem contritionem eliciat, ita ut se ad minimum putet se contritum. Meminerit nihilominꝰ moniti quod alicubi dedit S Greg. M. *Mundus debet esse à vitiis qui curat aliena vitia corrigere.* Perpendat S Aug dictũ de pœnit. d. 6. cap Qui vult confiteri. *Iudicans alium qui est iudicandus, condemnat seipsum, cognoscat igitur, & purget in se, quod videt alios sibi offerre, curet ut à se proijciat, quidquid in alio damnosum reperit Animaduertat quidẽ quod dicitur qui sine peccato est vestrum, primus contra hanc peccatricem, proijciat lapidem ideò enim liberavit peccatricem, quia non erat qui proijceret lapidẽ, quomodo lapidaret qui se lapidandũ cognosceret?* Et ne dũ aliena audit peccata, ipse periclitetur, firmet se fervẽti Oratione, & strenuâ mortifica-

tione. etenim ut S. Greg. in Pastor. dixit. *Fit plerumq; ut animus Pastoris auditâ tentatione Ouis & ipse tentetur.* Sæpè in cor reddeat. nam non frustra Moyses Exod. 38. illud vas in quo lavarentur Sacerdotes fecit ex speculis, ut scilicet seipsos inspiciant qui alios mundare intendunt.

Sit alacer ad confessiones excipiendas, gratissimum enim Deo exhibet opus cùm peccatores in Dei Filios transformat. Vnde S. Dionys. de Hierarch. cap. 3. *Diuinissimum est opus, esse Dei ministrum ad reducendas animas ad suum Principium.* Hoc enim est Christi passionem fructuosam reddere, & quod illi deest, quodammodò complere, ut loquitur S. Paulus. Hoc est, offerre illi Ovem quam ille perditam tantopere quærit. Hoc est, Deo sacrificium omnibus gratius sacrificijs, ut ait S. Greg. hom. 6. in Evang. exhibere. Hoc est, Christũ à Cruce, spinis, clavis, flagris, quodammodò liberare. nam ut S. Dionys. epist. ad Demoph. ita ille amat salutem Peccatorum, vt vellet iterum, si necesse esset mortem durissimam pro illis obire. Hoc est, Fratrem Domini à gehenne eripere. Hoc est, de quo Luc. 6. Angelos gaudio quodam novo complere. Facit huc S. Greg. Pastor. c. 9. *Si omninò quis renuit curam animarum, caueat ne acceptam pecuniam sudario ligans, de eius occultatione iudicetur; pecuniam siquidem*

dem in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere.

Caveat ne dum verbo mundat à peccato maculet exemplo, nam supra illum teste Greg. Pastor. cap. 2. caderet væ scriptum Ezech. 18. *Cùm ipsi aquam purissimam*, scientiæ, *biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis, ac turbabatis: & quã pedes vestri turbaverant bibebant oves. Quia puram sapientiam quam ex scripturis hauserant, vitâ corrumpunt, atq; hoc modo aquam turbidam ovibus propinant.* Certe Christus priusquàm Apostolos in Sacerdotes ordinâsset pedes eorum abluit; Moysi locum sacrum accedenti dictum est, solue calceamenta de pedibus tuis. Oza. 2. Reg. 6. minus reverenter contigit arcam Domini, & statim mortuus, quid, qui sanguinem Christi in ablutionem Peccatorum admovendo, pedibus, id est malis moribus, quantum ex se contaminat Meminerit. Aug. epist. ad. Aurelium. Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso, vitia tolluntur: sed magis, docendo quam iubendo, magis monendo quam minando.

PARS SECVNDA.

Scientia Sacerdotis alia spectat ad illius ipsius directionem, alia ad directionem Pænitentis.

CAPVT I.

De Scientia Sacerdotis in Ordine ad illum ipsum.

SCire debet quæ sit materia & Forma Sacramenti Pænitentiæ. *Materia* est id circa quam versatur Pænitentia. hæc verò *duplex* est *Remota*, scilicet peccata post Baptismum commissa. *Proxima* sunt actus Pænitentis, nempe Contritio in corde, cõfessio in ore, Satisfactio in opere, Filiuc. lib. 3. cap. 1. Et quidem mortalia commissa post Baptismum, neque unquã in confessione valida explicata sunt materia *necessaria*, id est, omninò in confessione dicenda. venialia verò aut mortalia quæ iam quis validè confessus, sunt materia *sufficiens* vt scilicet possit recipere absolutionem qui ea confitetur, nihilominùs potest ex ijs dicere aut omittere quæ volet. Trid. sess 14. cap. 5 *Forma*. Pænitentiæ est, *Ego te absoluo à peccatis tuis*. quanquam non desint qui putent totam formam contineri in verbo vno *Absoluo*. Soto, Henriq. lib. 4 c. 11. nihilominus nunquam omittenda sunt verba, *à peccatis tuis* Henriq. sicut & *In nomine Patris* &c. Preces vero illas. *Misereatur* &c. *Passio Domini* &c. si omittat Sacerdos cum aliqua etiam levi causa, neque venialiter peccabit Lugo de Pænit: disp: 13. sect: 3. Neque alia verba licet addere formulæ quàm quæ addidit Eclesia Coning. d. 4. n. 30. 2. Si habeat curam animarum sciat se esse obligatum sub mortali ad suos audiendos quo-

ties

ties illi confiteri voluerint Soar. d. 32. sect: 1. n. 4. Si scilicet habuerint peccatum mortale Lugo, d. 22. n. 2. Si iter longum ac periculosum sint ingressuri: Si agatur illis de Iubilæo obtinendo. Si mulier paritura est cum periculo: Si quis de morte periclitetur. In Paschate. in alijs casibus si bis aut ter nolit audire, non erit mortale. Quò tamen Parochus majus habet stipendium, magis ad audiendum obligatur. Lugo à num. 4.

CAPVT II.

De Scientia Sacerdotis in ordine ad Pænitentem.

HIc triplici opus est Scientia Confessario, Iudicis, Medici, Doctoris sive Magistri. *Iudicis* quædam scientia est *necessaria ad Valorem.* Sacramenti, ut nimirum sciat Formam Absolutionis & distinctionem peccati mortalis à veniali in genere saltem, nam si in particulari ignoraret, dummodò Pænitens bona illi fide confiteatur, hoc est, non quærendo de industria neque sciendo tam rudem esse Sacerdotem, valida iuxta probabiliorem sententiam esset absolutio. Soar. tom 4. d. 28. s. 2. Alia scientia Iudicis est necessaria ut *licitè* sive sine peccato administret Sacramentum ad quod necesse est sciri sex ut Soar. ibid. 1. Sciatur quod peccatum mortale, quod veniale, & hoc non tantùm in genere, sed etiam in particulari, & hoc in singulis præceptis saltem modo

communi & ordinario. 2. Noſcantur ſpecies peccatorum, numerus, & circumſtantiæ ſaltem quæ in aliam ſpeciem transferunt peccatum. 3. Quæ diſpoſitio requiritur in Pænitente ut poſſit abſolui. 4. Quæ peccata habeant adnexam obligationē Reſtitutionis. 5. Quando Pænitens debeat repetere Confeſſiones præteritas. 6. Quæ peccata ſint reſervata, vel quibus adiungitur cenſura, in cæteris ſatis eſt ſi Sacerdos dubitet & ad peritiores recurrat. Præterea ſcientia maior requiritur in ordine ad hos quàm ad alios Pænitentes. Pro rudibus in pagis audiendis minor ſcientia requiritur, pro doctioribus in civitate maior. pro militibus, Mercatoribus, Eccleſiaſticis, Iudicibus, Principibus, adhuc maior. Poteſt tamen Scientia Pænitentis ſupplere aliquando inſcitiam Sacerdotis. Quòd ſi Sacerdotis ſupradictâ deſtitutus ſcientiâ præſumat Confeſſiones excipere, peccat mortaliter, idque non ſolus, ſed & Examinator & Epiſcopus qui illum ad hoc approbat, & Superior qui dat audiendi poteſtatem. Lugo d. 20. Nam ut docet S. Aug. de Pænit. diſt. 6. cap. 1. *Oportet ut ſpiritualis Iudex ſciat cognoſcere quidquid debeat iudicare.* Ex quo Alb. M. in 4. poſtquam docuiſſet, quòd non teneatur ſcire Sacerdos. diſcernere niſi in communi quæ ſint capitalia, & quæ ſint mortalia communia, & quæ venialia

alia ex genere, addit. *Sed hæc nesciens, puto quòd mortaliter peccet talis audiendo, & eum instituens plus peccet quàm ipse, & eum permittens institutum ministrare, si sua interest talem prohibere, scientia.* Medici in hoc est ut sciat peccatorum ac scrupulorum remedia. Scientia Doctoris, ut sciat instituere, ad profectũ in spiritu formare, consulere in dubiis.

§. 1. *De Scientia circa peccata.*

1. PEccatum est transgressio legis divinæ, sive cùm fit quod illa prohibet, sive cùm omittitur quod illa iubet. ad divinam legem reducitur lex naturæ quia ab illa derivatur: & Ecclesiastica quia robur à divina accipit. Azor. q 2. Peccata alia sunt mortalia, venialia. Rursus aliquæ actiones sunt ita malæ ut nunquam possint reddi bonæ: & hæ sunt quæ fiunt contra legem naturaliter aliquid prohibentem: aliquæ non ita malæ, imo non essent malæ si non prohiberentur. Nihil vero, est peccatum nisi libere fiat, neque liberè fit nisi concurrat animadversio intellectûs, & assensus voluntatis, ideò de ignorantia, advertentia, coactione, metu, quæ variè libertatem afficiunt, quæ necessaria scitu adnotabimus. *Advertentia* in eo consistit ut advertat etsi non reflexe, id esse malum quod agit, vel omittit. *Assensus*, ut in id consentiat. fit autem hoc dupliciter, vel *directè*, cùm id ipsum vult facere:

vel

vel *indirectè* cùm aliquid facit ex quo illud sequitur, aut impeditur, eo casu id quod sequitur, dicimur velle aut nolle indirectè. uterque modus assentiendi si nihil obstet aliud sufficit ad peccatum. Pro indirecto assensu hæc est regula. Quando ago aliquid ex quo prævideo secuturum effectum malum, quem teneor impedire, pecco si in agendo persistam, v. g. Scit quis solere se cædes committere si inebrietur, inebriando se consentit in homicidium, & peccat, etiamsi illud aliquando non fuerit secutum. Sanchez. lib 5. cap. 8.

2. Debet itaque Sacerdos scire, quod sit leve & quod grave peccatum, saltem ex ijs quæ communiter accidunt contra Decalogum, idque sub peccato mortali. Lugo. disp. 20. & Pænitens qui rudem Sacerdotem sciens eligit, nisi sit ipse ita doctus ut eius inscitiam supplere possit, peccat graviter. id ibid. In casu tamen necessitatis quivis Sacerdos sufficit, item in captivitate apud Barbaros, ubi alius haberi non potest, dum tamen sciat formulam absolutionis. Potest tamen Prælatus aliquem rudiorem Sacerdotem approbare, mandato addito de obligatione discendi, si Doctior haberi non possit ob modicitatē stipendij, vel causam similem. Lugo. ibid.

Pun-

PVNCTVM I.

Regulæ universales ad dignoscendum mortale à veniali, & gravius à leviori.

Pro hoc negotio Richardus à S. Vict. tr. de diff. peccati mortalis & venialis, tres assignat regulas.

1. Mortale est quod non potest committi sine grandi corruptione sui.

2. Mortale est quod non potest committi sine grandi læsione proximi.

3. Mortale est quod non potest committi. sine grandi contemptu Dei.

Medina verò dat eiusmodi Regulas.

1 Quidquid est contra aliquod præceptum Dei vel Ecclesiæ in re notabili, imò quidquid contra conscientiam in simili materia, est mortale.

2. Mortale quod valdè est contra amorem Dei vel proximi, vel si grave damnum infert. proximo, & honorem Dei notabiliter lædit' His adde.

1. Quod ex genere suo est mortale, euadit veniale sæpè ob materiæ exiguitatem: vel ob defectum animadvertentiæ.

2. Peccatum veniale si fiat ob finem mortaliter gravem, & ipsum fit mortale, ut si quis otiosa verba loquatur ut sollicitet ad adulterium.

3. Peccatum veniale si fiat ab eo qui paratus est illud facere etsi esset mortale, fit mortale.

Regulæ S. Thomæ de discernendo quod peccatum altero gravius.

1. Gravius est peccatum quod maiorem habet deordinationem quàm quod minorem. 1. 2. q. 73. a. 2.

2. Gravius est quod est contra aliquid principalius, quàm quod contra minus principale ibid. a. 3.

3. Gravius est quod immediatè tendit contra Deum, quàm quod contra proximũ ibid.

4. Gravius est homicidium adulterio 1. 2. q. 100. a. 6.

5. Gravius est adulterium furto 1. 2. q. 73. a. 3. ad 1.

6. Rapina est gravior furto. 2. 2. q. 66. a. 9

7. Peccare opere gravius est quàm ore. 1. 2. q. 100. a. 6.

8. Peccare ore gravius est quàm corde ibid.

9. Detractio maius est peccatum quàm furtum 2. 2. q. 73. a. 3.

10. Contumelia gravius est peccatum quàm detractiò. ibid.

11. Seminatio discordiarum gravius est peccatum quàm detractio & contumelia. 2. 2. q. 74. a. 2.

12. Gravius est peccatum quod principali-

ter & directè nobiliori virtuti opponitur, quā quod ignobiliori. 1. 2. q. 73. a. 4.

13. Odium Dei gravissimum est omnium peccatorum p. 3. q. 47. a. 6.

14. Peccata spiritualia sunt graviora quàm carnalia. 1. 2. q. 73. a. 5.

15. Quò minùs tentatus quis peccat tantò est gravius 2. 2. q. 162. a. 6.

16. Quò quis magis deliberatè peccat gravius peccat 2. 2. q. 73. a. 3.

17. Quò quis magis ex contemptu, vel maiore scientia de peccato peccat, gravius peccat 1. 2. q. 73. a. 10.

18. Quanto maius nocumentum proximo infertur, tantò gravius est peccatum 1. 2. q. 73. a. 10.

19. Conditio personæ in quam peccatur aggravat peccatum ibid a. 9.

20. Ex hoc, quòd peccatur in personam magis Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij, gravius est peccatum ibid.

21. Tantò aliquis gravius peccat, quantò in magis sibi coniunctam personam, sive naturà, sive beneficijs; sive quacunque bonâ connexione, ibid.

22. Quando ex peccato sequitur scandalū plurimorum, quamvis id peccans non intendat, nec directè prævideat, gravius peccat ibid. a. 8.

23. Quantò plures tangit peccatum tantò gravius est, & ideo peccatum quod fit in personam publicam quæ repræsentat totam communitatem, gravius est. 2. 2. q. 61. a. 2. ad 3.

24. Gravius peccat qui occidit seipsum quàm qui alterum. 1. 2. q. 73. a. 9.

25. Bonum cui inordinatè subditur appetitus humanus, quanto minus est, tantò peccatum deformius. 2. 2. q. 118. ad 5.

26. Magnitudo personæ peccantis aggravat peccatum. 1. 2. q. 73. a. 10.

27. Peccatum ex malitia factum gravius quam ex passione ibid. a. 4.

28. Odium est gravius quàm invidia, & hæc gravior quàm ira. 2. 2. q. 158. a. 4. circumstantiæ aggravantes his continentur versiculis.

Aggrauat, ordo, locus, peccata, scientia tempus.
Aetas conditio, numerus, mora, copia, causa.

Regula de peccatis factis contra Decalogum.

1. In primo Decalogi præcepto mortale est ex genere suo quod est contra Fidem, spem, Religionem, siue id fiat per excessum dando v. g. Deo cultum non convenientem, ut faciunt Iudæi cæremonias veteres retinendo: Sive cultum Deo debitum auferendo & creaturæ tribuendo, ut faciunt idololatræ, Magi, Divinatores, malefici, vani observatores, sive id fiat contra personas, res, & loca sacra, violãdo.

2. In

2. In secundo præcepto mortale est ex genere suo, periurium, blasphemia.

3. In tertio similiter mortale, omissio Missæ die festo de præcepto, item ieiunij, Confessionis Paschalis, solutionis Decimarum huc referuntur peccata sub gravi cēsura prohibita.

4. Item in quarto mortale, Non succurrere proximo per eleemosynam in gravissima necessitate corporali, aut spirituali per correctionem, deficere graviter in honore debito superioribus & Parentibus.

5. In quinto item Offendere proximum in vita graviter aut bonis corporis.

6. In sexto etiam mortale ex genere suo offendere Proximum, aut seipsum in rebus ad Honestum corporis pertinentibus tale peccatum est Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Incestus, Raptus, Sacrilegitum, peccatum contra naturam cum suis speciebus, scilicet, Mollitie, Sodomia, Bestialitate.

7. In septimo simili modo mortale, offendere Proximum in bonis externis, quod fit per furtum & contractus illicitos.

8. In octavo mortalis est offensio gravis proximi verbis, quod fit falso testimonio, contumeliâ, detractione, Maledictione.

9. Novum & Decimum præceptum æstimanda ex 6. & 7.

Regula

Regula de peccatis Capitalibus.

1. Superbia est mortalis quando contemptum Dei, aut proximi notabilem, vel damnũ grave invehit. Tolet. lib. vlt. c. 41.

2. De peccato Avaritiæ sumenda regula ex ijs quæ diximus de quarto præcepto, & septimo. De Luxuria ex his quæ de sexto. De Ira ex his quæ dicta de quinto Decalogi præcepto. De gula agemus cùm de Ieiunio. De Invidia, sumenda ex præcepto quarto.

3. Acedia est mortalis cùm ob illam grave aliquod præceptum violatur.

PVNCTVM II.

Regula de Circumstantijs peccatorum.

Circumstantiæ sunt quatruplices. *Impertinentes*, ut quòd aliquis peccaverit feriâ. 2. aut 3. istæ non debeat recenseri in confessione. *Minuentes* peccati gravitatem, ut si peccaverit graviter tentatus, egestate pressus furtum fecit, neque has necesse in confessiones exprimere. *Aggrauantes* non tamen in alia specie peccatum constituentes, si notabiliter aggrauent in materia mortali, sunt exprimendæ. ut furtum unius aut centum aureorum *Mutantes speciem.* v. g. Actus carnalis habitus à soluta cum soluto facit fornicationem, ab eodem commissus cum maritata constituit Adulterium: cum persona sacra sacrilegium. tales circumstantiæ omnino in confessione sunt explicandæ. Trid. Sess 14 can. 7.

Circumstantiæ sunt septem, & illo versiculo comprehenduntur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Quis. An sit persona sacra, coniugata, publica, habens officium?

Quid. explicat conditiones materiæ in qua est peccatum.

Vbi. Locum, an sit sacer, profanus, publicus.

Quibus auxilijs. Socios, complices.

Cur. Causam propter quam factum peccatum, vt si occidit propter consequendum adulterium.

Quomodo. An ex ignorantia, metu, malitiosè, ex contemptu, consvetudine, iactantia, insultatione.

Quando. Quanto tempore, an die sacro?

De his sequentes regulæ statuuntur.

1. *Circumstantia tunc mutat speciem.* Quando facit ut peccatum sit contra aliam virtutem quàm fuisset sine illa circumstantia. v.g. Commisit quis actum carnalem cum coniugata, iste actus est contra iustitiam. sed si fuisset cum soluta, tantùm castitati fuisset oppositus.

2. Circumstantia non mutans speciem, non est, ut diximus necessariò aperienda in confessione, nisi aggravet notabiliter aut minuat peccatum. idque etiam tali casu non necessario explicandam censet Lugo de Pænit disp. 16. s. 3. quia nullum de hac re extat præceptũ.

Nihilominùs si tales circumstantiæ secum trahant censuram aut reservationem, restitutionem, vel aliquid eiusmodi, omninò sunt aperiendæ.

3 Circumstantia quæ ex veniali facit mortale, debet in confessione dici. v. g. furari acum est veniale: sed furari illi qui ob defectū illius acûs grave damnum patitur, est mortale: & hanc circumstantiam si quis in una confessione sine culpa omisit, debet in sequenti explicare, si ex culpa debet priorem repetere confessionem.

4. Circumstantia quæ peccato mortali addit veniale, non est necessariò exprimenda.

5. Qui vno actu plura præcepta, aut vota, violat, si omnia præcepta aut vota eundem finem respiciunt, unum peccatum comittit. ut si violet ieiunium feriæ sextæ in quod incidit vigilia, quatuor tempora, satis est, si confiteatur, se ieiunium non obseruâsse, quia ista ieiunia sunt omnia instituta ad castigandum corpus. Similiter in diem Dominicum incidit festum, qui Missam omisit vnum peccatum commisit.

6 Qui uno actu multa præcepta aut vota violat quæ diversam virtutem intendunt, plura commisit peccata, & debet dicere quæ præcepta aut vota violaverit.

7. Circumstantiam quâ prolatâ proderetur com-

complex, dum alius confessarius haberi non potest cui complex sit ignotus, plerique Doctores negant afferendam. concedit verò Soar. disp. 34. sect. 2. Lugo disp, 16, sect. 7.

PVNCTVM III.

De Materiæ levitate aut gravitate.

1. In odio Dei, & eiusdem contemptu, infidelitate seu hæresi, schismate, periurio assertorio, Simonia, rebus venereis, essentiæ Sacramentorum quantacunque est materia semper est peccatum mortale.

2. In alijs casibus, Materia est gravis quæ multùm confert ad finem legis: levis est si parum ad eum finem conferat, Vasq. 1. 2. d. 158. cap. 6. num. 59.

3. Si ob gravem causam aliquid præcipitur, transgressio præcepti est in gravi materia Soar. in 3 p. d. 4. s. 6. n. 11.

4. Parva materia tunc in magnam transit quando per continuationem in vnam excrescit, Vasq: 1. 2 d. 146. c. 2. n. 3. Sic qui diversis ieiunij diebus modicum quid comedit, quia materia non continuatur, non evadit gravis. Graviter verò peccat qui intendit alicui grave damnum facere modica sed frequentia furta faciendo.

PVNCTVM IV.

Regulæ De Numero Peccatorum.

Explicare numerum mortalium quantum fieri po-

ri potest necesse in confessione, sed eum dignoscere prælertim in actibus internis non semper facile est, quocirca his regulis utendũ.

1. Quoties interrumpetur actus internus v. g. Odij, tot sunt peccata, etiamsi non per contrarios actus fiat interruptio Lugo. probabile tamẽ est cõtrarijs actibus debere interrumpi ut plura sunt peccata, vnde si quis odium toto anno non retractet, vnum facit peccatum sed debet confiteri quòd tanto tempore fuerit in odio. nihilominùs probabilior prima sententia quia post interruptionem videtur actus vi novæ voluntatis fieri.

2. Quando plures sunt actus specie sunt etiam plures numero. ut cùm quis concupiscit iam solutam, iam coniugatam.

3. Quoties voluntas circa idem obiectum non interrumpendo actum moratur, unum est peccatum.

4. Interruptiones breves, quæ fiunt ordinariè, actuum ad eundem finem ordinatorũ non multiplicant peccata, quia eadem intentio virtualiter perseverat, ut si paululùm dormiat, loquatur de rebus alijs &c.

5. Si sint plures actiones externæ ad eundem finem omnes ordinatæ, unum faciunt peccatum, ut tactus, oscula, colloquia, si tamen illa consecuta est fornicatio: idem de furto, homicidio &c. & tum sufficiet dicere fornicatus

nicatus sum, furatus, occidi, & in desiderio id faciendi fui tanto tempore. Quodsi non secuta fornicatio, furtum, cædes, explicandi sunt illi actus.

6. Numerum mortalium Sacerdos debet intelligere, sed in venialibus non est opus. Si certum numerum Pænitens nesciat, dicat plus minus in fine numeri quem suis peccatis apposuit. Soar. d. 22. sect. 5. vel dicat, quoties in septimana, & quod septimanis peccaverit. Coning. d. 7. nec opus ut hunc numerum in summam colligat. Per verba *plus*, *minùs* addita magno numero peccatorum, intelliguntur etiam decem, ut si postea aduerterit se decem peccatis plùs peccâsse quam dixerat in confessione, non teneatur illa decem de novo confiteri. Diana p. 4 tr. 4 resol 204. Si tamen viginti fuerint, tenetur. Coning. d. 7. n. 62. Meretrix publicè se prostituens satisfacit si dicat tempus prostitutionis Nau. Sum. cap. 6. n. 15. numeret tamen circumstantias mutantes speciem, quoties scilicet se abusui dedit, aut quoties cum personis sacris, coniugatis, rem habuit, addito ubi de numero dubium, plùs minùs Lugo. d. 16 n. 573, vel saltem dicat quanto tempore parata fuit cum qualicumq; persona peccare. Soar. d. 22. sect. 5. n. 39. Idem de concubinario Lugo. d 17. num 175. de his ad huc aliqua dicemus, cùm de consvetudine agemus.

7. Quando actus turpis est completus opere, non est opus numerare tactus, oscula &c. quæ secuta sunt immediatè, nisi isti actus non præcedentem copulam complerent, sed ad novam disponerent. Lugo. d. 16. n. 553.

8. Qui pluribus imprecatus, obiocutus &c. non tenetur numerare quot illi fuerint, Lugo. d. 16. n. 135. item qui plures voluit occidere, cum pluribus voluit fornicari, satisfacit enim si dicat se cum pluribus voluisse non numerando quot illi fuerint, tutius tamē est illos numerare. Lugo ibid. n. 141. explicandi verò omninò status personarum circa quas peccatum fuit destinatum Id. ibid. n. 140.

9. Quando plures sunt actus interni, etsi per vnicum externum compleantur, plura sunt peccata. vt in mollitie si ea simul dirigatur ad solutam, coniugatam, sacram.

10. Actus plures eiusdem speciei si fiant ex eodem impetu passionis, vnum constituunt peccatum. v. g. ut qui ex ira eadem eundem aliquoties percussit, semel peccavit. idem de blasphemijs, periurijs, secùs de homicidijs si plura ex eodem iræ impetu proficiscantur; itē de fornicationibus ex eadem concupiscentia factis. illa enim, & istæ sunt plures, quia quodlibet homicidium, fornicatio est in suo genere completa.

11. Plures actus interni peccaminosi non

ad

ad eundem finem directi, plura faciunt peccata, etsi postea aliquid ponatur ad quod referri poterant. Sic tactus, oscula, turpiloquia, non in tentione fornicationis facta, sint distincta peccata, etiamsi postea sequatur fornicatio.

PVNCTVM V.

De Consensu.

1. Non semper ad peccatum requiritur consensus efficax. Caiet. 1. 2. q. 13 ad. 5.

2. Conditionatus consensus non facit peccatum quando conditio tollit peccatum. v. g. Facerem hoc si liceret. Si Deus non prohibuisset. Si verò conditio non tollit peccatum, consensus talis facit peccatum, v. g. Si essem armatus occiderem Petrum. Sanch. lib. 1. cap. 2. Si nimirum paratus est ad id faciendum si poneretur conditio: non peccat autem si de facto non est resolutus ad id faciendum; sed solùm v. g. dicit. si essem armatus resoluerem me ad occidendum. Vasq. 1. 2. d. 116. cap. 2. n. 4. Quodsi dicat. Si non esset infernus facerem. si sit sensus. Volo facere, & tantùm metu inferni contineor. peccat. si sit sensus. Nolo facere quia me ab hoc metus inferni retrahit, non peccat. Sanch. lib. 1. c. 2. n. 27.

3. Cùm superveniunt cogitationes conditionatæ. v. g. Si ita male tractarer à Paulo ut Petrus, si dicas, occiderem illum, peccas mortaliter. similiter, si essem in hac occasione, occide-

ciderem. aliud est si dicerem, si essem in hac occasione, nescio an non occiderem, nolo tamen occidere. non est peccatum. Optimum est in his conditionatis cogitationibus dicere. Spero à Deo quòd me in tali occasione à peccato præservaret, & determinare se nolle peccare, aut saltem nihil statuere.

4. Nemo in id consensit quod non cognovit, neque satis est quòd cognoverit in communi, sed opus ut cognoscantur particularia in quibus consistit actio S. Th 1. 2. q. 6. a 1.

5. Perfecta cognitio seu deliberatio ad peccatum mortale requisita, consistis in eo, ut homo perfectè aduertat actionem eam quam facturus est, malam esse moraliter, sive illicitam. Vasq. 1. 2. d. 107. c. 4.

6. Voluntas in tentatione ad peccatum mortale septem se modis habere potest. 1. Vt expellat quidem tentationem sed negligenter, & tunc solùm peccat venialiter. nisi aduertat ob illam negligentiam se constitui in periculo consentiendi Nau. cap. 11. 2. Vt anceps sit, an debeat necne consentire tentationi, quod quidem etiam est veniale, nisi propositis clarè hinc inde rationibus, eligat esse dubia. Sanch. in decal. lib. 1. cap. 1. num. 16. Rursus. 3. Vt voluntas se negativè habeat, id est, nec consentiat, nec dissentiat. & tunc, si tentatio provenit ex occasione honestæ & licitæ actio-

nis,

nis, non peccat: nisi se advertat per hoc exponi periculo consentiendi mortaliter. Neque peccat graviter si occasio illius tentationis sit venialis, dum absit periculum consensûs, nec sint tentationes carnales v. g. pollutionis &c. S. Th. de Verit, q 15 a. 4 ad 10. Item 4. si voluntas non conatur reprimere tentationem, sed tamen efficaciter sibi in illa displicet. & tunc quidem non est peccatum si occasionis illius causa est honesta ac vtilis: quando verò causa est mortalis, est mortale. Similiter si advertenter v. g. illos motus nolit impedire ob delectationem quæ est in illis, peccabit graviter. non peccabit autem si illos motus non impediat, quia non vult deserere actionem honestam quam illi consequuntur. Salas. 1. 2. tom 2. tr. 13. d. 61. sect. 3. num. 33. Si verò illos motus nolit impedire propter causam venialem, peccabit venialiter. 5. Voluntas delectatur de re mala sibi proposita sine voluntate eam exequendi. de hoc agemus in regulis sexti præcepti. Nimirum si nõ delectetur de re mala ut est mala, sed prout illi aliquod bonum inest. v. g. furto industria, non peccat. Valent. 1. 2. d. 6. q. 4. punct. 3. Si delectetur de mala ut est. mala, peccat mortaliter. S. Th. 1. 2. q. 74. a. 8. Voluntas 6. se habet ut consentiat conditionaté, sed de hoc pauló superiùs egimus. 7. Denique se habet voluntas,

quando

quando cupit exequi quod ei per tentationem proponitur, & hæc est pessima.

PVNCTVM VI.

De Defectu Advertentiæ.

Defectus plenæ est advertentiæ quando intellectus impeditur ne possit bene inter obiecta discernere, quod fit quando vel sensus internus est ligatus, uti accidit dormientibus, vel semiligatus, ut in semi dormientibus, vel cùm non magis ad malitiam advertit, quàm si esset homo in somno. Pro hac re vnica est regula hæc. Defectus plenæ advertentiæ in quacunque materia excusat à mortali.

PVNCTVM VII.

De Modis quibus quod esset veniale, evadit mortale, & è contra.

1 Non fit ex veniali mortale quamvis simili præcepto sæpiùs prohibeatur Azor to. 1. lib. 4. cap. 9. neque fit mortale quia sæpiùs repetitur. neque si à Sancto viro comittatur, secluso scandalo. ibid.

2. Veniale ex se si fiat in contemptum legis, fit mortale S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. aliud autem est ex indignatione nolle v. g. aliud ex contemptu obedire. Ex contemptu non obedit qui ideò non obedit quia superiori, non ex contemptu autem si ei non obediat ut eum vexet aut se de illo vindicet. Vasq. 1. 2. d. 7. punct. 3. q. 5. Contemnere superiorem ut est Superi-

Superior & à Deo authoritatem habet, eſt mortale, ut eſt imprudens, vel infimæ ſortis, &c. non eſt ex ſe mortale, quia non contemnitur ut ſuperior Leſſ. lib. 4. c. 46. n. 1. Item mortale eſt nolle obedire, id eſt, ſimpliciter nolle ſubeſſe. non eſt autem mortale in hac re particulari levi nolle obedire. Leſſ. lib. 2. c. 46.

3. Qui ſuo exemplo alium ad veniale concitat etiam ſi id faciat per ſuum peccatum mortale, ratione ſcandali ſolùm venialiter peccat: ſi incitat ad mortale etiamſi id faciat per ſuũ veniale, peccat mortaliter ratione ſcandali. S. Th. 2. 2. q. 43. a. 3. etiamſi directe non intendat illam ruinam proximi, ſed ſolummodò probabiliter prævideat. ratione tamen ſcandali, quia v. g. dedit exemplum furandi, non tenetur reſtituere Sanch. lib. 1. in Decal. c. 6. n. 8. Vnde ſi Vir qui habetur pro ſancto verbum turpe dicat, amatorium, coram aliis, peccabit graviter, ſi advertat aut advertere potuit, imò etiamſi culpâ ſuâ non adverterit, inde ſecuturam alterius ruinam. Non tamen ideò quis tenetur abſtinere ab actione honeſta aut vtili ad quam ius habet, quod alter ſit inde ſcandaliſandus. vnde nec fæmina ſe domi continere debet ne aſpiciatur à laſcivis, ibid n. 17 niſi hâc intentione egrederetur:

4. Qui res indifferentes alicui ſubminiſtrat,

quæm

quem scit illis ad mortale abusurum, peccat mortaliter. S Th. 2. 2 q 169 a 2. ad 4. & tantò magis si res ex se servientes peccato. Si autem nesciat illum rebus indiferentibus abusurum, non peccat. Si sciat quidem abusurum, sed sine suo gravi damno negare non potest, non peccat. Valent. 2 2. d. 1 q. 21 punct. 4. & si illæ res proximè ad peccatum ordinentur, gravior causa requiritur illas præstandi, ut qui dat illas sit liber à peccato: minor verò sufficit, quando dubium est an alter illis rebus sit abusurus. Ita non peccant capitivi qui mercatu panatum triremes Turcicas contra Christianos pugnaturas propellunt remis, Molina tr. 1. de iust. d 115. dub. 4. vel si Turcis porrigunt arma adChristianos interficiēdos ibid. Si propugnacula erigant, tormenta provehant. Item non peccant qui fure mortem minicante, tradunt scalas, thesauros indicant, Sa V. Peccatum. n. 9. Item licet elocare domum meretrici, quia domus non concurrit ad peccatum Valent 2 2. d. 5 q 20. p. 5 si tamen non posset alteri domus absque gravi in commodo locari. Sanch. lib. 1. Dec. c. 7. n. 20 Qui facit Ministerium remotè ad peccatum ordinatum sine quo alter æquè peccaret, si est famulus non peccat, si non est peccat, sed etiam famulus debet habere intentionem non cooperandi ad peccatum. Sic remotè se habet in or-

in ordine ad fornicationem, ornare meretricem, cibos illi aut verba humanitatis deferre, Dominum comitari &c. Sed quando probabile aut certum est literas esse turpes, non potest eas famulus deferre. Sanch lib 1. Dec c. 7. n 26 sed Sà tenet oppositum. De Ieiunio in similibus casibus dicemus suo loco.

5. Qui facit aliquid licitum, sed per illud se constituit in certo moraliter periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter. Nau. cap. 5. n. 14 excusat tamen gravis causa S. Th. 2. 2. q 10 ar. 9

6. Si quis erroneè iudicet esse mortale quod est veniale, si aliud faciat, peccat mortaliter. S. Th. 1. 2. q. 19 a. 5 dummodo illud opus sit liberum. vnde incarceratus etsi putaret se mortaliter peccare non audiendo missam, non peccat, quia non est illi liberum de carcere exire. Sanch. lib. 1 cap. 11. n 3 Eodem modo ille qui putaret si è duobus contradictorijs alterutrum egerit, se peccare, cùm alterum necessariò debeat agere. Idem lib. 1 cap 11. n. 14 quid autem talis debeat facere, dicemus infrà.

7. Si quis faciat aliquid mortale ex conscientia erronea, quam poterat & debebat deponere, licet id sit veniale, peccat mortaliter. Similiter peccat qui dubitando an aliquid sit mortale, facit.

PVNCTVM VIII.

De Consvetudine peccandi.

1. Consuetudo est necessario in Confessione aperienda, v. g. blasphemat quis ex consvetudine, peierat etsi inanimadvertenter, dicat se habere talem consuetudinem, quia illam sub mortali tenetur deponere. Lugo d. 16. pænit. s. 4.

PVNCTVM IX.

De iactantia in peccato, laudatione, consilio, complacentia.

1. Si quis se iactet non de peccato ipso, sed de dexteritate, industria, arte aut alia re indifferenti, cum qua commisit peccatum v. g. quòd furando tam periculosum noctu locum censcenderit &c. præcisè ex hac parte nō peccat. Less. lib. 2. de Iustit. cap. 46 dub. 6.

2. Si se iactat de ipso peccato, peccat, & si sit mortale, explicet in Confessione de quali se iactaverit: & si admiscuit diffamationem v. g. prodendo complicem, hoc etiam explicet. Quodsi tantùm narravit peccatum sine complacentia in ipso, non est opus ut confiteatur. Nav. in Sum. cap. 3. prolog. 9.

3. Si iactet se de falso peccato, est opus in confessione, ut addat falsum fuisse. Sanch. lib. 1. c. 3.

4. Si laudet absentem de peccato notorio sine scandalo aliorum, non est opus in confessione

fessione explicare de quali peccato laudaverit, sed advertat ne illâ laudatione absentem diffamaverit.

5 Si laudet de peccato præsentem, necesse est explicet de quali laudaverit, si illa laudatio fuit ad peccandum incitatio.

6 Qui consilium dedit ad peccandum, necesse est ut explicet quale peccatum suaserit. quia non solùm contra charitatem peccavit, sed etiam contra virtutem cui illud peccatum opponitur.

7. Qui complacet sibi de præteritis peccatis debet in confessione explicare speciem. Sanch. lib. 1. c. 3 n. 13.

PVNCTVM X.

De Dubio.

1. Qui dubitat an sit peccatum, quod est acturus, & habet qui illum possit instruere, si agat, tali peccato peccat, de quali dubitat. Tolet. lib. 3. c. 2.

2 Qui dubitat an sit peccatum, sed non descendit ad dubitandum, an mortale sit vel veniale, faciendo id non peccat mortaliter. Sanch. lib. 1. cap. 12.

3 Qui dubitat an aliquid sit peccatum debet ab illo faciendo abstinere, donec constiterit non esse peccatum ibid c. 9 n 7.

4. In omni dubio postquam adhibita est sufficiens diligentia; nec tamen veritas eluxit; pro

pro regula est tenendum. meliorem esse conditionem possidentis. v. g. Dubitat an votum fecerit, possessionem habet eius liberta, faciat quod vult. dubitat an voto quod scit se fecisse satisfecerit, votum est in possessione, satisfaciat illi. Sanch. lib. 1. cap. 10. n. 11.

¶. 2.

De his ratione quorum aliquid fit peccatum.

Talia sunt lex interna, scilicet *conscientia*, & externa.

PVNCTVM I.

De Conscientia, & Scrupulis.

1. Conscientia est iudicium practicum quo hîc & nunc iudicamus de bene aut male factis, vel faciendis S. Thō. q. 17. de Verit. a. 8. & 1. p. q. 79. a. 13.

2. Ex diversis capitibus diversimodè dividitur conscientia sed præcipuè, alia est falsa seu erronea, alia determinata, alia dubia, alia probabilis, alia scripulosa, & quidem de horum aliquibus egimus superiùs sparsim, de alijs agemus. Vasq. 1. 2.

3. Conscientia de aliquo faciendo vel fugiendo si sit certa & firma semper obligat, sive sit vera sive erronea, neq; licet contrà facere. S. Th. q. 17. de Verit. a. 3. & 4. & 1. 2. q. 19. a. 5. & 6. Imo id putant multi esse de fide propter illud Rom. 14. *Quod non est ex fide peccátum est*, id est, non ex credulitate & dictamine-

ctamine conscientiæ, ut exponit Innoc. III. c. finali de præscript. & plures ex PP. apud Gratianum cap. omnes § ex his 28. q. 1. Quando tamen dicitur esse peccatum, si quis agat contra conscientiam debet intelligi, suppositis alijs, quæ alioqui sunt necessaria ad contrahendam malitiam, & præcipuè suppositâ, ad oppositum. ita Sanch. 1. Dec. c. 11. n. 3. ex hoc capite non peccat qui percutit alium, dum à tertio in alium manus eius violenter impingitur.

4. Si conscientia erronea sit vincibilis & culpabilis, adhibenda est diligentia ut tollatur, quam si quis non adhibeat, tam peccat conscientiam illam sequendo, quàm non sequendo, sibiq; debet tribuere quòd sit perplexus, & in necessitate peccandi. S. Th. 1. 2. q. 10. a. 6. ad 3. Vasq. disp. 60. c. 2. n. 6:

5. Conscientia erronea nullo modo vincibilis excusat à culpa. Non tamen propterea, sicut est licitum habenti talem conscientiam ex illa operari, ita est licitum alteri advertenti in illo talem errorem dare iuxta illum consilium. Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 4. Quodsi contingat ut conscientia erronea simul sit invincibilis de vtraq; parte contradictionis, vt si v. g. quis putet simul se debere audire sacrum die festo, & simul debere se non deserere domum sub mortali, neq; valeat discer-

 nere.

nere quidnam ex his duobus vrgeat magis; neq; possit de hoc consulere, quidquid egerit non peccabit, quia non habet pro vtraq; parte honestè vitanda sufficientem libertatē. Sanch. lib. 1. Dec. c. 11. n. 13.

6. Tale est peccatum agere contra conscientiam erroneam invincibilem, quale ipsa judicat. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 3.

7. Si conscientia dictet aliquid esse peccatū, & non determinet in qua specie sit, in illa specie peccat qui contra illam facit, in qua peccaret qui haberet voluntatem peccandi quasi genericam. Salas. tr. 8. sect. 3. n. 33. Sanch. lib. 1. Dec. c. 11. n. 5. Et in hac specie ille censeri debet peccare mortaliter, qui dubitat actu an peccet mortaliter an venialiter. Salas. ibid.

8. Ad peccandum contra conscientiam, non est satis, si dictamen conscientiæ præcesserit contrarium & non retractatum, sed opus ut non habeatur quando fit peccatum. Vasq. d. 60. c. 3. n 13. Sanch. l. c.

9. Si conscientia invincibilis dictet aliquid esse honestum seu meritorium quod reverà non est; qui se illi conformat, verè facit honestum actum seu meritorium si alioquin est in gratia. Sanch. lib. 1. Dec. c. 11. n. 17. Vasq d. 6. n. 9.

9. Ex conscientia practicè dubia per suspensi-

spensionem iudicij nunquam licet operari, sed semper est determinandus assensus saltem probabiliter ad vnam partem. Sanch. lib. 2. Matrim. d. 41. n. 6. Et tale peccatum est si quis operetur ex conscientia dubia, quale dubitatur, id est, mortale aut veniale, in hac vel illa specie. Sanch. l. c. n. 7.

10. Quamdiu conscientia est practicè dubia, & non est adhibita sufficiens diligentia ad tollendum dubium, semper eligenda pars quæ nullum, aut quæ levius continet peccatum. Soar. de cens. d. 40. sect. 5. n. 12.

11. Non peccat qui facit contra conscientiam scrupulosam, imò bene facit, & aliquando tenetur facere. Nau. Man. præl. 9. n. 9. Valent. p. 2. d. 2. q. 14. Sanch. lib. 1. Dec. c. 10. n. 79.

12. Ad scrupulos eximendos optimè faciet scrupulosus, si tollat causas corporales intrinsecas, quæ sunt frigiditas complexionis, & excessus melancholiæ, curet se purgari medicamentis, & deinde optimam victûs rationem teneat, & intermittat immoderata ieiunia ac vigilias, ac studeat moderatæ lætitiæ. Ad tollendas verò causas extrinsecas, quæ sunt conversari cum illis qui scrupulos fovent, aut de novo inijciunt, consortium scrupulosorum, & eorum qui sunt spiritûs valde austerioris, caveat, abstineat à

lectione eorum librorum qui subtiliùs explicant ea quæ pertinent ad peccata. Ad tollendas causas spirituales intrinsecas quæ sunt inscitia & mentis superbia, vel inordinatus amor proprij iudicij, subijciat se in omnibus iudicio Confessarij, eiq; ad nutum obediat, & mentem quàm diligentissimè avertat à cogitatione scrupulorum, neq; illos ex proprio iudicio velit discutere, & ijs occupetur quæ mentem ad alia distrahant, & ex proposito per imperium voluntatis contra scrupulos operetur, idq; etiam in levissimis rebus ac minimè malis. Deniq; ad removendas causas spirituales extrinsecas, qualis est diabolus, & Dei punitio, humiliter ad Deum recurrat per fugam peccatorum, per orationes, eleemósynas, bona opera, seq; per veram humilitatem disponat ad Dei gratiam & speciale auxilium. Ad repellendos scrupulos de rebus præteritis, sentiat de Domino in bonitate, cumq; in crebris suis meditationibus sibi potiùs proponat ut benignissimum Patrem misericordiarum, quàm ut severissimum Iudicem ac vindicem scelerum. Teneat in conscientia examinanda certum tempus, & certas leges à Confessario præscriptas: neq; unquam putet se consensum in aliquod mortale, aut perfectè se advertisse ad illius malitiam nisi id habeat tantâ certitudine, ut etiam sub iuramento

mento possit id asserere & suum dubium in huiusmodi rebus semper accipiat pro credulitate de opposito, & suam credulitatem pro certitudine. Generales confessiones non sæpiùs iteret, nec de præteritis iam semel cõfessus iterum confiteatur, nisi sub iuramento certissimũ sit quòd aliquid omiserit necessariò confitendum. Deniq; ad tollendos specialiter scrupulos de rebus futuris, optimè faciet; si omnes obligationes & leges, semper benigniùs pro se interpretetur neq; ad aliquod credat se obligari nisi id certò sciat, per certitudinem iuramenti. Bene sibi persuadeat quaidam veritates, ijsq; tanquam regulis in praxi utatur. v. g. quòd probabile sit id quod docent aliqui sapientes, aut defacto faciunt aliqui viri timorati sine aliorum reprehensione. quòd sufficiat mediocris diligentia ad conscientiã examinandam pro confessione; & ad aliquam aliam veritatem investigandam. quòd peccatum ex suo genere mortale efficiatur veniale ex levitate materiæ, vel ex defectu plenæ deliberationis. quòd votum & iuramentum non obligant nisi quando facta ex perfecta deliberatione: & si quis de illo sit dubius, non teneatur. quòd excommunicatio & censuræ non incurrantur nisi ex peccato mortali, & ex contumacia, & per consequens nisi priùs de illis habeatur notitia. Collecta sunt hæc

ex Navar. cap. 27. n. 282. S. Antonin. 1. p. tit. 3. §. 10. Caiet. in Summ. V. ſcrupuloſus. Syl. v. ſcrupul. n. 3. Sayr. lib. 1. c. 1. Regin. c. 14. n. 2. Valent. 1. 2. d. 2. q. 14. Vaſq. d. 67. n. 8. Azor lib. 2. c. 20 q. 6. Salas d. de Conſcientia ſect. 29. n. 299. Sanch. lib. Dec. c. 10. n. 8. & ſeq. q.

Confeſſarius autē vel alius qui dirigit ſcrupuloſum optimè faciet, ſi priùs curet ut ſe totum illi reddat, & illum in omnibus audiat, tum verò ei tradat modos iam explicatos & ſpecialiter ad mentem & cogitationem avertendam à ſcrupulis. Non modò non ſinat ea eum ſæpiùs confiteri quæ iam ſemel eſt confeſſus, ſed neq; etiam frequenter admittat ad proponenda dubia, & ſeriò moneat, quòd tenetur etiam ex præcepto contra ſcrupulos agere, ſi ex illis grave, damnum patiatur. & ſi fortè in alijs peccatis circa quæ non patitur ſcrupulos erit parum conſcientiæ timorata curet illū iuvare ſequenti confeſſione ſed dum narrat ea in quibus eſt ſcrupuloſus, Confeſſarius exhibeat ſe velut marmoream ſtatuam, nihil ſe movendo, nec ullum ſignum dando, ex minimo enim nutu Confeſſarij ſolet multa ſuſpicari ſcrupuloſus. Azor lib. 2. c. 20. q. 7. Vaſq. d. 67. c. 2. n. 8. Sanch. lib. 1. Decal. c. 10. n. 82. & ſeq.

PVNCTVM II.

De Le-

De Lege.

1. Lex est rationis ordinatio ad bonum ab eo promulgata qui curam habet communitatis. S. Th, 1. 2. q. 90. a. 4. Vnde non potest lex positiva obligare nisi promulgetur. S. Th. ibid. Hæc tamen solennis promulgatio pro legibus Legum ac Imperatoris non est necessariò facienda in singulis civitatibus, sed satis est de iure communi vt fiat in singulis Provincijs, & post promulgationem non statim huiusmodi leges incipiunt obligare, sed solùm post duos menses. Pro legibus autem inferiorum Principum satis est si promulgatio fiat in curia Principis aut in civitate, & à die promulgationis statim incipiunt obligare nisi aliter in ipsis determinetur. Syl. 11. Less. q. 6. Soar. lib. 3. de leg. c. 16. & hoc potissimùm servit ijs legibus quæ sunt irritatoriæ alicuius contractûs, aut alio modo disponunt de aliquo, quod alioqui cedit in grave damnum subditorum, si talis promulgatio omittatur, vel tale tempus non concedatur, aut aliter subditis non consulatur. Soar. lib. 1. de leg. c. 33.

2. Etiam leges revocatoriæ indigent promulgatione, sive priores leges revocent, sive privilegia. imò si ista revocent. non habent effectum priusquam illis innotescant ad quos spectant privilegia, & ideò sunt promulgan-

mulgandæ non solùm in Provincijs, sed etiam in civitatibus, & Parochijs, vel etiam singulis personis insinuandæ, si specialiter ad illas pertineant. Vasq. d. 16. c. 4. n. 24. Sed probabile quòd leges Pontificæ non indigeant promulgatione in Provincijs, sed communiter statim obligent à promulgatione facta Romæ, nisi aliter in ipsis determinetur, Soar. lib. 4. de Leg. c. 15. n. 3. Vasq. d. 156. c. 2. n. 12.

3. Obligatio legis iam promulgatæ (nisi alicubi sit alius mos) per se non dependet ab acceptatione populi: & ideò graviter peccat qui illam statim non servat; quanquam excusat, si ob illam magni populi fuit perturbatio, & ipse Princeps transgressores non puniat. Soar. l. 1. de leg. c. 11. n. 7.

4. Aliqua lex non obligat ad culpam sed solùm ad pænam, S. Th. 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 2. & tales possunt censeri omnes illæ, quæ nõ præcipiunt tantùm cui pænam imponunt, si alioqui ipse actus non est graviter faciens ad bonum moris, nec pæna est ita gravis ut non possit rationabiliter inferri nisi suppositâ culpâ. Soar. lib. 5. de leg. c. 4. n. 8. d. 159. c. 2. n. 13. Defacto tamen leges humanæ obligant ad culpam mortalem, ubi colligitur ex gravitate materiæ, & hâc suppositâ ex verbis legis quando sunt præceptiva, aut præcepti-

vis

vis æquivalentia; tum ex gravitate pænâ quæ in lege statuitur, & ex communi usu quo lex communiter intelligitur & servatur, & ex DD. interpretatione. Soar. lib. 3. de leg. c. 25. n. 2. Vasq. d. 158. c. 3. & 4. Et quidem materiæ gravitas ita est necessaria, ut sine illa nunquam possit esse obligatio legis ad culpam mortalem. Soar. Vasq. l. c. quanquam hæc gravitas non ita æstimanda est ex rei natura, quàm ex circumstantijs ac prudenti iudicio. Verba autem præceptiva hæc sunt. Præcipio, iubeo, mando, prohibeo, inhibeo, veto, interdico. & æquivalentia præceptivis sunt, debet, tenetur, necesse est, non licet, non potest. & ad hæc reducuntur etiam illa quæ afferuntur per modum imperativum, & dicuntur præceptiva in actu exercito, v. g. faciat, abstineat, solvat, nemo audeat &c. Vasq. d. 158. c. 3. n. 21. Pæna gravis quoad indicendam culpam mortalem in legibus Ecclesiasticis, censetur excommunicatio maior latæ sententiæ sive ferendæ, quando saltem non requirit ulteriorem admonitionem, suspensio, & interdictum quando est personale, imò etiam irregularitas quando est ex delicto, & habet propriam rationem pænæ. Vasq. d. 158. c. 5. n. 47. In legibus civilibus pæna capitis & mutilationis, servitutis, longissimi carceris, vel exilij, publicationis bonorum, amissionis pu-

blici officij, gravis infamiæ, & similes, Vasq. d. 159. c. 3. n. 23. Azor lib. 5 cap. 6. q. 5.

5. Sive leges sint de re gravi, & per se obligent ad mortales: sive sint de re levi, & per se non obligent, semper illarum transgressio est mortalis si fiat ex formali contemptu, id est, ex directa intentione facto ipso significandi minorem iustò æstimationem quam habes de legislatore, & de potestate ex qua illam fert, vel de ipsa lege prout fertur à tali potestate & ad illam refertur. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.

6. Obligatio legis non impletur nisi per actum qui sit humanus, id est ex certa cognitione & voluntate, & probabile est, quòd per se loquendo, tam cognitio quàm voluntas, non solùm debet esse materialis de re quæ per legem præcipitur, sed etiam formalis inquantum præcipitur. & quamvis lex naturalis non possit impleri in tota sua latitudine nisi per actum honestum & ex aliquo motivo virtutis, id tamen non est necessarium ad implendas leges humanas. S. Th. p. 2. q. 100. a. 9.

7. A lege & præcepti observatione sæpè excusat periculum vitæ, sive lex sit humana, sive naturalis, sive divina, non tamen excusat quando est de rebus intrinsecè malis, vel quando periclitatur causa Fidei & Religionis,

vel

vel etiam Reipub. & communitatis, vel quando Superior prævifo periculo, adhuc præcipit fub mortali. Soar. lib. 3. de leg. cap. 30. n. 6.

8. Princeps, & legislator non eft folutus ab obligationibus quæ confequuntur ex contractibus, & à legibus quæ illas inducunt, fi etiam ipfe contractum facit.

9. Qui caret ufu rationis quales funt Infantes & Amentes, nullis legibus obligatur, five illæ fint divinæ, five naturales, five humanæ, Soar. d. 46. de Sacram. fect. 2. Peregrini & qui abfunt à loco originis aut domicilij, probabiliffimum eft quòd non teneantur illius legibus, five inde difcefferunt animo acquirendi alibi domicilium, five animo redeundi. Soar. d. 44. de Sacr. fect. 3. & difp. 5. de Cenfur. fect. 5. n. 7. Neq; hic difceffus cenferi debet illicitus fi fiat etiam tempore ipfo obligationis legis. Soar. lib. 2. de Sacr. dierum obfervatione c. 13. Et quod plus eft, neq; etiam illicitus eft fi fiat ex directa & formali intentione vitandi obligationem legis. Soar. l. c. 13. n. 4. legibus loci ad quem accedunt tunc tenentur ijdem advenæ quando in ifto acquirunt domicilium, aut quafi domicilium. Soar. lib. 2. de Sacr. dier. cap. 14. n. 5. Et fi leges fint de iure communi, non modò non obligatur in loco accefsûs & quando in il-

lo acquiritur domicilium, sed etiam in loco transitûs, si fortè sint obrogatæ per contrariam consvetudinem in loco recessûs. Soar. l. c. c. 14 n. 27. Si verò sint leges propriæ solius loci accessûs aut transitûs, servandæ omnino sunt ab ijsdem advenis & peregrinis quando pertinent ad formam & solennitatem contractuum, vel quando illarum transgressio specialiter cedit in damnum illius loci. Soar. lib. 3. de leg. c. 33. n. 13. Extra hos casus probabile est quòd Advenæ & Peregrini non teneantur legibus loci per quem transeunt, Soar. d. 44 de Sacr. sect. 3. Si sint vagi & nullibi habeant certam sedem, probabilissimum est, quod semper teneantur legibus loci in quo obiter recipiuntur, & sicut ubiq; acquirunt iura & effectus domicilij, ita & subiectionem. Soar. lib. 2. de Sacr. dier. cap. 14. n. 19.

10. Clerici & Personæ Ecclesiasticæ non subduntur potestati civili Laicorum si aliquid præcipiat circa spiritualia, sed Syl. 11. Lex q. 9. Ang. eod n. 5. Vasq. p. 2. d. 67. c. 4. Azor lib. 5. c. 12. q. 3. Soar. lib. 5. de Leg. c. 54. n. 12. Tenentur tamen per accidens & indirectè ad leges servandas. id est, vel iure naturæ, ex quo tenentur ut partes communitatis se conformare toti, vt vult Vasq. & Azor ll. cc. vel certè quia huiusmodi leges eoipso tacitè approbantur per sacros Canones

nes & quodammodò canonizantur, vt vult Soar. n. 13.

11. Potestati Ecclesiasticæ iure divino omnes subduntur per se & directe.

12. Non omnis pæna statuta per legem est subeunda ante sententiam Iudicis, sed solùm illa quæ hoc habet ex speciali voluntate & declaratione Legislatoris, sive requirat actionem aliquam positivam ad sui executionem, sive solùm consistat in aliquo negativo aut privativo, dum modò non sit ita gravis ut excedat potestatem humanæ legis, & repugnet conditioni hominum, vt ab ipso Reo executioni mandetur. Soar. lib. 5. de Leg. c. 5. n, 15. Vasq. d. 168. c. 2.

13. Tunc pæna est censenda latæ sententiæ quando id exprimitur in ipsa lege, vel dicitur incurri eoipso, ipso iure, vel ipso facto, vel fertur per verba indicativi & præsentis temporis, & non refertur ad aliud, cuius ministerio aut actione sit opus ad illam incurrendam. Soar. d. 3. de Cens. sect. 3. Vasq. d. 173. c. 1.

14. Post sententiam ultimam & definitivam, sive condemnatoriam, sive declaratoriam tenetur Reus in conscientia subire pænam, & non modò non potest resistere Iudici aut Ministris eam inferentibus, sed etiam tenetur per se exercere eas omnes actiones quæ

solùm ab ipso commodè exerceri possunt. S. Th. 22. q. 69. a. 4.

15. Qui ignorat pænam legis, & non ignorat inculpabiliter modum obligationis secundùm quem in lege imponitur, non propterea excusatur à pæna, sive illa sit imposita per legem Divinam, sive per Ecclesiasticam, aut Civilem nisi fortè ex peculiari ratione requiratur etiam aliquando notitia ipsius pænæ, vt contingit in Excommunicatione & censuris propriè dictis. Soar. lib. 5. de leg. c. 12.

16. Circa leges potest contingere variatio aliqua, verùm ut hæc sit iuridica & generalis, solùm potest ab illo esse à quo est ipsa lex, vel à successore, aut à superiore illius, vel ab illo qui ab ipso habet potestatem sic interpretandi, qualis est pro Iure Divino summus Pontifex. Sylu. Ang. Tabiena. v. Interpretatio.

¶ 3.

De his quæ excusant vel non excusant à peccato, minuuntuè illi aut non.

Talia præcipuè duo sunt Ignorantia & Metus à priore ut incipiamus.

PVNCTVM I.

De Ignorantia.

1. Ignorantia diminuit peccatum. S. Th. p. 3. q. 47. a. 6.

2. Ignorantia si sit vincibilis aut affectata non excusat à peccato. talis verò est ut S. Bern-

Bern. epist. 77. docet. *quæ oritur aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi*. vt cum advertit se scire debere & posse inquirere, neq; inquirit vel fugit ne discat, quod est affectare. Vincibilis ignorantiæ exẽplum. Dũ venatur aliquis in sylvis, videt moveri quidpiam, dubitat ne sit homo, non inquirit, occidit. Lugo de Pænit. d. 16. s 4.

3. Ignorantia culpabilis quæ exponit periculo peccati diversi in Confessione explicanda. v. g. peccat quis cum muliere, ignorando an soluta, an coniugata, an Sacra, exponit se periculo adulterij, Sacrilegij.

4. Quando ignorantia excusat à censura, in confessione explicanda. Sanch lib 1. Dec. c. 17. ut sciat Sacerdos te nõ esse ligatũ censurâ.

5. Ignorantia invincibilis de præcepto, excusat à peccato. vel quando nullatenus præceptum prohibens venit in mentem, neq; dubium quòd illud existat, aut si ocurrat dubium, non occurrit modus & obligatio inquirendi de illo. S. Th. 1. 2. q 76. a. 3.

6. Qui dubitavit an res esset prohibita quã facit, neq; tamen adhibuit sufficientem moraliter diligentiam vt certus fieret. v. g. talem, qualem communiter adhibent ægri ut morbo liberentur, etiamsi res non fuerit prohibita, peccat.

7. Excusatur à peccato qui diligentiam

adhi-

adhibuit, interrogavit eos qui ſcire id poterant: vel ſi tales non habuit, bonâ fide iudicavit non eſſe peccatum. Gran. tr. 3. de pænit. d. 3. ſ. 4. Signum autem huius quòd egerit bonâ fide, ſi in eo actu interrogatus, an peccaret? reſpondiſſet ſe non peccare. Tutius autem ſi in tali caſu proteſtetur coram Deo, ſe nolle peccare. idem tr. 12. de Act. Hum. d. 7. ſ 3, n. 28.

8. Qui dubitat an ſit peccatum, neq; ſufficienter inquirit, & facit, peccat, idq; in tali ſpecie de quali dubitavit. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 3.

9. Vbi nulla advertentia quòd ſit peccatum. qualiſcunq; ſit áctus, nullum eſt peccatum, & tales actus ſunt primorum impetuum. Tolet. lib. 3. c. 1. & ſi in his fuerit ſemiplena advertentia, & negligentia in reijciendo, erit veniale. ibid. talis advertentia eſt in ſemiſopitis & ebrijs. Nau.

10. Qui poſt factum dubitat an vigilaverit, an dormiverit ſi ſolitus alias non peccare mortaliter, præſumat etiam tunc ſe non peccâſſe: & è contrà, ſi ſolitus peccare. Sanch. lib. 1. c. 1.

11. Non peccat, qui omnino neſcit, an ſit peccatum facere id. ſimiliter qui ſcit quidem eſſe peccatum ſi id ipſe faciat, ſed neſcit invincibiliter an ſit peccatum imperare alteri ut id faciat, non peccat.

12.

12. Invincibilis tunc est ignorantia, vel in advertentia, quando nullum dubium hîc & nunc occurrit an sit peccatum. Soar. p. 3. d. 4. s. 8. n. 18. etiamsi ad id alias advertere tenebatur, vel alio tempore de hoc dubitaverit. Cùm verò nescitur an dubium tunc occurrerit quando actionem illam faciebat, procedendum ut hîc n. 9. scilicet bono viro non occurrisset. Valent. 1. 2. d. 2. q. 1.

13. Non datur invincibilis ignorantia circa illa quæ sunt lumine naturæ nota. ibid. d. 6. q. 6.

14. Ad deponendam vincibilem ignorantiam nemo tenetur summam diligentiam adhibere, sed eam solam quæ in rebus similibus communiter à prudentibus similis conditioonis hominibus adhiberi solet. Caiet. 2. 2. q. 64. a. 8. Quâ adhibitâ, si adhuc remanet ignorantia, est invincibilis. Suar 5. p. 3. d. 4. s. 8.

15. Licet ignorantia procedat ex causa peccaminosa, dum non fuerit quæsita excusat. v. g. Quispiam Missam die festo omittendo non audivit indici ieiunium, atq; comedit carnes. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. idem est de inebriato, si postea actus malos agat. imò adhuc excusabitur etsi ista præviderit ante ebrietatem, si tamen sufficientem cautelam adhibuit ne sequerentur, dummodò non sint in damnum alicuius. Vasq. 1. 2. d. 127. cap. 3. n. 11.

16. Quando ignorantia est solùm venialiter culpabilis, peccatum quod ex ea provenit est veniale. Nau. c. 12. n. 7. quando scilicet levis negligentia comissa est in amovenda ignorantia.

PVNCTVM II.

De Metu.

1. Quando agitur de re intrinsecè mala, metus à peccato non excusat. v. g. est intrinsecè malum mentiri, id nullo metu faciendũ.

2. Quando observatio legis intrinsecè coniungitur cum morte, à peccato non excusat metus mortis. v. g. cùm Dux militi imperat non deserere locum periculosum. Soat. p. 3. d. 6. s. 3.

3. Quando lex humana non involuit intrinsecè mortem, metus mortis ab illa excusat. Sanch. lib. 1. c. 18 n. 4. ita ieiunare nemo tenetur cum mortis periculo, dummodo id non faciat in contemptum legis. Similis ratio de metu amittendi honorem, aut damnum incurrendi notabile. Sed quò fortiùs aliquod præceptum obligat, eò maioris mali debet esse metus ut ab eo excusat.

¶ 4.

De scientia Confessarij circa reservationem peccatorum.

1. Casus reservantur cùm absolutio ab illis superiori est reposita. Casus possunt reserva-
re sibi

re sibi Episcopi & Ordinum Superiores imò, etiam Superiores Monasteriorum iuxta morem cuiusq; Religionis, idq; eos quos assignavit Clemens VII. imò etiam præter istos, sed in Capitulo Provinciali aut Generali.

2. Omnes de facto casus reservati sunt mortales: & omnes Papæ reservati habent de facto annexam censuram, quæ si tollatur, nō ampliùs sunt reservati.

3. Casus Papæ reservati positi sunt in Bulla cænæ Domini. & alij quos. Soar. de Cens. numerat d. 21. Iure communi nullus casus est Episcopo reservatus. Mercatus q. 9. de Pænit. Trid. tamen Sess. 24. c. 6. reservata Papæ si sunt occulta permittit absolutioni Episcoporum circa suos subditos, idq; per se, vel per alium à se specialiter deputatum. exceptâ hæresi, Hurtadus. q. 11. dist. 7 Quatuor casus assignat Episcopis ex consuetudine. Nempe, homicidium voluntarium, falsificationem literarum, violationem immunitatis Ecclesiæ sortilegium seu divinationes.

4. Ille potest absolvere à reservatis qui eos reservavit, aut eius superior. Soar. d. 30. s. 1. In articulo mortis quivis Sacerdos etiam factus hæreticus Trid. Sess. 14. c. 7. nec debet amplius qui est absolutus etsi conualescat recurrere ad superiorem nisi quoad censuras Soar. d. 30. s. 3. Lugo d. 20. n. 228. Qui ex-

tra articulum mortis absolutus debet recurrere ad speriorem.

5. Qui in sua Diœcesi incurrit reservatũ, si eat ad Diœcesim in qua nõ est reservat9 à quovis absolvi potest. Soar. Vasq. sed si peccato suo habeat annexam excommunicationẽ debet ad proprium Episcopũ remitti, nimirũ si sit particularis excommunicatio & ad ius deducta; à generali enim & nõ deducta absolui potest.

6. Qui non est subiectus Episcopo qui casum reservat in sua Diœcesi, si per illam transeat, & casum committat qui in sua Diœcesi non est reservatus, non incurrit reservationẽ. Nau. Soar. 7. Diu in sua Diœcesi commorantes potest Episcopus absolvere ab ijs reservatis Papæ à quibus potest suos subditos, pertranseuntes autem non potest. Henri. 9 lib. 6. n. 14 § 8. Potest autem propriũ absolvere, à censuris qui habet impedimentum adeundi Papam aut eius Nunciũ, sed cessante impedimento debet Papam aut Nuncium accedere. Lugo d. 20. s. 7. n. 220. Ita fæminæ & similes absolvi possunt ab Episcopo cùm nec Papam, nec Nuncium adire possunt.

8. Qui habet à Papa potestatem absolvendi ab omnibus casibus generaliter, non eo ipso habet à casibus Bullæ Cænæ. Bonac. d. 5. de Pænit. q. 7. punct. 5. § 2. n. 14. & ex Clementi VIII. in Bulla *Sacra Congregatio*, colligitur quod

quòd nec ab excommunicatione ob Clerici percussionem, aut violationem clausuræ Monialium, propter finem malum, aut ob violationem immunitatis Ecclesiasticæ nec ab hæresi.

PARS TERTIA.

De Prudentia Confessarij.

PRudentia Confessarij consistit in eo, ut quàm aptissimè consulat tam bono confessionis, quàm bono Pænitentie, ut suppleat si quem defectum videt à Pænitente committi, idq; cautissimè ne vel se vel Pænitentem in ruinam aliquam præcipitet. descripsit hoc S. Aug. de Pænit. dist. 6 c. 1. *Diligens inquisitor* [Sacerdos] *subtilis investigator, sapienter & quasi astutè interroget à peccatore, quæ forsitan ignorat, vel præ verecundia vult occultare. cognito autem crimine, varietates eius investigare non dubitet, & locum, & tempus, &c. quibus cognitis adsit benevolus, paratus erigere; & secum omnes portare, habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adiuvet confitentem orando, & alia pro eo bona faciendo, semper iuvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cùm opus fuerit etiam increpando, doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris si vult esse particeps gaudij.* De istis autem interrogationibus sic in Summa Confess; tertiâ parte tract. I.

cap. 33. habet S. Antoninus. *Postquàm ille qui vult confiteri, dixit ex se ea quæ voluit de peccatis suis non dixit sufficienter NB. quod quasi semper accidit, interrogandus.* Sed in particulari. 1. Pueri si capaces sint & habentes usum rationis non nisi prudentissimè sunt interrogandi de vitijs castitati oppositis, ne discant quod ignorârunt, imò cum omnibus cautè in hac materia procedendum, nec minutiæ scrutandæ, nisi velit seipsum in tentationem Confessarius conijcere, unde nec quærendum de modo quo aliquod peractum, relinquantur inventiones turpitudinum suis inventoribus. 2. Fæminæ celerrimè expediendæ & cum rigore tractandæ ait D. Antonin. 3. p. & Vmbertus monet ne audiantur nisi in publico, & nisi ab aliquo vel aliquibus videaris, & cum his quæ frequenter confitentur non sunt miscenda colloquia extra Confessionem, ne pro lucro aliquod damni præcipiatur. 3. Nobiles & magnates magnâ dexteritate tractandi, hi ferè non sunt assveti nisi assentationes audire, quibus compatiendum, sed ita ut à rectitudinis officio nunquam deflectatur. 4. Prælati ubi dubitatur an ipsi peccent in suo officio suaviter monendi, & quasi insinuando. 5. Milites severioribus egent exemplis ac sententijs. Deniq; sit tam *erga se*, quàm *erga Pænitentem prudens*. Erga Pænitentem præcipuè spectanda

da

da sex. 1. Quoad Examen ut quemq; iuxta statum illius verisimilia interroget. ne doceat rudes peccata. Item si ex habitu, vel professione statum alicuius novit, ne de illo interroget. 2. Moneat incautum pœnitentem ne complices nominet, si advertat id illum facturum. 3. Relinquat illum in bona fide, quando ex sua monitione fructum non sperat, quod sæpè evenit in Matrimonij detegendo impedimento. 4. Conformet se opinioni Pœnitentis in praxi probabili ad illum absolvendum: sed hoc non faciendum quando Pœnitens ultrò petit consilium. 5. In applicandis remedijs congruis pœnitenti, quæ ad duo dirigi debent. 1. ad dolorem maximum concipiendum de peccatis propter offensum Deum Summum bonum. 2. ad propositum deinceps non peccandi de cætero, tollendo causas & occasiones peccati, ut vitare malos socios, certos locos non frequentare. ad hoc serviet proponere illi periculum mortis repentinæ, gravitatē ingratitudinis in recidivo.

6. Prudens sit in imponenda salutari Pœnitentia: quæ debet esse commensurata peccatis & pœnitenti: & si minor iustâ imponeretur, declaretur quanta deberet imponi, & excitetur ad satisfaciendum pro peccatis.

erga seipsum sit Prudens potissimum *in* rebus *tribus.* 1. In exquirendis cautè circumstan-

nijs sexti præcepti, præparatorijs ad actum consummatum, cuius rei etiam supra monuimus. Omittat modos minutos non necessarios. 2. Vitet mutuum aspectum pænitentis, ne pudorem augeat, præsertim si puer aut fæmina confiteatur. & nisi tabula sit interiecta manus antè eum cum linteolo intercedat. 3. Fæminarum superfluas narrationes fugiat.

TRACTATVS II.

De his quæ concernunt tam Confeßarium quàm Pænitentem circa finem Confessionis.

Sex sunt eiusmodi, videlicet. Satisfactionis impositio, Absolutio, Monita, Consilia, Sigillum, Errores dubia, de his ordine, totidem Capitibus agemus.

CAPVT I.

De Satisfactione.

IN satisfactionis impositione spectandum est, ut & præteritorum sit pœna, & futurorum remedium. Pœna verò non ita sit levis ut videatur potiùs ludificatio. Audiant Confessarij quid dicat Concilium Tridentinum sess. 14. c. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate, salutares & conve-*

nientes

vientes satisfactiones iniungere, nè si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo alienorum participes peccatorum efficiantur: imò quia ut S. Greg. dist. 45. cap. disciplina. *Facilitas veniæ, incentiuum probet delinquendi.* & in cap. Falsas, de pænit. dist. 5. *Falsa pœnitentia quæ est minor quàm convenit.* respiciat veteres Canones & videat quanta pæna imponi iudicio Ecclesiæ solebat. Quocirca Abulensis q. 49. super cap. 18 Matthæi, docet *Peccat Confessarius si imponit pœnitentiam sine debita peccatorum consideratione.* In pænitentiæ itaq; impositione consideret peccata qualia & quanto sunt numero, quanta cum alacritate facta, quanto cum dolore ad Confessionem allata, quid possit facere pænitens, quid expediat ut faciat. Moguntina Synodus cap. 10. *Qui peccatis gravibus leves quosdam & invisitatos pænitentiæ imponunt modos consuunt pulvillos secundùm propheticum sermonem.* Ezech. 24. *Sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Nihilominùs habeant illud etiam præ oculis quod dixit S. Chrysost. 21. q. 7. cap. alligant. *Melius est Deo rationem reddere de nimia misericodia quàm de nimia severitate. Si enim benignus est Deus, ut quid Sacerdos vult esse austerus?* certè ut Raymundus advertit. Christus nulli pænitentiam gravem

 impo-

imposuit, sed dixit. *Vade & ampliùs noli peccare*. & lege. Absentē ff. de pænis. *Sanctius est nocentē impunitum relinquere, quàm innocentem damnare*. imò ut S. Ambros. 23. q. 4. cap est iniusta. *Asperitas nimia increpationis, nec connectionem recipit nec salutem, & perditur anima rigore, quæ lenitate saluari poterat*. 4 Reg. 4. Puer mortuus virgâ excitari non potuit, amplexu Elisæi est excitatus. Expedit tamen, imò est necesse, quando datur minor iusto pænitentia ne per hoc peccata contemnantur, monere, quòd detur minor iustà neq; sufficiens ut tollat pænas purgatorij, ut sic Pænitens pro peccatis conetur alijs bonis operibus vel indulgentijs satisfacere.

¶. I.

De ijs operibus quæ in satisfactionem possunt imponi.

Pænitentiæ quæ imponuntur ad tria capita referuntur. ad orationem, ieiunium, eleemosynam, ut S. Th. in addit. ad 3. p. q. 15. a. 3. Adorationem refertur quocunq; Deum placamus; ad ieiunium quo nos castigamus; ad eleemosynam, quo succurrimus proximo. Sub nomine itaq; ieiunij itelliguntur omnes carnis afflictiones, flagellationes, abstinentiæ, cilicia, vigiliæ, peregrinationes, humicubationes. Nomine Orationis Psalmi, Corona, Rosarium, Oratio, Meditatio, lectio

libro-

librorum spiritualium. Missa, frequentia Sacramentorum, Conciones. nomine eleemosynæ omnia opera misericordiæ tam corporalia quàm spiritualia, ut curare infirmos, visitare, &c. ex his regulas formamus.

1. Potest alicui imponi ut æquo animo toleret adversa quæ ei accidunt. S. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 4. q. 2. Sed in multis res hæc faceret scrupulos cùm non facile putarent se id præstitisse.

2. Pænitentia debet contraria delictis imponi, ut superbo, opera humilia: guloso, ieiunia: avaro, eleemosynæ, &c.

3. Pro peccatis occultis non potest imponi pænitentia publica. quia hoc esset prodere secretum peccatum.

4. Potest imponi alicui ut curet pro suis peccatis per alios satisfieri, ut Missas dici, peregrinationis suscipi, ieiunia tolerari, flagellationes.

5. Pro homicidio solent iniungi longæ peregrinationes, ieiunia, opera misericordiæ diuturna.

6. Expedit semper ut opus externum iniungatur, sed potest etiam internum. Soar.

7. Potest imponi opus ad quod pænitens aliunde tenetur. Lugo disp. 25 de pæn. s. 5.

8. Homicidæ Sacerdoti sive Regulari, sive sæculari solet imponi pænitentia perpetua. imo

imò aliquando post ablatam Irregularitatem suspensio perpetua. Item perpetua Diacono & alijs Clericis homicidis, præsertim Fratricidis, & ijs qui procurârunt abortum.

9. Machinantibus in mortem Coniugis, solet imponi ut per annum iejunent singulis septimanis unâ die, & ut flexis genibus recitent aliquas orationes ter in hebdomada ut quinquaginta Missas pro anima defunctæ curent fieri ut confiteantur semel in mense, aut quoties Confessario videbitur expedire.

10. Illi qui non potest ullam facere pænitentiam nulla imponenda, ut in phrenesim lapso, morienti, sed de hoc infra.

11. Si pro venialibus nullam imponeret Pænitentiam Confessarius non peccaret graviter dum id non faceret ex contemptu. Lugo de pænit. d. 25. s. 4. alias est mortale.

12. Absolutè loquendo potest nullam imponere quando videt quod Pænitens aliter jam satis fecit; meliùs tamen est aliquam parvam imponere. id ibid.

13. Quantitas & qualitas Pænitentiæ, relinquitur Prudentiæ Confessarii.

14. Si videat quod pænitens non sit impleturus magnam, imponat parvam.

15. Scrupuloso qui cum ijsdem peccatis eâdem horâ redit, potest nulla de novo imponi Pænitentia.

16 Ei qui lucratus plenariam indulgentiam, modica imò posset nulla imponi.

17. Qui magnam non vult admittere pænitentiam punitivam, inducatur saltem ad parvam, ostendēdo illi enormitatem eius peccatorum, de tali dicit S. Antonin. in Summa Confess. p. 3. tr. 1. c. 12. *Iniungat ei pænitentiam quam libenter suscipiat: & si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione eius, saltem gaudeat quòd liberatum à gehenna transmittat ad purgatorium, provideat verò ne desperatum dimittat.*

18. Qui non vult admittere pænitentiam præservativam seu Medicinalem non est rectè dispositus, neq; potest absolvi.

¶. 2.

De obligatione & Commutatione Satisfactionis.

De his duobus sunto sequentes regulæ.

1. Pænitentiam quam potest facere, obligatur Pænitens sub mortali acceptare, & sub eodem implere, nisi parvitas excuset; parvā censetur esse quæ imponitur pro venialibus, aut mortalibus à quibus iam aliàs absolutus.

2. Potest Confessarius pro mortalibus gravem imponere pænitentiam, & solùm sub veniali ad illam obligare. Soarez. quia obligatio non oritur ex vi Sacramenti sed ex voluntate Confessarij.

3. Communiter pænitentia imponitur sub præcepto, etsi posset etiam sub consilio tantùm

tùm imponi in hunc modum. Si vis satisfacere pro peccatis fac hoc vel illud. Lugo de pænit. d. 25. s. 4.

4. Tenetur Ordinariè Sacerdos imponere pænitentiam. Quia est de integritate Sacramenti, cui debet ille providere.

5. Non potest pro suo placito Pænitens etiam in graviorem mutare pænitentiã. Quia illa non esset ex vi clavium, neq; pars Sacramenti.

6. Potest Confessarius ab alio impositam mutare ex causa, dummodo confiteatur ut pro quibus sit imposita cognoscatur, imò etsi pro reservatis, etsi non habet eandem potestatem ad absolvendum quam prior, quia iam non sunt reservata nec sub censuris etsi priùs fuerunt. Lugo d. 25. pæn. 6. si habenti potestatem antè confessus fuit.

7. Si sit impossibilis data, potest de hoc iudicare etiam non Sacerdos, vel si facta iam impossibilis, multò magis Sacerdos extra Confessionem, sed non mutare.

8. Si videt factam impossibilem, ad talem quam non impleturus Pænitens, vel difficulter impleturus, vt facultet Sacramentum, potest Sacerdos commutare dummodo audiat in Confessione pro quibus imposita etiã sed si erat Medicinalis in aliam Medicinalem mutanda. Bonac. de Pænit. d. 5. q. 9. s. 3

sed

ſed idem qui impoſuit pro libitu poteſt commutare etiam poſt longiſſimum tempus, dum meminerit ſtatûs Pænitentis.

9. Medicinalis eſt quæ præſervat à relapſu, vel alijs peccatis.

CAPVT II.

De Abſolutione.

IN primis ponemus formam abſolutionis, deinde de modo iudicandi an ſit Pænitens capax illius, de dilatione abſolutionis aut negatione, tum de abſolutione quorundam in particulari: ac tandem moribundorũ & ſcrupuloſorum, agemus.

¶. I.

Forma Abſolutionis.

Poſt auditam Confeſſionem & impoſitam Pænitentiam ſi Pænitentem viderit diſpoſitum abſolvit, præmittendo Oratiunculam ſequentem.

Miſereatur tui Omnipotens Deus & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen. Indulgentiam. *tum abſolvat à Cenſuris in hunc modum, à quibus poteſt.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui eſt Summus Pontifex abſolvat te: & ego authoritate illius abſolvo te, inprimis ab omni vinculo Excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti in quantum poſſum & tu indiges. *& ita quidem abſolvitur ſi non certum & clarum illum eſſe in cenſuris, nam infra dicemus quando caſus eſt certus.*

Henriq.

Henriq. c. 12. *Deinde absolvit in hunc modum à peccatis.* Deinde ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen. *Quod si pænitens fuerit Clericus nihil ex dictis omittendum, quod si non fuerit Clericus omittat, vocem hanc,* Suspensionis, *quia soli Clerici in suspensionem cadunt. Demum oret hoc modo pro pænitente,* Passio Domini nostri Iesu Christi & merita B. Mariæ Virginis, & Omnium Sanctorum, & quidquid boni egeris & mali sustineris (*addunt aliqui, patienter*) sit tibi in remissionē peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen. *Tum moneat pænitentem, det consilia, si non dedit ante absolutionem quo tempore magis dari expedit. deinde dimittat pænitentem, dicens,* vade in pace. Nunquam verò absens potest absolvi ita Clemens VIII. *Videat tamen Confessarius ut semper priùs absolvat Pænitentem ab ex communicatione, & interdicto, & si sit Clericus etiā à suspesione Praxis excitandi dolorem de peccatis.*

1. Consideret exemplum profanū Iulij Cæsaris, qui dum à viginti tribus coniuratis in Senatu trucidaretur, inter quos cum dilectissimum suum Brutum, cui plurima beneficia contulerat, vidisset, exclamavit. *Et tu Fili* ac si diceret, quòd me alij trucident non tantopere miror, nec tantoperè doleo, sed quod tu quem intimè dilexi, miror. & hic dolor me præcæteris sauciat. Imaginetur sibi, à si au-

si audiret vocem Christi sibi dicentis *Et tu Fili!* Verum est quia sentio omnes offensas mihi ab Gentilibus, Hæreticis, & alijs infidelibus illatas, sed quia etiam tu quem elegi è tot millibus, & inter domesticos meos collocavi, maximè cor meum sauciat, qui non tantùm assedisti mensæ meæ sed etiam me ipso vescebaris. Omnia peccata nostra, etiam venialia, sunt pugiones benignissimum cor Christi Iesu saucïantes.

2 Ab Exemplo S. Polycarpi, is à Tyranno impiè Christianos persequente iussus maledicere Christo, respondit. Octuaginta sex annis servivi Christo, & nihil unquam mali mihi fecit, quomodo igitur illum maledicere atq; offendere possum? Ita nos cùm incitamur ad peccatum dicere deberemus. Quid mihi Dominus meus Iesus mali fecit? Aut saltem post omissa peccata audiamus voces Domini *Attendi, & auscultavi & nullus est qui agat pænitentiam super peccatum suum.*

3. Ex una parte proponere Dei beneficia in nos collocata: ex altera parte nostra peccata in eum commissa. Hæccine gratitudo mea ille mihi tot beneficia, ego illi tot mala! & insuper expectat ut Filium prodigum. *Pater non sum dignus videre faciem cæli, fac me sicut unum de mercenarijs tuis. Peccavi coram te.*

4. Homo peccans etsi non ore, opere ipso

dicit. O Deus non tua sed mea voluntas fieri debet, tua voluntas erit sub pedibus meis, mea voluntas erit supra caput tuum. Quod quàm sit absurdum ex hac similitudine ali quomodo agnoscetur. Si Rex in solio suo Regali sederet, assidentibus illi Principibus & veniret unus vilissimus lixa, ac de capite eius coronam decerperet, dicens. Non tu es Rex, ego ero Rex, & coronam suo capiti imponeret. quantis iste dignus censeretur pœnis. Ita fit in præsenti. Homo quantum in se est, abripit de capite Divino Coronam, & sibi aut rei cuipiam vilissimæ creatæ imponit, v. g. uni voluptati. Obstupescite cæli super hoc & portæ eius desolamini vehementer. fleant amarissimè pacis Angeli.

5. Deus est naturæ infinitæ, Sapientiæ infinitæ, ac semper omnia intuetur, ratione cuius debetur ei reverentia ab omni creatura, præterea debetur ipsi, ut caveat creatura, ne eum re quapiam offendat. Homo autem aufert Deo obedientiam, reverentiam, quam debebat, & infert irreverentiam ponens turpitudinem quam oculi Divini purissimi debent intueri.

6. A Deo respectu omnipotentiæ pendent omnia in esse, conservari, operari, & omnimodè ideò Creatura indiget concursu Dei & cooperatione. Hoc Dei cõcursu homo abutitur in o-

fen-

fensam Dei, ad eum modum, quo aliquis manu acceptâ Regiâ eidē alapam impingeret. unde apud Prophetam qurritur. *Servire me fecisti in iniquitatibus tuis.*

7. Non solùm attributa Dei sed etiam naturam præsertim secundæ in Trinitate personæ violat peccator. Secunda Persona est Deus homo, hanc personam in duplici natura, quantum est in se, occidit peccator. Divinam quidem quia regulam rectè agendi quæ est Dei scientia & voluntas vult evertere & suam statuere. Humanam verò, quia eum rursus crucifigit. Quia propter peeccata est mortuus Filius Dei, nec dimittitur peccatum nisi ratione huius mortis. & ita homo peccans iterum crucifigit, quia sciens peccatum non posse aliter tolli nisi Filij Dei morte, audet illud comittere.

8. Deus habet duplicem dignitatem. 1ma est, *primi principij*, hæ sita est in hoc, quia Deus à nullo quidquam accepit, sed in se omnia habet. 2. non est præter Deum nec esse potest ullum bonum aliud nisi à Deo à quo sunt omnia. Peccans autem exuit hâc dignitate Deum. ad Deum homo referri debet, ab eo recedit, & in ea re ponit fiduciam ad quam se convertit. 2da. dignitas est, *ultimi finis*, & in hoc est, quod Deus est talis qui per se placet, alia placere non debent nisi propter Deum,

homo eo indigere debet ad omnia; quando illum habet, omnia habet. Peccans exuit Deum hâc dignitate & aliam rem pro fine suarum cogitationum, intentionum, ponit; ut, avarus ponit divitias, superbus dignitatem.

9. Peccator contemnit amicitiam Dei & charitatem. Deus ideo hominem creavit ut se cum eo oblectaret, & ideò eum attrahit per scripturam, Concionatores &c. homo peccans contemnit, & mavult creaturæ amicitiam. v.g. in Oratione quando distrahitur, Dei colloquium deserit & Creaturæ arripit.

10. Irritat peccator Iustitiam Dei Omnipotentis, eo ipso momento quo peccat, Deus non unum condemnat ad Infernum, hoc tamen homo nihil curat. sed videat quò cum hac irritatione deveniet?

11. Peccator magnam ingratitudinem exhibet, Deus ab instanti Conceptionis nostræ innumera in nos effundit beneficia pro quibus meretur gratitudinem. Homo peccans non tantum non reddit gratitudinem, sed infert ingratitudinem.

1. Labores, dolores lacrymas &c, Christi evertit, & in nihilum quasi convertit peccator. Inter cætera ideò Dei Filius venit ut malitiam ostendat peccati, ideò ipse non peccans, toties pro nostris peccatis labores, dolores &c. suscepit, homo peccans hæc omnia nihili facit.

De

De Satisfactione.

Satisfactio non est pars essentialis Pænitentiæ. Soar. d. 38. sect. 1. n. 3. potest ad eam acceptandum cogi Pænitens, & quidem si levem acceptare nollet, non est absolvendus. Soar. l. c. si gravis sit satisfactio illamq; omittat implere pænitens, peccat graviter. Lugo. maximè si fuit ordinata ad præservandum.

1. Non est mortale illam differre non valdè diu si non affixa tempori. Lugo disp. 25.

2 Levem omittere etiam pro mortalibus impositam, est leve. Soar. d. 38. s. 7.

3 Qui pænæ gravis circumstantia omittit gravem peccat graviter, qui levem leviter. gravis est flectendo orare Rosarium Lugo l. 1. a. 93.

4. Non potest sibi pænitens commutare pænam in maiorem. Henriq l. 5. c. 2. Si tamen intolerabilis & irrationabilis, potest doctus Pænitens declarare te ad eum non teneri ex toto vel parte. Henriq. lib. 5 cap 22. n. 3.

5. Impositam ab uno alter Confessarius potest commutare in aliam etiam pro reservatis. Vaiq q 94. a. 2. dub. 2. n. 9. Sed saltem confusè priùs debet cognoscere pro quibus imposita. Lugo l. c. n. 107.

6. Qui quod iniunctum erat fecit etsi non intentione satisfaciendi non tenetur secundò facere. Lugo d. 23.

 7.

7. Quantùm possibile semper imponat Sacerdos pænitentiam, etiam moribundo levissimam. Henriq. lib. 5. c. 20. n. 6. imò extra hunc casum pro mortalibus sub mortali tenetur imponere. Lugo d. 25.

8. Pæna debet esse proportionata peccatis & viribus Pænitentis & dolori. Id. ibid. & quam prævidet non implendam, relinquat, item nimiam, ne absterreat à Sacramento. Soar. d. 38. sect. 4. n. 4. imò potiùs levem imponat excitando ad maiorem dolorem, id. ibid. sed moneat eum quòd iustò leviorem imponat. ibid.

9. Potest pro pæna imponi ad quod aliunde obligatus, vel quod aliàs certò facturus S.Th. quod l. 5. & 28. illam verò quæ multùm quidem prodesset, sed non videtur Pænitens facturus v.g. confiteri frequenter, ieiunare &c. potiùs commendat quàm imponat Henriq. cap. 25. n. 2. cavendum tamen ne ob levem Pænitens satisfactionem levipendat peccata. Henriq. cap. 22.

10 Tempore Iubilæi aut Indulgentiæ minor imponenda. id.

11. Incapax est absolutionis qui laborat ignorantiâ circa mysteria cum fidei, multo magis si nesciat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis D. N. I. C. quæ etiam mysteria non satis est semel in vita credidisse.

¶. 2.

¶. 2.

De capaci & incapaci Absolutionis.

Greg. 2. q. c. 3. de pænit. d. 1. Cap. neminem. dixit. *Tunc verá est absolutio Sacerdotis, cùm interim sequitur arbitrium Iudicis (Dei) qui nunquam absolvit impænitentem.* hoc est indispositum. proinde advertat diligenter an sit dispositus. Nam sive disposito negaverit, sive indisposito dederit absolutionem graviter peccabit. rem hanc quibusdam regulis securã facere conabimur.

1. Incapax est qui nec dolorem, nec propositum cavendi à peccatis ostendit, qui non vult satisfacere quibus debet, qui non vult remittere offensam, (nam ut fiat iusticia prosequi ius potest;) qui peccatum mortale quod fecit, negat. qui nullam materiam attulit, id est nullum peccatum dixit, aut solùm sub dubio. fortè feci, forte consensi. &c. sed aliqua horum adhuc infra examinabimus.

2. Incapax est qui nescit ea quæ sunt de necessitate salutis, vt mysterium Trinitatis & Incarnationis. hic tamen iuvari potest, dum eliciat fidei actus circa ista Confessario præcunte, & doleat quod non didicerit, habeatq; discendi propositum. Sanch. lib. 2. in Decal. cap. 3.

3. Absolvi non potest excommunicatus, à peccatis, si non possit priùs absolvi ab excom-

municatione. Suſpenſio & interdictum aliquando abſolutioni non obeſt. Quia ſuſpenſio poteſt eſſe ſolùm in ordine ad Beneficium & officinm non autem ad abſolutionem. Interdictum ſolos eos involuit & impedit à privata abſolutione, pro quorum culpa, dolo, aut fraude latum interdictum aut ad illud crimen dederunt conſilium aut auxilium. Irregularitas ſolùm à participatione Ordinum excludit.

4. Abſolvi non poteſt qui non eſt paratus reparare ſcandala, aliaq; damna quæ intulit qui non vult denunciare cùm debet.

5. A cenſura abſolvi non poteſt qui ſatisfacere recuſat Iudici.

6. Abſolvi non poteſt qui non vult exire ex ſtatu mortali. qui malâ fide aut cum ignorantia vincibili rem alienam detinet, qui eſt in Matrimonio irrito, nec vult errorem corrigere. Quodſi dubites an ſit ſtatus ille mortalis, priuſquam abſolvas, conſule doctiores, aut libros.

7. Abſolvi non debet qui non vult deſerere proximam peccandi mortaliter occaſionē cum poſſit & teneatur, de quo infra. audiri tamen debet vt monitionibus bonis iuvetur. Cap. quòd quidam de pænit & remiſſ.

8. Poſtquam in dubio an ſit ſtatus Mortalis, conſultis viris doctis & libris, adhuc

manet

manet dubium. abſovat. cap. ponderet d. 50: Qui veſtitum non mutat quem debet ſub mortali, non poteſt abſolvi. Veſtitus mortaliter malus eſt quando propter finem mortalem aſſumitur, vel qui per ſe ad libidinem incitat, quia v. g. male tegit quæ ſunt tegenda: item qui prohibitus ſub mortali. Quod pectus detegatur in Gallia, Italia, non cenſetur eſſe mortale niſi ratione peregrinorum, quia incolas propter conſuetudinem iam non incitat, ſed qui eum de novo ad locum aliquem induceret, peccaret graviter, quanquam vbiq; deberet tolli. Item mortaliter peccat qui fert veſtitum paratus eum ferre etiamſi alij ſcandaliſarentur, etiamſi eſſet coniunctus cum peccato mortali, etiamſi propter illum non poſſet debita ſoluere, aut cogeretur furari, non dare elëemoſynam quando ſub mortali obligatur dare hic non eſſet abſolvendus. In veſtitu tamen, fuco faciei, plùs licet coniugatis & ijs quæ ſe ad nuptias diſponunt, quam alijs quæ videntur non niſi ſine malo talem veſtitum aſſumere.

9. Capax abſolutionis qui omnia dixit quæ illi in mentem venerunt, quod credendum eſt illi affirmanti, præparatus item acceſſit, aut eius defectum ſupplevit Confeſſarius, dolet de peccatis. *ſigna ſunt quòd doleat.* Si non excuſat ſed potius ſe accuſat. Si pænitentiam libenter

 acce.

acceptat imò maiorem petit. Si lacrymatur, Si dicit se dolere. Si ostendit se timere iudicium Dei, infernum.

¶ 3.

De Negatione aut dilatione absolutionis.

1. Neganda est illi absolutio qui se dicit ea non posse mutare quæ faciunt incapacem absolutionis. de quibus § præced.

2. Potest Pænitens petere ut ei differatur absolutio. Lugo de pænit. d. 14. s. 10.

3. Potest differri absolutio ad probandum alicuius propositum an sit verum. id. ibid. vel vt crastinâ die possis illi dicere longam exhortationem, pro qua hodie tempus non habes vel non es dispositus. vel ut terreatur sicq; magis caveat à peccatis.

4. Debet differi quando est necesse consulere libros, vel viros doctos de peccatis pænitentis.

5. Non potest differri, quando nihil obstat & Pænitens est capax illius, neq; vult differri: aut quando timetur ne ex eius dilatione desperet, aut deinde non sit illum commoditas absolvendi.

6. Quando dilata est alicui absolutio, tamdiu potest Confessarius absolvere (supposito quòd Pænitens in novum mortale non sit lapsus) quamdiu saltem in confuso recordatur eius peccatorum, vel saltem Pænitentiæ quam

illius peccatis proportionatam destinabat. & Pænitens satisfacit si ante absolutionem dicat. *Doleo de his quæ tibi nuper sum confessus.* Quodsi etiam Pænitentiam imposuit Pænitenti, non est opus ut recordetur etiam confusè peccatorum, quia solùm illorum debuit recordari in ordine ad pænitentiam proportionatam; sed satis quòd meminit fuisse taliter peccatorem dispositum. Soar. de pænit. d. 22. s. 6.

¶. 4.

De quorundam in particulari absolutione.

De Recidivis.

Si aliquibus, certè Recidivis oportet suspendere aliquando absolutionem, experiendo an saltem hoc modo retrahantur à peccatis qui toties relabũtur, & assignare tempus quo elapso veniant accepturi absolutionem, interea præscribere ipsis remedia quæ iuvent ad peccati evitationem. Si quis non redierit absq; gravi causa, signum est quòd non fuerit verè dolens. imò qui citó post confessionem relabitur, probabile est quòd pro illa fuerit malè dispositus, & revera non absolutus. quia accepisset gratiam quæ illum saltem ad aliquod tempus confortavisset, inquit Emerius. sed relictâ hâc coniecturâ, statuamus regulas.

1. Cum recidivus accedit, diligenter cognoscendum, cur recidat? an propter locum

certum quem adit, an propter ſocios, libros, otium, atq; hæc prohibeat. Suadeat interim multas orationes & mortificationes; pœnitentias graves iniungat. De cætero.

2. Si cum ijsdem peccatis ſæpè veniat, & verum dolorem habere advertatur, ſtatim eſt abſolvendus, quia verè dolenti non eſt differenda abſolutio. Secùs agendum, ſi prudenter æſtimando non videatur eſſe verus dolor.

3. Non eſt abſolvendus qui nulla ſigna oſtendit emendationis, nec quidquam ex præteritis minuit.

4. Signa emendationis habet atq; eſt abſolvendus; qui ſponte, ſi aliàs nonniſi coactus, accedit: aut extraordinarie ad confeſſionem, rariùs peccat, ſeu pauciora affert, maiorem dolorem oſtendit. Layman lib. 5. tr. 6. cap. 4.

5. Non eſt recidivus qui in eadem venialia relabitur.

6. Non eſt recidivus, qui in alia & alia mortalia labitur.

De ijs qui ſunt in occaſione proxima peccandi.

Occaſio proxima eſt in qua probabiliter credit ſe eſſe peccaturum mortaliter, vel quia in id expertus, ſemper aut ferè ſemper, non autem ſolùm aliquando, vel in alijs, vel communiter, creduntur in ea poſiti homines pecca-

re

re. Lugo de pænit. d. 14. sect. 10. de hac sunto regulæ.

1. Qui occasionem proximam potest deserere neq; deserit, non est absolvendus.

2. Qui non potest deserere proximam propter magnum in commodum, scandalum, damnum honoris, famæ, aut bonorum &c. si est verè contritus; absolvatur, suadendum tamē ut crebro Sacramentis utatur, remedia fortia adhibeat.

3. Non est in occasione proxima de quali hîc agitur; qui conversatur cum aliquo nec vult eum deserere à quo trahitur ad diversæ speciei & non ad eadē peccata, ut nunc ad furtum, nunc ad homicidium; nunc ad ebrietatem, estq; absolvendus. Soar. Filiuc.

4. Qui est in occasione proxima, si interim Confessario occurrat aliquod medium per quod Pænitentem probabile putet posse præservari, & hoc admittat Pænitens, est absolvendus. & licet iterum atq; iterum peccet; dummodo aliqua emendatio appareat, est absolvendus. potest tamen aliquando absolutio differri.

5. Qui habet dolorem extraordinarium & propositum resolutum, etsi sit in occasione proxima, debet absolvi. Lugo. de pænit. disp. 14. s. 10.

6. Qui proponit se novis medijs vsurum

ad

ad evitandum peccatum & sic sperat se illud evasurum, etsi sit in proxima non libera occasione, est absolvendus. Qui semel absolutus promittendo occasionem liberam proximam dimittere neq; .

7. Dimisit non absolvatur secundo. Soar disp. 32. sect. 2. n. 3.

8. Non est in occasione proxima quamvis in ea peccet, si eam non possit dimittere & talis absolvendus si habeat firmum propositum. Soar disp. 82. n. 4. sed si nulla in tali appareat emendatio differi debet absolutio Castropalao tr. 2. de pecc. d. 2. p. 9. § 3.

9. Qui habet domi concubinam cum scandalo, vel infirmus, non absolvatur nisi eam eijciat. Nau. 16. n. 20.

10. Qui non vitat occasionem in qua ferè semper peccat mortaliter, aut moraliter certus est se peccaturum, peccat moraliter atq; si opere ompleviffet, & circumstantias debet explicare. Sanch. lib. 1. dec. cap. 8.

De ijs qui non ostendunt se dolere.

Proponatur tali severitas iudiciorum Dei cum omni charitate & compassione. proponatur gravitas, & de formitas peccati. Dei dignitas contra quem peccatur, Bonitas, beneficia, quatuor nouissima explicentur. quod si adhuc constet non dolere, aut valde probabile sit eum non dolere, negetur absolutio, & inte-

interim aliqua pia opera, præcipuè misericordiæ sunt præscribenda, & monendus ut iterum redeat.

Quodsi ex negata absolutione ostendat se desperare instruendus est cum charitate, & Confessarium & illum commissurum sacrilegium, & nihil valituram absolutionem, si detur illi absq; dolore.

Quodsi ille ex hoc ad maiora se præcipitet scelera, non curet Confessarius: id enim malitiæ Pænitentis adscribendum.

De eo qui negat peccatum.

Potest contingere ut Confessarius aliunde sciat peccatum, pænitens tamen illud omninò neget in tali casu quid agendum sequentes regulæ docebunt.

1. Quando certò & evidenter scit Confessarius quòd Pænitens peccaverit: & æquè certò scit quòd non sit Confessus alicui alteri, non potest illum absolvere. Soar. d. 32. de pænit. s. 3. interea regulariter loquendo poterit talis absolvi quia potest fieri ut habeat causam iustam tacendi illud peccatum, vel sententiam pro illa probabilem quæ excuset à Confessione vel iam confessus. Lugo. d. 22. n. 21. vel sit omninò oblitus. &c.

2. De peccato prædicto, antequam absolvat, cautè inquirat Confessarius ut in notitiam illius aliquomodo reducat Pænitentem.

3. In prædicto casu, si peccatum illud Confessarius tantùm scit ex suspitione, vel aliorũ narratione. absolvat.

4. Si peccatum illud scit ex Confessionẽ complicis, hâc scientiâ uti non potest; etiamsi complex dederit facultatem, tum ob scandalum, tum ob alia incommoda, quæ inde possunt emergere, præterea Pænitens in hoc foro est testis contra se & fidem debet habere potiùs quàm alter. & cavere omninò debet ne se ostendat scire illud peccatum nisi prior Pænitẽs dedisset licentiã. Henri. l.5.c.20.

De eo qui imparatus confitetur.

1. Graviter peccaret Sacerdos qui absolveret eum qui nullum peccatum dixit.

2. Quem videt non satis se examinâsse, suppleat interrogando: nisi tempus excuset, quia v. g. instat conflictus, naufragium, aut alius casus, qui excusat ab integritatate materiali.

3. Quodsi Confessarius interroget, & Pænitens nolit examinari, vel respondeat quid pro quo, non debet absolvi, sed remittendus cum suavi monito ut se meliùs præparet.

4. Non tenetur supremo modo examinare Pænitentem, sed moderatè & eo modo quo Pænitens seipsum tenetur examinare. quare rudis minùs examinandus quàm alter cultus, minùs capite ægrotus, quam sanus: minùs

etiam

etiam qui totius vitæ confitetur peccata; quàm qui paucarum septimanarum. alioqui redderetur nimis onerosa confessio, si diu non confessus vel numerum ita exactè vel species cogeretur dicere, quàm qui non multò antè suam conscientiam mundavit. Si aliquam interrogationem omittat ex oblivione, inanimadvertentia, non peccat examinator & Pœnitens.

De Rudibus, uti sunt Rustici, Pueri.

1. Pueri, si dubium an usum rationis habeant, sub conditione in mente habita (*si habes usum rationis*) sunt absolvendi.

2. Qui non sciunt ea quæ scire debent, nec instrui hîc & nunc planè possunt, vel quia sunt valdè hebetes, vel quia multus confluxus Pœnitentium, elicito actu fidei circa ea quæ sunt de necessitate salutis, & dictis peccatis absolvi poterunt cum onere redeundi ad pleniorem confessionem.

3. Advertendum an habeant propositum non peccandi, quo si careant, non sunt absolvendi.

De ijs qui pœnitentiam præteritæ Confessionis non fecerunt.

1. Vrgeantur ut statim expleant, quòd si rationabiliter ostendant se implere non posse, curent illius commutationem modo posito cap. præc.

2. Cui iniuncta est valdè gravis, potest modo supradicto petere ut mutetur in leniorem, imò in multum lenem, sed si illam nollet facere, esset incapax absolutionis.

De Habente casum reservatum.

1. Si Confessarius non habet potestatem ab illo casu absolvendi, tunc vel remittat Pænitentem ad Superiorem cui est reservatus; vel differat absolutionem, & ipse interim procuret potestatem, quam dum procurat nullâ ratione revelet pænitentem, alioqui sigillum Confessionis violaret. Soar. disp. 32. sect. 2.

2. Si dicat Pænitens se habere facultatem ut possit absolvi, est absolvendus.

3. Si dicat iam se absolutum à reservatione, vel remissum à Superiore ad Confessarium ut ab omnibus absolvatur, est absolvendus.

4. Si Pænitens non audeat accedere Superiorem cum reservato, idq; ex causa rationabili, tenetur Confessarius, ex charitate, facultatem eum absolvendi, petere.

5. Non licet absolvere habentem reservata etiam indirectè, & cum onere se Superiori sistendi, nisi fuerint tales circumstantiæ, quæ excusent ab integritate materiali confessionem: ut cùm non possit adiri superior & instat periculum infamiæ, & aliorum gravium malorum nisi Pænitens communicet, aut Missam dicat. tum etiam à reservata excommuni-

municatione absolvi potest. Soar. d. 32. s. 2.

6. Quodsi Pænitens bonâ fide reservatorum nullo modo recordetur, est absolvendus.

7. Circa Religiosorum reservata, videnda illius Religionis praxis.

8. In dubio an sit reservatus & Confessarius habet rationem ob quam putet non esse reservatum, potest absolvere. Lugo d. 20. c. 16. Quando certum est casum illum esse reservatum sed dubium est an Pænitens illum fecerit, nec ratio maior est pro una quàm alia parte probabilius est posse absolvi nec debere Superiori sistere. Lugo ibid. n. 21.

De errante Pænitente.

1. Quando Pænitens versatur in errore culpabiliter v. g. de restitutione, de lucro, contractu &c. illicitis, putando esse licita. error est illi apperiendus. Lugo de Pænit. d. 22. s. 7.

2. Quando error est cum damno Pænitentis, v. g. credit se obligatum sub mortali ubi nulla est obligatio, quod accidit frequenter illis qui sunt in Confraternitatibus qui putant se obligatos sub mortali ad dicendas preces, faciendas abstinentias, quæ illa Confraternitas ex devotione usurpat. monendus est quòd erret. idem est. Si putet esse mortale quod est veniale. Lugo l. c.

3. Si error non est cum damno Pænitentis, speratur tamen fructus si moneatur; monen-

 dus

dus est. Si non speratur fructus, vel apertâ veritate graves difficultates sequerentur, dissimulandum, quod maximè locum habet in Materia Matrimonij & Restitutionis quando restitutio tantùm privatos damno afficit, nam si afficeret communitatem, deberet aperiri veritas. id. ibid.

4. Quando Confessarius prudenter iudicat, quod illius Pænitens errans bonâ fide in re gravi etiam cum damno aliorum, & non sit recepturus hîc & nunc monitionem, monitionem in tempus commodius differat.

5. Quando Pænitens ipse interrogat volens rei scire veritatem circa rem, circa quam errat: tenetur Confessarius sincere illi aperire veritatem. aliàs particeps fieret eius peccati.

6 Quando dubium est, utrùm ex apertione veritatis, maius commodum, an incommodum secuturum: rem bene in utramque partem expendat Confessarius. & tandem faciat quod illi videbitur in Domino.

7. Quando Pænitens interrogat de rei veritate, non plùs respondendum quam quærit, si ex plùs dictis non speretur fructus.

8. Non facilè præsumi potest, de Principibus, Prælatis, Magnatibus, quòd ex ignorantiá invincibili operentur, iura subditorum violando, malè illorum bono providendo, indignis beneficia conferendo.

9. Qui manet in ignorantia invincibili, si ex omissione monitionis grave sequeretur scandalum, aperienda illi veritas.

10. Si Pœnitens agat bonâ fide. v. g. retinet alienum, & videtur redditurus si moneatur, monendus est: si videtur non redditurus, dissimulandum. Soar. d. 32. s. 4. Item, si Pœnitens obliget se ad aliquid faciendum, neq; videatur illud modò facturus si moneatur, monitio differenda in tempus commodius. Lugo. d. 22. n. 27. quod locum habet cùm inter coniuges intervenit affinitas ab illis ignorata. vel impedimentum aliquod etiam dirimens & illi pergunt bonâ fide, & si monerentur sequeretur scandalum, infamia, turbæ. &c. tunc enim dissimulandum est. Lugo ibid. sed si dispensatio obtineri potest, quam Episcopus pro occultis Matrimonij impedimentis dare potest nomine tacito, & malum nullum timetur, sunt monendi, ibid. sed tutius priùs obtinere dispensationem tacito nomine. Non monendi verò coniuges discordes, qui eâ occasione cum scandalo vterentur. Moniti verò coniuges cautè renovent Matrimonium ne se prodant. vocato v. g. Parocho ad prandium cum testibus (nam vt declaravit Congr. Cardin. consensus debet eodem tempore esse & Parochus) dicat v. g. Ita te amo vt si te non accepissem in coniu-

 gem,

gem, modò te acciperem: & an me etiam tu acciperes. si illa annuerit, contrahetur de novo Matrimonium.

11. Si dubitat an sit Pænitens in bona fide, post audita peccata interoget cum Confessarius an habeat scrupulum in aliqua gravi materia: si neget, supponat eum esse in bona fide. Lugo. d. 22. n. 23.

12. Quod dictum de bonâ fide contracto Matrimonio, idem omninò sentiendum de contrahendo, ut scilicet taceatur impedimentum ignotum etiam dirimens, si timentur scandala. Lugo. ibid. n. 24.

De Scrupulosis.

1. Scrupulosus est qui levibus coniecturis & nullâ alicuius momenti ratione; persuadet sibi se peccâsse, imò pro ratione allegat *Fortasse* vnde oritur angustia, timor, & nulla ex confessionibus quies.

2. Anxietates aliquando à Deo immittuntur, & istæ faciunt salutis & perfectionis studiosum: aliquando à dæmone, & istæ faciunt irrequietum, pusillanimem, turbatum, sine pace animi & devotione, & inducunt ad bona omittenda, mala incurrenda, id est, desperationem, iram, aversionem à rebus Spiritualibus.

3. Explicandum scrupuloso. Quòd sit aliud sentire inpulsum ad peccatum, aliud consentire.

sentire. v. g. Communicaturus es hodie, intrusit tibi aliquis in os Saccarum: expuis, repugnas, non habes consensum in comestionem saccari etsi eius dulcorem percipias; ita se res habet etiam in tentatione. Præterea aliud cognoscere aliquid, aliud assentiri hoc ita esse, & iudicare. v. g. Venit in mentem hæc proposito hæretica. *Christus non est Deus*. non ideò tamen iudico illam esse veram. cognitio rei malæ non est peccatum, sed iudicium & assensus est pecatum. quæ duo confundunt scrupulosi.

4. Vbi scrupulosus non videt esse peccatum non putet esse peccatum v. g. Si non certò & clarè scit se non dixisse Breviarium, credat se dixisse. Si non certò & clarè videat se in peccatum consensisse, credat se non consensisse. nisi certò sciat se in excommunicationem incidisse credat se non incidisse. In dubijs ita agat atq; videt bonos & salutis suæ studiosos agere. Licitè potest conscientiam deponere consilio vnius docti viri. Sylu. v. Scrupulus. Tabiena eodem. imò consilio prudentis viri etsi non docti. Sylu. Tab. S. Antonin. Nau.

5. Si putat se probabiliter bonum examen fecisse pro Confessione, præsumat certò se bonum Examen fecisse. Si probabile habet quòd hoc vel illud peccatum fuerit Confes-

sus habeat pro certo se esse Confessum. Non permittatur autem ex præteritis Confessionibus quidquam repetere nisi certò illi constiterit fuisse omissum. non est autem certus quamdiu de hoc dubitat. Qui scrupulosus non videtur sibi satis bene confessus, & interea labitur in gravia, inducendus ad serium dolorem & vitæ emendationem, & confessiones repetere non permittendus. verùm non debet acriter reprehendi sed spe salutis & remedijs confirmari.

6. Dicatur scrupuloso quòd sit in magno periculo nisi iudicio alterius acquiescat. Credat verò, nec Deum, nec rectam rationem obligare ad illa quæ à viro docto pro vanis & ridiculis iudicantur, & sciat quod eius iudicium in re scrupulorum debeat illi esse suspectissimum, & ita nihil sibi fidat sed Deo, & Dei locum tenenti Confessario. Si autem velit sibi dubium resolvere, iuvabit ut imaginetur quòd ipsi hoc dubium alter proponat & quid illi consilij in eo daret, sibi applicet. Sylu. v. scrupulus. n. 3.

7. Persuadeat sibi se non consensisse tentationi, si est ita constitutus ut mallet mori quàm peccare. Non se peccâsse sciat, si ante factum non advertit. Si doluit & proposuit omnia mortalia vitare dum confiteretur, bene est confessus, si præterea constituerat o-
mnia

mnia in confessione dicere, etsi alicuius fuisset oblitus. Non fecisse putet se illud mortale de quo ita est dubius ut non possit iurare se illud fecisse In inquietudine sciat Deum velle ut Confessario acquiescat: & serio se Deo per actus spei, & fiduciæ resignet.

8. Sciat scrupulosus quòd peccatum itá sit voluntarium ut sine voluntate peccatum esse non possit. quare omninò ad hoc requiritur consensus. qui perfectus est cùm procedit ex plenè deliberatá mali electione, vel claré animadversâ rei debita omissione. Imperfectus verò, cùm re leviter menti oblatâ, obrepit potiùs negligentiori voluntati motus quam deliberato consilio suscipitur. S. Aug. lib. de vera Relig. c. 14. Prior consensus in materia gravi mortale peccatum est v. g. Si hinc gravis in Deum, vel proximum, vel nosmetipsos redundet iniuria. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. & 2. Posterior consensus venialem culpam non potest excedere quamcunq; tandem circa rem versetur. S. Th. l. c. Bell. lib. 1. de amiss. gratiæ c. 11.

9. Licet sola mortalia confiteri debeamus venialia tamen confiteri utile est, quia si de his dolueris statuerisq; illa vitare sine confessione dimittuntur. maximè si cùm de illis doles aquâ te benedictâ aspergas, aut percutias pectus, aut signum tibi S. Crucis im-

 primas.

primas, aur Orationem Dominicam, aut Confiteor &c. dicas. Trid. Sess. 14. c. 5.

9. Dolor in Confessione sive sit propter Dei offensam, sive ob pænas æternas, non est necesse vt lachrymas exprimat, aut sit sensibilis, satis est ut voluntas ita peccatum detestetur ut propter rem nullam deinceps velit peccare. Soar. t. 4 d. 20. s. 4. Quodsi certum numerum peccatorum mortalium non possis habere, putas tamen v. g. decies fecisse, sufficit ut dicas feci decies plùs minùs. Id d. 22. s. 1. n. 38. Quodsi in idem peccatum sæpius incideris, satis si dicas te id solitũ tanto ex tanto tempore facere si v. g. anno vno, dicas te vno anno solitum peccare quâvis hebdomadâ quater aut quinquies, aut quolibet mense bis terve. Lopez. 1. p. instit. c. 32. q. 2. ex Soto. in 4.

10. Qui conscientia diligenter excussâ, & dolore de peccatis concepto ab illis desistere firmiter statuit atq; idoneo Sacerdoti confessus est eo animo, vt neq; pudore aliâ causâ celara quidquam vellet, adeoq; absolutus fuit, si postea de confessionis integritate scrupulum habeat, sit certus quòd bene fuerit confessus, etiamsi scrupuli occurrant hoc vel illud fuisse omissum, nisi aliquid clarè occurrat quod certò sit omissum. Gerson. p. 3. tr. de temid. Pusillan. & tr. de divers. diaboli tentationibus.

11.

11. Quodsi cogitationes, blasphemiæ, luxuriæ, superbiæ, invidiæ, suspicionis, & id genus aliæ te molestant, signum est quod non consenseris. 1. Si ab ijs priusquàm venerint abhorreas vehementer. 2. Si eas tibi occurrere vehementer doleas. 3. Si valdè cupias ab illis liberari. Si ita est, nihil de illis cura, nec in illas inquire, nec cum illis disputa, sed contemne. Gerson. tr. de diu. diab. tent. Etiam hæc sunt probabilia signa quòd non consenseris, 1. Postquam cessavit tentatio, examinate quomodo sis constitutus circa Dei præcepta, si ita quòd mori malles quàm Deum offendere, puta te non consensisse, 2. Reflecte te ad alias præteritas actiones, & diligenter adverte si soleas tentationi quoties occurrit resistere vbi ad mortale peccatum incitaris. 3. In ipso fervore tentationis, si quis te interrogasset, visne consentire tentationi? si responderes, nolo, detestor illam. hæc tria signa probabiliter ostendunt quòd non consenseris. Anton. Balinghem. Tr. 1. triumph. Castit. act. 5. cap. 10.

12. Deniq; ut quis iuvet scrupulosos debet advertere vnde scrupuli oriantur. Quibus oriuntur ex timore naturali, illi etiam in alijs rebus sunt perplexi, & blandè sunt animandi ac spe bonâ implendi. Quibus accidunt ob læsam phantasiam, curandi medicinis. Qui-

bus

bus ob debilitatem vel capitis fatigationem, talium caput à Medico roborari debet. Quibus ob superbiam, quia soli proprio fidunt iudicio, exaggerenda hæc illis superbia. Quibus accidunt arte dæmonis pacem eorum volentis turbare, isti vacent exercitijs humilitatis, orationi & mortificationi. Quibus procedunt ex Melancholiæ excessu, humor hic illis per Medicinas subtrahatur, & ne augeri possit occurratur.

De Confitente Generaliter.

1. Non permittatur facile & sine necessitate repetere carnalia, vindicativa & similia quo possunt facere periculum novi peccati.

2. Qui Confitetur generaliter non est opus vt distinguat peccata, dicendo, hæc sum Confessus, hæc nondum: imò satisfacit etsi de industria recentia cum antiquis commisceat sicuti etiam non est opus ut Sacerdos vel Religiosus dicat, quod hæc fecerit iam Religiosus &c. satis est si dicat quod fecerit hæc iam habens votum Castitatis. ita Henriq. Soar. de pænit. d. 22. s. 9. n. 2. Sanchez &c. Nisi casus sit qui vno tempore reservatus, alio non: & Confessarius a reservatis non possit absolvere. v. g. antequam fuisset Religionem ingressus non fuit reservatum, post post ingressum, reservatum, tum distinguendum est peccatum, ut pro reservatione quæ-

ratur

ratur facultas. Sed si Confessarius habet potestatem a reservatis absolvendi, non est opus istâ distinctione, excipe casum quando Pœnitens est in proxima occasione peccandi ut eam advertat Confessarius, cum dicendum quòd hæc peccata recenter comiserit, si tamen ipsemet Pœnitens velit occasionem proximam tollere, non erit etiam hâc distinctione opus. Dicere tamen de recenti peccato quòd sit vetus, esset mendacium.

3. E Mortalibus quæ iam rite confessus potest quæ vult omittere.

De Excommunicatis, suspensis, Interdictis.

1. Si ab Homine est excommunicatus nominatim remittendus est Pœnitens ad eum qui excommunicavit, vel ad superiorem illius. Si tamen casus necessitatis vrgeat, & habeat potestatem absolvendi. *Cap. ex tenore de sent. excomm.* exigatur priùs iuramentum à Pœnitente quòd de cætero talia crimina non sit patraturus pro qualibus excommunicatus; exigat etiam priusquam absolvat, vt satisfaciat cui debet: vel si hoc statim facere non possit, det cautionem & fideiùssorem: vel iuret quod satisfaciet quamprimùm poterit. Sà. V. excom. Lugo. d. 20. n 204 & hæc duo debere exigi etiam in Iubilæo sive privatim sive publicè absolvatur ab excommunicatione reservata, aut non reservata. & quidem cautio-

tio semper exigenda. iuramentum verò saltem in magnis criminibus, qualia sunt Falsarij, Incendarij, Percussoris Clerici Notorij & eiusmodi, & illa quæ comprehenduntur in Bulla Cænæ. Moneat insuper Confessarius quem priuatim absolvit in foro interiori, talem absolutionem nihil illi profuturam in foro exteriori, sicut etiam monere solent Pontifices in Iubileis. Moneatur item si est Clericus Beneficiatus, quamdiu fuit in Excommunicatione fructus non fecisse suos.

2. Eadem sunt observanda in alijs omnibus excommunicationibus, sed quæ generaliter, vel à Iure latæ, non est opus remittere cum illis ad Iudicem eas ferentem. sed potestas habenda absolvendi.

3. In casibus Bulæ Cænæ debet iurare de satisfactione parti, si eam læsit.

4. Qui absolvitur in casu necessitatis ab excommunicatione lata nominatim per hominem, debet obligari de recurrendo ad eum qui tulit, vel ad eius superiorem sub pæna reincidentiæ pro tempore certo statuta, ut nisi recurrerit, in ex communicationem relabatur. *Cap. eos qui. de sent. excomm.*

5. Cum suspenso ac interdicto eodem modo procedendum ac cum excommunicato.

6. Qui absolvit excommunicatum dicat. *Absolvo te à vinculo excommunicationis quam incur-*

risti-

visti ob N. N. hanc vel illam causam & restituo Sacramentis Ecclesiæ ac Communioni fidelium. & si ob multas causas excommnnicatus, omnes singulariter explicet. si verò ob vnam causam sæpius excommunicatus sufficit dicere. *toties quoties eam incurristi.* qui modus est servandus sit quando commodè potest. tamẽ si quis tantùm diceret. *Ego te absolvo ab Excommunicatione* vel *Ego benedico te.* vel aliquid æquipollens cum intentione absolvendi, sufficeret.

De Deposito, degradato, Irregulari.

1. Irregularitas non obstat ne quis asolvatur; dummodo veré de crimine doleat, ob quod illam incurrit, si ob crimen incurrit: & ita abibit à crimine liber sed non ab Irregularitate. Monendus præterea si Beneficiúm habuit quód illud amiserit, atq; in Irregularitate quærat dispensationem ab eo qui illam dare potest.

2. Idem est dicendum de degradato & Deposito.

De Hæretico.

1. Hæresim habens non est absolvendus nisi priùs eiuret Hæresim v. g. hâc formâ. *Abiuro omnes & singulos errores quos tibi confessus sum, & iuro quòd in posterum obediam mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Sed Hæreticus etiam ocultus non à quovis Confessario absolvi potest. & monendus est quòd sit Irregularis in Ordine

ad re-

ad recipiendos S. Ordines ut quærat à Papa dispensationem.

2. Si publicè absolvendus, videnda Ritualia.

3. Iuxta Trid. sess. 24. c. 6. Absolutio Hæretici spectat ad Episcopum non ad Vicarium eius. Ante communicationem etiam faciat Professionem fidei.

De Apostata à Fide.

Cum hoc pari modo procedendum atq; cum Hæretico. sed si publica Apostasia, publicam quærat absolutionem, & ad Pænitentiarium Episcopalem remittendus vel ad inquisitorem ubi est inquisitio.

De Apostata à Religione.

Talis excommunicationem reservatam incurrit, proinde ut ab ea absolvatur debet ad Religionem suam remitti, ut ab ea recipiatur, ibiq; à peccatis etiam absolvatur.

De Peccatore publico ac Scandaloso.

Tali pænitentia publica est imponenda, quam priùs peragat, quàmad S. Communionem admittatur. & iuramentum potest ab illo exigi, quod ad sua crimina notoria non sit rediturus.

De Homicida.

Vide quæ dicta hîc cap. 1. ¶. 1.

De eo qui alijs debet.

1. Qui alijs magnam summam debet nec restitu-

restituere nisi per partes non debet absolvi si potest totum simul restituere.

2. Qui Confessario monenti de restitutione, respondet se facturum quid quid tenetur, absolvendus.

3. Si potest restituere dicat se in testamento relicturum restitutionem si statim commode restituere potest, non est absolvendus. Syl. Aug. Navar. cap 17. n. 67.

4. Qui non habet animum restituendi in vita sed in articulo mortis non debet absolvi quia quilibet restituere debet quam primùm. S. Antonin. p. 2. tit. 2. c. 1. § 15. Sotus. de iust. lib. 4 q. 7. a 4.

5. Quodsi aliquis sæpius confessus, neq; restituit non est absolvendus nisi priùs restituat; vel si nunc non possit, si seriò velit restituere, poterit datâ cautione absolvi: vel si non potest totum restituere, statim restituat partem quam potest, reliquum postea.

¶ 4.

De ijs qui frequenter Confitentur.

Tales de sequentibus monendi sunt, ut illa respiciant.

1. Vt habeant firmum propositum quando confitentur sola venialia saltem vnum aliquod eorum quæ confitentur cavendi alioqui contingeret, ut, cùm accesserint ad Confessionem cum solis venialibus, abirent cum mortali.

2. Ut potiùs accusent sua peccata quàm excusent. nam, ut refert S. Thomas in Confessionali, quidam sic confitentur.

Tentavit me diabolus de tali peccato ut me non potuerim defendere ullo modo, quod sic confiteri debebant.

Cùm viderem expressè quòd locutio & conversatio cum quadam persona esset mihi inutilis & perniciosa & sentirem affectum cordis mei ad illam personam, & ipsius ad me non esse purum & secundùm Deum, sed potius secundum carnem: & in aspectu & praesentia eius. haberem nimiùm complacentiam sensualem & ex hoc semper haberem imaginationes de illo cum libidinosis motibus carnis, ita ut propter hac debebam fugere eam, nihilominùs sum secutus voluptatem carnis intantùm quòd ad talem actum deveni cum ea.

Item. *Quadam persona dixit mihi tantum malum de quodam ut fecerit me de illo murmurare.*

Oportebat in hunc modum confiteri. *Audiens dici mala de aliqua persona, faciliùs ea credidi quam credidissem si audivissem bona propter levitatem cordis mei, & defectum charitatis. & quando debui compati murmuranti & excusare eum in corde meo de quo murmurabat, ego statim murmuravi cum illo, confirmando malum de quo dicebat, ac per hoc dedi illi occasionem magis murmurandi.*

Item

Item. *Vidi fieri talem defectum, vel tale verbum dici, & fui de hoc valdè turbatus, quia erat contra honorem Dei, & contra bonos mores & in malum exemplum aliorum.* Debuerat iuxta S. Thomam hoc modo confiteri. *videns, vel* audiens *fieri vel dici aliquid quod iudicavi esse malum, & fortè esse peius quàm fuit: propter malitiam meam quæ me non permisit excusare defectum nec intentionem dicentis vel facientis sicut poteram & debebam, non fui motus ad compatiendum ei vel adorandum pro ipso sicut debui ex charitate: sed magis fui commotus ad iram contra ipsum, contemnendo & ludificando ipsum, appetendo punitionem eius vel habere potestatem puniendi eam & hoc accidit mihi propter duritiam cordis mei, & quia non recognosco patientiam Dei, qui supportavit me in gravioribus peccatis absq; punitione.* Interea priusquam hinc abeamus, comprehensa breviter etsi quædam diximus in Decalogo proponamus. Præmissâ triplici interrogatione à Confessario, vel sine illa sponte Pænitens aperiat si aliunde non est notum. 1. Quampridem confessus. 2. Cuius statûs. 3. Ostendat se dispositum, id est dolere, proponere. Tum se reflectat ad sequentia capita iuxta Ordinem præceptorum Decalogi, quæ ipsa Confessarius consideret.

In duobus primis præceptis videat quinque.

1. Quoad 1. Circa fidem, an circa fidem habuerit tentationem: an ill firmiter assense-

rit: an eam expresserit verbo vel signo aliquos an legerit libros prohibitos, an sciat res fidei.

Quoad 2. An blasphemaverit circa Deum Christum, Sanctos, creaturas, auferendo Deo quod habet, tribuendo quod non habet, tribuendo creaturæ quod est proprium Dei. Imprecando aliquid mali Deo, nominando certa in Deo membra turpia. An iuraverit contra veritatem pro mendatio contra iustitiam permittendo malum, non faciendo bonum. contra iudicium, indiscretè & sine causa iurando. An votum non impleverit de re bona notabili. aut fecerit de re mala.

2. *Circa Spem.* An præsumpserit beatitudinem meritis proprijs, vel etiam sine illis? An desperaverit beatitudinem. An tentaverit Deum conijcendo se in pericula. An spem totam reposuerit in creatura.

3. *Circa charitatem erga Deum.* An illum ammaverit ratione debita propter se, non creaturas. an in debita qualitate, id est appretativè. an in debito tempore, id est initio moralis vsûs rationis, & in occasione peccandi & tempore usûs Sacramentorum.

4. *Circa Religionem* quod actus Adorationis & reverentiæ erga res sacras: Orationis tempore tentationis & necessitatis: officij Divini pro obligatis.

5. *Circa vitia opposita Religioni.* vel per excessum ut Iudaismum, Idolatriam, Magiam, Di-

vina-

vinationem, vanam obiervationem, Maleficium. vel *per defectum*, circa perionas, res, ac loca Sacra.

Circa tertium præceptum videnda Quatuor.

1. *De Missa* quoad corporalem præsentiã; quoad attentionem, ubi de distractionibus, confabulationibus: quoad intentionem: quoad integritatem.

2. *De opere Servili* vel facto vel præcepto, die prohibito, Mercatu, Strepitu Iudicali, Iudicio ad mortem, iuramento iudiciali.

3. *De præceptis Ecclesiæ. Ieiunio* quoad unicam commestionem, quoad qualitatem ciborum, quoad tempus conveniens. *De Confessione annua. De Communione in Paschate. De solutione Decimarum.*

4. De alijs præceptis Ecclesiasticis, ut si existentes in censura immiscuerint se officijs Divinis: Sacramentis. Conversationi humanæ.

Circa quartum præceptum ad quinq; attendendum.

1. *Ad amorem erga proximum. Generaliter* quando esset in necessitate. *Specialiter* erga inimicum, non excludendo illum à communi Oratione, ostendendo signa amoris communia. Dando remissionem, veniam, condonando iniuriam.

2. *Ad Beneficentiam corporalem.* An dederit eleemosynam laboranti extrema necessitate,

vel gravi. An fecerit septem opera miséricordiæ corporalia.

3. *Ad Beneficentiam Spiritualem.* An corripuerit Fratrem quando erat in peccato mortali, vel periculo eius, & spes erat emendationis, & opportunitatis monendi & tempus idoneum, An exercuerit septem opera misemisericordiæ spiritualia?

4. *Ad obligationem mutuam Parentum & Filiorum.* An *Parens* curaverit ut Filij scirent res necessarias. an, ut essent bene instituti quoad mores. *Filius* An exhibuerit dilectionem etiam externam subveniendo in necessitate? An obedientiam in rebus spectantibus gubernationem Domûs? An reverentiam, non percutiendo, non iniuriando.

5. *Ad obligationem mutuam viri & uxoris.* An *vir* uxorem impedierit in observatione Dei præceptorum? An percusserit graviter? An affecerit iniuriâ? An cohabitaverit ei? An negaverit debitum? An *uxor* obedierit marito in rebus spectantibus gubernationem domûs? An reddiderit debitum? An suâ morositate fecerit virum blasphemare? &c:

Circa quintum præceptum videat Quatuor.

1. *Animum* An optaverit sibi, aut alijs mortem, aut grave malum? an gavisus sit de morte Parentum ob hæreditatem? An contristatus de aliorum prosperitate? an delectatus

morte

morte, vel vindicta de inimico? an invidit aliorum bono?

2. *Verba?* An minatus vulnera, grave malum. An intulit iniurias, contumelias, convitia? An ex ira rixatus cum aliquo?

3. *Opera* An occidit, mutilavit, percussit, torsit? An Mater oppressit Infantem inlecto? An fuit causa abortûs? an gessit inimicitias & quamdiu?

4. *Cooperationem.* An iusserit, consuluerit, consenserit, laudaverit, receptaverit, participaverit, tacuerit, non impediverit, non manifestaverit.

Circa Sextum & Nonum, sex consideret.

1. *Animum.* An habuerit turpes cogitationes, ijs consenserit & circa quos? An morose delectatus & circa quos? An optavit pollutionem in somnis & gavisus de ea? An desideravit amari inhoneste, respici?

2. *Verba.* An locutus de rebus inhonestis? An andivit cum delectatione alios colloquentes? Huc referi potest. An aspexit libidinosè se vel alios? An se tetigerit vel alios.

3. *Opera naturaliter facta.* An habuerit cum soluta? An cum Virgine per vim? an cum coniugata? An cum consanguinea vel Affine usq; ad quartum gradum? An cum Deo Sacra An rapuerit?

4. *Opera contra naturam.* An mollitiem fecerit

rit tantùm propter delectationem. An ex affectu ad indebitum locum cum debito sexu? an cum eodem sexu. An cum animali? an cum Dæmone.

5. *Amorem.* An literas amatorias scripserit, tulerit? An musicam; cantiones turpes fecerit, curaverit? an nuntios, Munera miserit, tulerit?

6. *Alia peccata circa luxuriam.* An ornatu provocaverit ad libidinem. An se oblectaverit imagine amatæ? An lectione librorum? An aspectu imaginum turpium provocaverit ad peccatum? An iactantiâ circa eiusmodi peccata? An cooperatus aliquomodo ad su praedicta?

Circa septimum & Decimum videnda sex.

1. *Animus.* An fuerit ad furandum aliena? ad retinendum absq; causa excusante? Concupiscendo, divitias, honores, fine malo.

2. *Opera.* An furatus rem in notabili quantitate! an à Parentibus? an damnum in tulit? an bona rapuit naufragantium.

3. *Fraudem in emptione & venditione.* An ea vsus quoad pretium aut rem? An in pondere, numero, mensurâ? An quoad emptionem rei alienæ vitiosæ? An quoad vsuras palliatas.

4. *Fraudem in ludo.* An luserit cum persona quæ nihil habet proprij? an cum valdè inæquali quoad artem? An cum inductis au-

tho-

thoritate, importunis precibus, minis? An in præiudicium proprij status.

5. *In iustitiam in alijs contractibus.* An visus mutuo cum vsura? An cambio fraudulento, sive per literas vacuas. An iniustus fuerit in contractu Societatis, census, locationis.

6. *Cooperationem quoad supradicta.* An iusserit consuluerit, Consenserit, laudaverit & receptaverit, tacuerit, non impediverit, non manifestaverit?

Circa octavum præceptum tria examinet.

1. *Iniurias iudiciales.* An factæ ex parte Iudicis? an ex parte Rei? An Testium? an Procurationis? an Advocati. huc referri potest. An testatus falsò extra iudicium?

2. *Iniurias verborum.* An mentitus perniciosè. An detraxerit, vel mentiendo, vel dicendo verum occultum cum infamia, vel ex loquacitate vel referendo aliorum dicta cum animo infamandi, vel audiendo & cooperando infamationi. An secretum revelaverit? an literas alienas aperuerit? An egerit susurronem & seminaverit discordias, vel foverit? An irriserit vel confunderet? An male dixerit desiderando evenire grave malum?

3. *Suspicionem & Iudicium temerarium.* Est quod non habet rationabile fundamentum.

Circa peccata capitalia.

1. *Circa superbiam.* An bona propria putavit

se habere à se vel ex proprijs meritis? An sibi attribuit bona quæ non habet, idq; cùm damno aliorum? An alios contempsit inordinatè? An appetijt inordinatè suam excellentiam? An quæsivit gloriam de re mala, vel malis artibus, vel ob malum finem?

2. *Circa Gulam*. An posuit in ea finem vltimum? An violavit aliquod præceptum propter eam? An intulit sanitati suæ, aut alterius damnum notabile propter gulam? An non solvit debita vt illi satisfaciat?

3. *Acediam*. An violavit præceptum obligans sub mortali? An desperavit de salute animæ.

Circa proprium statum.

An sciat necessaria & obligationes proprij statûs? an aliquid gravet eius conscientiam ratione sui officij?

Circa reliqua.

1. *Circa sensus* An illos bene custodierit?

2. *Circa tres potentias animæ*. Memoriam, voluntatem, intellectum.

3. *Circa ingratitudinem*. An egerit gratias pro beneficijs? In eadem peccata recidendo fuit Deo ingratus.

4. *Circa pericula peccandi*. An se illis exposuerit?

5. *Circa dubia* quæ habuit *circa agendum*, quomodo cum illis egerit?

¶ 5.

De Viſitatione Confeſſione Abſolutione & Diſpenſatione moribundorum.

De Viſitatione.

Si infirmus non eſt periculosè infirmus, eo modo procedendum cum eo atq; cum ſano. Si periculosè, mox dicemus.

Si morbus contagioſus ex manuali Parochorum edito Viennæ Auſtriæ Anno 1653. hæc adnotamus; quæ maximè in peſte curanda.

Sacerdos non habeat veſtes villoſas, aut cum pellibus quia talibus facilè adhæret contagium. Nares, aures, os, forti aceto, quale eſt ex floribus Sambuci, abluat. Stomacho non ſit ieiuno, è collo appendat ſacculum medicamentis repletum, qui ſit cordi vicinus, globulum in manu ferat odoratum. Iuuat maſticare Angelicam, Zedoariam. Non ingrediatur domum, ſi negotium per portam aut feneſtram expedire poteſt, antequam domum ægri accedat, fiat in ea ſuffitus, & ingreſſus domum non appropinquet ægro. Veſtis, ubi redierit ab ægro, luſtranda igni, & poſtea aquâ eluenda. Quamdiu agit cum ægro ſit ignis intermedius & aversâ facie loquatur. Linea veſtis facilè attrahit & retinet venena.

Communionem ſi habet tantùm virium æger ipſemet ſumat ex linteolo, quod ſtatim exu-

ratur

ratur. vel particula hostiæ imponatur alicui liquori supra cochlear, quem æger suâ vel alienâ manu sumat. Sed uti duo modi communicandi non ab omnibus D.D. probantur.

Si manu propriâ dederit Sacerdos hostiam, mox digitos super ignem lustret, deinde aceto abluat.

Infirmum lente inducat ad detestationem & Confessionem peccatorum ad desiderium Communionis. Ostendendo quòd sæpe à Deo morbi propter peccata immittantur & sublatis illis per pænitentiam, redeat sanitas. Deinde moneat ægrum, licet non debeat medicamenta respuere, spem tamen totam in Deo collocet. Sicut agricola licet non debeat negligere laborem, Dei tamen benedictionem debet spectare sine qua inutilis fieret eius cultura. Tum ad sustinendos patienter morbos varijs rationibus inducat *Siquidem ut* S. Greg. docet lib. 7. epist. 125. *Potiùs sunt dona quàm flagella, dolores hi, delicta purgamus.* De Communione verò illud Christi D. ingerat, *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam.* Ioan. 6. & illud S. Ioan. Chrysost. hom. 24 in 1. Cor. *Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia Sanctum ascendemus vestibulum tanquam aureis quibusdam vestibus undiq; contecti.* Et illam visionem quam idem Sanctus refert libro 6. de Sacerdotio, quam

quam habuit quidam, qui vidit Animas Fidelium qui sumpto hoc salutari viatico decesserunt, hinc rectà in cælum abduci.

Quodsi videbitur, moneri etiam de faciendo testamento poterit, cui tamen actui, ob varias suspiciones quæ possent inde oriri, non decet interesse Confessarium. Nullo autem modo suadeat illi ut in suo templo eligat sepulturam, aliàs incurreret excommunicationem ipso facto.

Suadeat ut Rationes revideat, dubia explanet, & in toto solum animæ suæ quærat salutem, neq; in hoc sequatur Amicorum aut Affinium consiliùm, qui solent tantùm sua privata in eiusmodi actibus commoda respicere. Meminerit præterea quòd peccet graviter ille, qui talibus bona sua relinquit qui illa cum offensa Dei sunt consumpturi in ludis, pompis &c:

Caveat autem ne ulla in re sit molestus infirmo, tam in modo agendi, quàm rebus ipsis.

De Confessione & Absolutione graviter infirmi.

Hoc sequentibus Regulis negotiū expediem9

1. Infirmus qui ob morbum non potest vllum peccatum dicere, sed tantùm signa doloris ostendit, est absolvendus. Quia confitetur quo potest modo ita in Rituali Romano iussu Pauli V. edito.

2. Moribundus qui non potest confiteri nisi alijs audientibus dicat aliqua venialia com

munia, & dicat se de mortalibus dolore si fortè ea commisit, & absolvatur. contingit hoc circa vulneratos à quibus chirurgus abire non potest: item circa puerperas quibus assistunt obstetrices.

3. Inducendus ut parcat inimicis sed non sunt in eius conspectum inducendi quia eorum conspectu facile bilis effervescit, quocirca satius per alios deprecetur.

4. Infirmus qui longâ eget confessione si periculum instet mortis: potest breviter & generaliter confiteri, & sic absolvatur atq; communicet.

5. Vrgente periculo mortis potest omitti impositio satisfactionis.

6. Quando morbus est contagiosus non tenetur Sacerdos audire longam confessionem cum periculo infectionis, sed paucis auditis, absolvat.

7. Infirmus qui nullum penitus dedit signum præsente aut absente Sacerdote quòd vellet confiteri, non debet absolvi. Lugo. d. 17. de pænit. sect. 3.

8. Infirmus qui dedit signa doloris estò statim in phrenesim lapsus, absolvendus est. (Lugo. de pænit, d. 7. s. 3. nisi multò antè phrenesim hæc signa præcessissent.

9. Notorius peccator qui nulla signa doloris dat, non est absolvendus.

10 Si-

10. Signa doloris certa sunt. Si infirmus dicat se dolere, dicat se velle confiteri, si tundat pectus etiamsi nihil dixerit. (Lug. pæn. d. 17. Sect. 4 Si dicat. Miserere mei Deus, non solùm est signum doloris sed & confessionis tacita petitio. Dubia signa sunt de quibus dubitari potest an ex vi morbi oriantur an ex dolore de peccatis. ut dum quærente aliquo an velit confiteri? suspirat, manum stringit, lacrymatur. & talis conditionatè absolvendus.

11. Si dignus fide testatur absente Sacerdote dedisse Infirmum certa doloris signa, est absolvendus. imò si absit coram quo dedit signa doloris dum alij testentur, ad huc debet absolvi. Concil. Arausicanū & Rituale Rom. & ex illis Lugo. de pænit d. 17. s 4.

12. Per articulum mortis probabile quodcunq; mortis periculum intelligi.

13. Potest infirmus in articulo mortis, à quocunq; Sacerdote, à quibuscunq; censuris absolvi. sed monendus est, ut si evaserit mortem quamprimùm poterit commodè, si habet reservatas excommunicationes se præsentet illi cui sunt reservatæ, aut adeat habentem potestatem ab illis absolvendi, alioqui eoipsò in omnes quas habuit relabitur. 2. Monendus si fieri potest, saltem quoad enormes & Bullæ Cænæ, & percussionem Clerici

iuret quòd non sit patraturus similia crimina. 3. ut in foro Externo sciat se non esse absolutum. 4 ut re ipsa si potest ante absolutionem satisfaciat quibus debet in ijs criminibus propter quæ excommunicatus: aut si non potest. det cautionem pignoratitiam vel fideiussionem. Quodsi neq; hanc possit, iuret se satisfacturum quando poterit.

14. Moribundus habens casum reservatum, si est Prælatus præsens cui casus ille reservatus: vel illi confiteatur, vel petat facultatem ut absolvi possit.

15. Periculum ne moriatur aut loquelam amittat satius quam omnia dicat, dictis aliquibus absolvatur. Sed si convaluerit tenebitur integre confiteri. idem est de naufragantibus. Henriq. lib. 5. c. 12. n. 3.

16. Ægrotus si absq; gravi defatigatione totum hodie dicere non possit dicat aliqua & de alijs se in communi accuset. reliqua cras audiantur.

17. Qui cum loqui non possit dedit signa doloris etiam absente Sacerdote, etiam dubia, absolvatur ut supra. Lugo. disp. 17. Sect. 2. imò si vixit Christiane, solitus confiteri, etsi modo nulla dederit signa docent posse absolui aliqui DD. apud Diannã resol. 8. p. 3 tr 3. & 4 sub conditione. *Si capax es.* quamvis contrarium probabilius. Lugo. disp. 17. Sect. 3. doceat.

18.

18. Synod. Crac. Szylzk. hæc proximè morituri signa numerat. 1. Sensuum & motûs defectum. 2. Contractio membrorum. 3. Saltus nervorum. 4. Continuæ vigiliæ. 5. Somnus languorem inducens. 6. Oculorum prominentia. 7. aut eorundem nimia profunditas. 8. Livor nasi & extenuatio. 9. Livor vngvium 10. Sputum sanguinis nigri & fætentis 11. Ægro fætent omnia. 12. Deglutire non potest. 13. Anhelitus cum pectoris commotione. 14. Appetitus cibi cessat, & totum evomitur. 15. Extrema frigent. 16. Sudor frigidus circa pectus ac faciem. 17. Decubitus supinus, manibus & pedibus horrescit. 18. Non sentit morbum, etsi eius sunt signa. 19. Sitis in febri inextincta, anxietas, rigor linguæ. 20. Colligit circa se quasi festucas, pilos. 21. In cute virides, vel nigræ maculæ. Sed non est opus ut sint omnia. *In vulneratis autem.* 1. Febris ardens & magna virium defectio. 2. Delirium 3 Vigiliæ continuæ. 4 Paralisis 5. Spasmus. 6. Vomitus. Eadem signa in contusis ac Lapsis & alto.

De dispositione morientis.

· Curandum ut adsit aqua benedicta, eâq; frequenter æger aspergatur: habeantur in proximo SS. Reliquiæ, quia vires Infirmo contra Dæmonis incursum eorum intercessionē augentur, quorum sic reliquiæ honorantur.

Detur illi in manus aliqua res pia habens annexas indulgentias pro mortis articulo, ut conetur eas lucrari proferendo corde & ore ſi poteſt, Sanctictiſſima nomina, Iesus, Maria. Pulchra eſt etiam devotio, & ad compunctionem iuvans, petere à Superiore, hoc eſt Patre, Matre benedictionem pro illo æternitatis itinere. Sit aliquis liber ſpiritualis in promptu qui illi prælegatur: maximè Paſſio Domini noſtri, & Pſalmi Pænitentiales; Et quia tunc maximè Dæmon tentat quoad Fidem ut de aliquo articulo dubitet: quoad ſpem, ut vel præſumat, vel deſperet: quoad charitatem, ut attendendo ad ſuos dolores, Deum oderit: inijcit etiam ſollicitudines terreſtres, de Affinibus, Prolibus, Dignitate, Bonis terrenis, ſpem facit vitæ longioris: faciat actus Proteſtationis ſimiles illis quos ponemus infra maximè poſt Confeſſionem aut Communionem. Neq; omittat petere oleum Infirmorum quod valdè roborat. Ponatur etiam infirmo ob oculos imago Crucifixi, B. Virginis; proteſtationes verò ſi ipſe non poſſit legere, velit ſibi prælegi, quibus ſe in corde ſuo conformet, & annuat exteriore ſigno. Tum Litaniæ recitentur de B. Virgine & omnibus Sanctis, quibus ſi æger non poſſit reſpondere, reſpondeant adſtantes. poſt Litanias oſculetur devotè plagas Crucifixi & imaginem B. Vir-

ginis

ginis. tum aliquas iacolatorias oratiunculas saltem corde proferat. Cavendum autem quantùm possibile, ne in conspectu habeat, Affines, Filios, Filias, Vxorem, talium enim intuitus gravissimè perturbare, & à rebus spiritualibus avocare solet infirmum. Tollantur omnes imagines profanæ quæ possunt excitare cogitationes obscænas, aut vindicativas: Quin etiam qui visitant abstineant omninò à colliquijs pravis, vanis, detractorijs, lascivis: sed solas res spirituales loquantur & Æger petat ut crebro à viris spiritualibus visitetur. aperiat suas tentationes diligenter Confessario. Curet etiam pro se moribundo fieri Missas, & Elecmosynas distribui, & alia bona opera fieri, neq; id post mortem differat, nam solet Deus horum intuitu conferre gratias extraordinarias, aut auxilia ad dolorem verum eliciendum, & spem concipiendam, atq; resistendum tentationibus: & hoc modo Merita sibi auget Infirmus, & pænas Purgatorij minuit: imò sæpè vitam recuperat.

Protestationes coram, vel à, moribundo facienda.

Ego miser peccator protestor coram Sanctissima Trinitate, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, coram Iesu crucifixo pro meis peccatis, coram Beatissima & gloriosissima semper Virgine Maria Matre Dei & Advocata nostra, & omni-

& omnibus SS. Angelis, & specialiter coram meo custode, & Sancto N. cuius nomen gero; & coram omnibus Sanctis, & coram vobis omnibus præsentibus; ut sitis testes eorum quæ dicam.

Protestor itaq; *primò* quòd istam mortem ex totis visceribus cordis mei recipio; & quòd volo libenter sustinere propter amorem, gloriam, Divinæ Maiestatis hanc infirmitatem cum omnibus anxietatibus, doloribus, cruciatibus pænarum Purgatorij, toto illo tempore quo placebit Domino meo in punitionem & remissionem meorum peccatorum.

Protestor *secundò*, quòd volo mori sicut vixi in vera fide Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ: & credo firmissimè totum quod illa tenet, & mihi credendum proponit. Similiter credo omnes articulos Symboli Apostolici, quod coram vobis recito. *Credo in Deum &c. dicat Symbolum Apostolicum.*

Tertiò protestor quod confido in infinita bonitate & misericordia Domini ac Dei mei, quæ est infinities maior quàm sint mea peccata. & spero quòd me salvabit, non propter mea merita, sed solùm propter mortem & sanguinem pretiosissimũ Domini mei Iesu Christi, qui est unica salus animæ meæ.

Quartò protestor, quòd ego condonem ex toto corde omnibus qui me offenderunt; & illis

à Deo

à Deo precor omne bonum.

Quintò. Protestor quòd ex toto corde peto vt mihi condonent omnes quos ego scandalisavi meo malo exemplo, vel quocunq; modo offendi dictis, factis, in rebus, vel honore; & offero me ad faciendam omnem satisfactionem illis.

Sextò. Protestor humillime coram maiestate Dei mei procumbens, quòd exorem ab eo omnium veniam peccatorum & negligentiarum commissarum contra illum, vel meum proximum, aut me ipsum, cogitatione, verbo, vel opere, aut omissione. quæ mihi omnia displicent super omnia; quia sunt offensa Dei mei, tam boni, tam digni, tam Sancti, & omnimodo infiniti, & doleo quòd non habeam tantum dolorem, quantum habere debeam: & quòd fortè ea non sim confessus eo modo quo debui, de quo doleo quàm maximè & propono servire Deo soli in perpetuum fidelissimè.

Septimò. Protestor quod ex totis visceribus cordis mei gratias agam Deo salvatori meo pro omnibus beneficijs quæ ab illo accepi, aut me recepturum spero. Gratias etiam ago omnibus qui qualicunq; modo aliquod mihi beneficium contulerunt, sive in animo, sive in corpore, aut mihi merendi occasionem dederunt.

Octavò. Protestor quòd offero meo Domino ac Deo omnes satisfactiones, merita, dolores, & sanguinem fusum à D. Iesu Christo. Merita Beatissimæ Virginis Mariæ, & Omnium Sanctorum & servorum Dei quæ fuerunt abinitio & erint vsq; ad finem mundi in satisfactionem pro meis peccatis gravissimis, & in gratiarum actionem pro infinitis beneficijs mihi ab eodem Domino & Deo collatis.

Nonò. Protestor quod ego supplico & humiliter precor Beatissimam Virginem, S. Angelum Custodem meum, ac SS. Patronos NN. & omnes alios Sanctos atq; Angelos ut me adiuvent in ultima puncto vitæ meæ, & impetrent mihi per suas intercessiones & merita, requiem æternam. Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & mortis horâ suscipe. Omnes sancti & sanctæ Dei intercedite pro me.

Decimò protestor. Quodsi Deus permiserit ut tenter à Dæmonio aliquâ tentatione, sive contra Fidem, sive Spem, sive Charitatem, sive alio modo, protestor quòd nolim dicere, audire, aut illi respondere, & multò minùs credere falsis eius persuasionibus. & casu quo me suis fraudibus vellet inducere in consensum alicuius peccati, precor ut sint, totæ irritæ & invalidæ vires eius per sanguinem Iesu Christi.

Deniq. Protestor quòd meam pauperem animam recommendem in vulnera salvatoris mei, quæ nunc exosculor, & amplector ex toto corde meo, & in illis vivere & mori volo. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis. Ita precor per viscera Domini mei Iesu Christi omnes qui estis præsentes, quando iam loqui amplius non potero, ut me adjuvent suis orationibus, offerendo Patri æterno, agoniam, sudorem & anxietatem meam, in vnione agoniæ, sudoris, & anxietatis mei amabilissimi D. Iesu Christi in remissionem peccatorum meorum.

O Domine Iesu Christe, Salvator mi Clementissime, per illam maximam amaritudinem quam pro me miserabilissimo peccatore sustinuisti in Cruce, in illa præcipue hora, quando anima tua benedicta exibat de corpore: precor te & supplico ex totis visceribus cordis mei, habe misericordiam supra animam meam quando egredietur de vita præsenti, & per merita pretiosissimi Sangvini tui, deduc illam in vitam æternam. Amen.

Poterunt deinde variæ dici orationes & prælegi quæ passim sunt obviæ, tandem Animæ Commendatio addatur.

CAPVT III.

De remedijs pecatorum tam in communi quàm in particulari.

Confessarius non solùm Iudicem sed & Medicum agit: & sicut suggessimus fere hactenùs quæ Iudicem iuvare possunt, ita modo quæ Medicum dirigere, adiungimus.

Illud Confessarius, dum alijs vitiorum præscribit remedia, dum arctiore viam ostendit, arguit in crepat in mentem sæpè revocet quod dixit S. Hieronymus, & refertur d. 35. c. Ecclesiæ. *Ignominia & Confusio est Iesum Christum Crucifixum Pauperem & esurientem fartis corporibus prædicare, & ieiuniorum doctrinam, rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre. Apostoli loco est, Apostolorum non solùm doctrinam sed & exempla proferat. Castiga corpus tuum & in servitutem redige, ne dum alijs Christum prædicas ipse reprobus efficiaris, infirmatur quis & tu infirmare per compassionem, scandalizatur quis & tu vrere per condolentiam: nec solum verbis corrige, sed & oratione tuâ apud Deum meliorem efficere stude.* Ingemiscit, & illachrymatur aliquibus S. Bernardus in Cantic. 18. *Væ Ministris infidelibus qui necdum reconciliati, negatia reconciliationis alienæ apprehendunt, quasi homines qui iustitiam fecerint. Væ Filijs iræ qui se Ministros gratiæ profitentur. Væ qui nihil habent de Spiritu mansvetudinis.* Alligant onera importabilia quæ nec digito ipsi movere volunt. Regulas Medendi monendi, corrigendi S. Gregorius hom. 3. part. Pastor. in summam hoc modo colligit. *Iuvenes peccantes plerumq;*

sunt

sunt increpandi, Senes verò blando sermone attrahendi. Potentes sæculi sunt artificiosè arguendi. Sapientes verò delinquentes sunt efficacibus rationibus superandi: invercundi sunt duris increpationibus compescendi: verecundos autem modesta exhortatio melius componit: in illos ergo directe invehendum, hos quasi ex latere tangere sufficit. Protervi qui non cognoscunt mala sua, & exaltant bona sua, apertis rationibus confundantur: pusillanimes autem leniter reprehendendi. Astuti & duplices artificiose sunt disquirendi. illi qui in iniquitatibus obduruerunt tantò acriore ievectione feriendi. aliquando tamen qui per dura non corriguntur, per blandimenta curantur.

Remedia Universalia peccatorum.

1. *Orare* petendo à Deo virtutes contrarias vitijs.
2. *Crebro confiteri & Communicare, Vitare occasiones* peccatorum.
3. *Meditari* Passionem Domini, & Quatuor novissima.
4. *Legere* libros verè spirituales.
5. Frequenter *audire Concionem* Spiritualem ut per illam bona desideria inserantur, insita renoventur, confirmentur.
6. *Pœnitentias* sibiipsi iniungere molestas quoties in tale peccatum inciderit.
7. *Considerare* finem propter quem homo factus. Vanitatem mundi.
8. *Ieiunare*, corpus mortificare, legere vitas Sanctorum.

9. *Meminisse* præsentiæ Dei, Angeli custodis.

10. Quod Deus omnia in pondere, numero, Mensura operatur. Fortasse hoc est ultimum quo comples pondus offensionum, numerum peccatorum, Mensuram iræ Domini.

¶. I.

Remedia contra peccata in particulari.

Contra blasphemiam & Periurium.

Consideret quòd huic peccato nulla inest voluptas, nulla ex eo capitur utilitas. Magnum scandalum generat Infidelibus. Quomodo omnia Deo benedicunt. Est signum reprobationis dum in hac vita incipit quod damnati agunt in inferno, loquela enim manifestum facit ad quam aliquis pertineat patriam. Sæpe contingit ut qui in vita iuramentis, blasphemijs assueti fuerunt, moriantur iurando, blasphemando, execrando. Grauior blasphemia est homicidio. Iudæi in lege veteri nec nomen huius peccati proferre audebant, sed cùm aliquem eius accusarent, dicebant. *Benedixit Deum*. Consideret num ideò Deus illi dederit linguam? quodsi mutus fuisset & elinguis an peteret à Deo sibi linguam ut eum blasphemaret? Quid illi tandem mali fecit Deus? Velletne suum os transformari in fauces draconis ex quibus venenum & ignis eructaret? & ecce talis est. Iam *periu*

nus consideret, aut vanè iurans. Si toties Regem aut Principem aliquem præsentem vocaret in testimonium suarum nugarum, aut etiam mendaciorum, quanta esset irreverentia? Item si vas sacrum quod est consecratum ad conservandum Corpus Christi luto aliquo impleret & spurcitijs an non esset sacrilegus, ecce veritatem Dei sumit ut in eam suũ mendacium reponat! Advertat in quibus occasionibus, locis, ludis, incidat in hæc peccata, & eas vitet.

Contra allegantem Consuetudinem.

Consideret, si fur coram iudice constitutus excusaret se, Ignosce Iudex quia consvetudinem furandi iam à multis annis habeo, certè citiùs damnaretur; quàm si diceret. Ignosce, primâ vice hoc mihi contigit: adeoq; licet ex vna parte consuetudo minuat peccatum quia ad illud inclinat: ex alia certè aggravat, quia ostendit, & sæpiùs peccâsse & emendationem non secutam.

Contra impatientiam in afflictione.

Consideret, si Christus Dominus ei calicem quem bibit in horto propinaret, etsi non suis manibus porrigeret, sed alicuius vilis hominis, an eum reijceret? En Christus porrigit per manus affligentis. An offenderetur Medico si eum à morbis asperiore medicamento curaret, cùm nullum aliud esset efficax: certe est

tè est Medicus noster qui nos affligit. unde dicit S. Dorotheus serm. 14. *Orate pro ijs qui vobis convitiantur tanquam pro veris Medicis.* Sanant illi superbiam, sanant reatum purgatorij, calicem vitæ æternæ propinant. S. Climacus gradu 4. *Bibe summâ charitate obiurgationes, & ignimisiones à quovis homine tibi propinatas, non aliter quàm aquam vitæ.* Scriptum est Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Scriptum. *Nonne ipsum Christum oportuit pati & ita intrare in gloriam.* S. Aug. in Psal. 55. *Si verè es Christianus, par ate, quia conculcandus es, in torcularis & ideò conculcationem evadere non potes.* *Nos* (dicunt damnati Sap. 2) *vitam illorum (iustorum] putabamus insaniam*, quando cum illis viximus. itaq; si insanus reputari non vis, in cælo esse non vis. Abel esse renuit quam Caim malitia non exercet. dic cum S. Ignatio Martyre. *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus efficiar.* Membrum Christi es, nullum membrum in Christo non passum. Solatur se S. Greg. epist. 31. *Quia omnipotenti Deo quotidie incessanter delinquo, aliquod mihi apud tremendum illius Examen esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior.* Consideret deniq; illud quod S. Bernardus epist. 33. reliquit. *Sicut in electis operatur tribulatio patientiam, ita è converso in reprobis & damnandis, tribulatio facit pusillanimitatem, pusillanimitas per-*

turbationem, pertu-batio deſperationem.

Contra Murmurationem in Paupertate.

Conſideret an melius ſit egere unâ die, an centum annis? Lazarus hîc vnâ die huius vitæ egebat, ſatur eſt in æternum. Epulo unâ die ſatur fuit, eſurit in æternum. Oportet verò aut hic aut illic eſurire. & faciliùs eſt camelum intrare per foramen acûs quàm divitem in regnum cælorum. Conſideret an pudet illum imitari Chriſtum, & parem Chriſto vitam ducere cùm ſit Chriſtianus? ille certe erat pauper. *Vulpes foveam habent, & Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Quid ipſi oblatum quando agonizans clamabat, *Sitio.* Fel! acetum! ubi natus? in ſtabulo. *Quia locus ei non erat in diverſorio.* Videat etiam ne ſuis peccatis dederit occaſionem egeſtati, ſubmoveat culpam, tolletur, pæna. Cogitet quid ſecum ex his poſt mortem deferet, quæ fortè iam inſtat? Vt illum Deus ſoletur, oret ſæpè pro afflictis, & illis qui ſunt in Purgatorio.

Contra Tentationem in Fide.

Secum ita diſcurrat. Vel ideò dubitò, quia Deus hoc facere non potuit v. g. ut Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus eſſet panis? an quia non conſtat quod hoc fecerit etſi potuerit. quoad priorem partem ita S. Aug. reſpondet lib 21. de Civit. cap. 7. *Demus oportet aliquid Deum poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.*

alias

aliàs non esset Deus si non plùs posset facere quam nos possumus capere. & S. Bernardus epist. 190. *Quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non possis ratione attingere?* quod si ita est, potuit hoc Deus facere. Quod verò fecerit, ipse Deus hoc asserit quem impossibile est mentiri. quod asserat, testantur omnes SS Doctores, Martyres, tot miracula facta in attestationem huius rei, testatur totus orbis, tota Ecclesia uniformiter per tot sæcula; an tu istos erroris damnabis? At loquentem Deum & dicentem se hoc fecisse non audis. Scilicet unicuiq; seorsim debet loqui Deus! ita & Reges singulos suos subditos accedunt. cùm aliquid eis commendant! *Non habet fides meritum, cui ratio humana præbet experimentum* dixit S. Gregorius Magnus.

Contra relapsum in peccata.

Ius Canonicum sic habet Cap. Irrisor, de Pænit. d. 3. *Irrisor est non pænitens; quid adhuc agit quod pænitet. nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus, canis reversus ad vomitum est Pænitens ad peccatum.* & cap. seq. *Inanis est pænitentia quam sequens culpa inquinat: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.* Expendat etiam illas Dei voces apud Prophetas. apud Isaiam cap. 1. *Filios enutrivi & exaltavi* (erigens è peccatis in quæ fuerunt prolapsi) *ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, &*

asinus

asinus præsepè Domini sui, Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ Genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, Filijs sceleratis! & cap. 5. *Quid est quod ultra facere vineæ meæ potui, & non feci ei? an quòd expectavi uvas, fecit autem labruscas?* & Ierem. 18. *Nunquid redditur bonum pro malo?* ego te eripui è manibus dæmonis te è faucibus illius extrahendo, laboravi usq; ad ultimam guttam sanguinis, & tu me rursum crucifigis! iam audi Deut. 32. *Hæccine reddis Domino, populo stulte & insipiens, nunquid non ipse est Pater tuus qui possedit te & fecit, & creavit te? Deum qui te genuit dereliquisti! oblitus es Dei Creatoris tui.* Rom. 2. *Benignitas Dei te ad pænitentiam adducit, secundùm autem duritiam tuam & impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; iuxta opera eius.* & dicet Prov. 1. *Vocavi & renuisti, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis! ego quoq; in interitu vestro ridebo.*

Contra indignorum promotionem ad dignitates.

Considerent quod S. Greg. lib. 1. epist. 5. reliquit. *Necesse est ut omnes culpas ac negligentias non promoto sed sibi deputet qui virtutū ministerium infirmo commisit.* Luc. 6. Antequam Dominus discipulos ad Apostolatum promovisset in oratione pernoctavit. Clariùs exprimit

mit S. Chrysostomus hom. 3. in acta, quod promotor sit particeps omnium promoti peccatorum quando indignum promovet. *Si peccat Præsbyter aut Diaconus, omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt.* Neq; spectanda dignitas generis sed aptitudo, maximè quoad Ecclesiastica, quia Luc. 16. dicitur. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.*

Contra iactantiam ac vanam gloriam.

Consideret verba terribilia quæ affert S. Greg. epist. 126 lib. 7. ex Ezech. 32. *Quo pulchrior es descende, ait Deus, hoc est cade à gratia mea ob elationem tuam.* Deus enim superbis resistit. Consideret & illud quod dixit S. Aug. quod refert S. Prosper sent. 318. *Vana gloria virus est nocentissimum, ac omnia intùs corrumpens, nihil ergo utilius saluti animæ, quàm continuè audire opprobria, & scire quòd omnes malè recipiant acta sua, despiciant, derideant, ac maledicant.* Apprehendat & titulos quibus exornat vanè gloriosas Doctor Angelicus in Confessionali. cap. 8. *Thesauri sunt Dei latrones variæ gloriæ appetitores. ideò pœna latronum sunt puniendi, & intellige quòd digni sunt suspendio.*

Contra ambitionem Ecclesiasticarum dignitatum.

Non amplius appono quàm verba S. Bernardi. epist 24. *Curritur ad Ecclesiasticas curas. Quæ ista insania est? ubi timor Dei? ubi mortis*

via? ubi gehennæ metus, & terribilis illa gehennæ expectatio? Quò ascendis miser ut ab altiori gradu sit casus gravior? neq; enim paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehenti quasi alter Sathanas subitò deijceris? Non cum tanta alacritate currerent ad honores si sentirent & onera. Væ tibi quia peccata populi comedes, ac si propria tibi minùs sufficere viderentur? Venies miser ante Tribunal Christi &c. Universa quidem usq; ad novissimum quadrantem exigeris. Non licet tibi de facultatibus Ecclesiæ luxuriari, & in superfluitatibus consumere, sed solùm vivere. Non licet consanguineos extollere, non licet palatia ædificare. Deniq; quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Lege eiusdem epistolam ad Theobaldum Episcop. similia invenies apud S. Aug. apud S. Prosperum sent. cap. 9. & 10.

Contra deiectionem animi eo quod non sentiatur gustus in Oratione.

Taulerus ita docet. *Vera perfectio non in consolationum affluentia sita est sed in voluntatis integra resignatione in voluntatem Dei ad omnia tam amara quam dulcia ferenda in hoc enim statu melior est ariditas mentis, quàm extra hunc profusa suavitas.* quocirca si gustum non habet, si habet illam resignationem, multum habet, & ideò magis oret, neq; gustum quærat, nam non propter illum orandus Deus sed ut nos salvet. Illi verò qui gustum illum

 solum

solum quærunt & non virtutes solidas, accipiant verba S. Thomæ Confess. c. 11. maximè qui sibi persuadent quòd non exaudiantur, & ita Orationem deserunt. *Isti derelinquuntur à Deo quia insipidè & sine fide orant* (non quærunt interim virtutes solidas, nec peccandi occasiones deserunt) *nec volunt purgare (à vitijs) seipsos, nec perseverare patienter postulantes auxilium Dei sicut decet, sed volunt habere gratiam statim sine labore, petentes etiam eam à Deo non humiliter, sed præsumptuosè tanquam digni, ac si esset obligatus Deus illis dare. Orant ipsi enim securitate quadam ut exaudiantur statim ut ipsi volunt, & non sicut ipse vult, sicq; putantes eum ducere ad auxiliandum, potius provocant ad derelinquendum, quia superbè ac præsumptuosè accedunt ad ipsum.*

Contra contemptum Parentum.

Soli præcepto de Honorandis Parentibus, adiecit Deus. *Vt sit tibi bene, & sis longævus super terram.* igitur, non vult sibi esse benè & non vult esse longævus super terram qui nō honorat. Decretum est Matth. 5. *Qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur.*

Contra pigritiam ad Spiritualia.

Aug. in Ps. 65. *Quamdiu à te Deus non aufert deprecationem tuam, non aufert à te misericordiam suam;* vis ergo o piger auferri à te misericordiam Dei? Consideret insuper. An magis debeat laborare miles pro stipendio: mercator pro lucro, quàm tu ut evadas infernum, cælum acquiras?

quitas? Post mortem ibis in talem regionem, in quam si nihil intuleris, famem æternam, sitim feres æternam si non omittis quidem sed negligenter agis tam es execrabilis Deo ut hoc quod evomitur. Apoc. 3. Deus dicit. *Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo.* etiamsi tam carus fuisses ut te intra viscera condidissem sumus in stadio, non ambulandum sed currendum, imò cum maxima contentione currendum, ne quod nos designabamus nobis, alter præripiat. 1. Cor. 9. *Nescitis, quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, sic currite ut comprehendatis.* S. Ambros. citatus à Fornario lib. 2. tr. 2. c. 16. audi quomodo loquatur dum unum è mille titulis habemus Deum colendi, attingit: Scilicet gratitudinem. *Si gratiam homini non referre simile homicidio crimen est, quantum crimen est, Deo non referre?* de eadem apud eundem Bern. *Ingratitudo est hostis gratiæ, ventus urens, siccans fontem pietatis & fluenta gratiæ.* admittit te Deus ad suum servitium, imò colloquium, largitur tempus ut necessitates proponas, & tu loqui non dignaris!

Contra Iram.

Vt ira tollatur causas eius tollere necesse. illæ verò sunt duæ. Vna interior, altera exterior. interior, est superbia. exterior, mala Societas, præcipuè iracundorum & iniquorum.

rum. est & alia causa scilicet vinum. Eccl. 31. 38. Qui nimis amat suam excellentiam, qui nimis se æstimat, facilè irascitur cùm videt se contemni aut parvi fieri. Natura nos pacificè vult vivere, ideò nulla nobis arma dedit. Consideret præterea turpitudinem huius vitij gestus irati miserum statum, effectus iræ, damna secuta, afflictiones. Irascitur ob casus fortuitos irrationabiliter, quia vasculum corruit, clamat, turbat, vult castigare, imò furit ob actiones bonas & merita erga se præstita bona intentione facit amicus, ille ebullit. Consideret Christum quomodo in passione tractatus, & obmutuit, imò pro Crucifixoribus oravit. Consideret quid possit turbare & antequam veniat, animum contra illud obfirmet, hoc remedium ut proprium adversùs iram præscribit. S. Greg 5. Moral. c. 32. Nunquam ferat sententiam de re aliqua quam diu fervet ira, multò minùs puniant, aut agat quod ira suadet. Expendat etiam illam sententiam quam adducit Fornarius lib. 2. tr. 2. c. 29. ex S. Chrysost. *Deus non ita homines diligit propter Virginitatem, ieiunium, contemptum divitiarum, hilarem eleëmosynarum largitionem, vt propter mites beneq; compositos mores* Neq; Christus ad aliud invitat ita expresse vt eum imitemur. Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum*,

Contra

Contra Gulam.

S. Climacus gr. 26. *Veterem non exues hominem nisi tanquam serpens per augustam ieiunij transeas viam.* ibid. *vt exsiccatum lutum non potest esse porcis vsui ad volutationem, sic anima Dæmoni per ieiunium* è contra Luc. 16. *Dives epulabatur.* (nec aliud crimen additur) *quotidie splendide & mortuus est autem & sepultus in inferno.*

Contra Luxuriam.

Oportet ardenter orare ut Deus impertiatur donum castitatis. Vitare summoperè otium: quando molestant fœdæ cogitationes, non disputet cum illis, neq; actu reflexo dicat. *Nolo cogitare*, Quia sic magis imprimet, sed statim aliquam incipiat actionem distractivam. Videat etiam quibus initijs solet in hæc peccata labi, ab ijs abstineat, scilicet vel talem locum accedendo, vel cum his socijs agendo, vel ita respiciendo, Affligat corp⁹ severis & quæ sunt vsitatæ sanctis, mortificationibus alijs obstineat ne novas sibi inveniendo se in aliquod periculum induat. Frequenter Sacramenta, sed cum magna præparatione accedat. Nam negligens vsus, non tantùm nihil prodest, sed etiam indignum gratiâ Dei facit. nullum de hoc peccato temerarie iudicet, nam tales in similia labi sinuntur. Caveat affectum nimium erga aliquam personam. Caveat libros lascivos, colloquia, oculos &

& manus sub custodia habeat. Caveat excessum in cibo & potu. Nihil de suis viribus præsidât sed acsi esset maximè debilis, oret, & occasiones etiam tenues fugiat. sit obediens, nam vt quidam dixit. Qui non obedit Deo & superioribus, obedit Meretricibus. De turpitudine huius peccati non expedit quidquam meditari, sed vitas potius Sanctoruũ, ac libros Spirituales legere. Meminerit quod est scriptum Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio.* Corpus nostrum Dei templum est 1. Cor. 3. *Si quis verò templum Dei violaverit disperdet illum Deus.* Apoc. 21. *Homicidis, fornicatoribus, erit pars illorum in stagno ardenti igne & sulfure.* Speciale etiam remedium suggerit. S. Thomas in Confess. cap. 18. *Non est melior via & facilior ad evadendum tentationes superbiæ & luxuriæ, quàm cogitationes vitiosas, cum suis circumstantijs concurrentibus in carne vel mente, sæpè & clarè detegere Confessori, & toties exprimere quoties renovantur.* Rationem huius paulò ante præmiserat. *Quicunque igitur tales & tali modo cogitationes, & affectiones vitiosas exprimeret ab eis cito liberaretur, dummodo cum tali confessione communicaret conversationem & custodiam sensibus adhiberet. quia dæmon non potest sustinere humilitatem puræ confessionis: cùm sit superbus & immundus, omnisque humilitatis & munditiæ inimicus.*

Iam verò est execrabilis luxuria, vt idem S. Doctor ibid. cap. 20. dixerit. *Impudicitiæ fœtorem vix dæmones patiuntur.* S. Leo Papa epist. 90. cap. 17. ad Rusticum Narbonensem, Fornicationem quasi coæquat homicidijs & idolorum adorationi, cùm dicit. *Si idola adoravêre, aut homicidijs & fornicationibus contaminati sunt ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.*

Quoniam luxuriosos magis percellunt damna temporalia quàm æterna, illa hic numerabimus, & quidem maximè ex scriptoribus non professis castitatem, ut tantò magis percellant.

Luxuria sanitati inimica.

Avicenna lib. 3. de Animal. mor. c. ult. asserit, *Vsq; adeo hominem ex coitu debilitari & discolorari, ut si quadragesies tantum sanguinem emitteret, non tantùm pallesceret atq; tabesceret.* Pythagoras apud Laërt. interrogatus, quando esset idoneum tempus ad actus matrimoniales, respondit. *Cùm seipso infirmior esse vis.* Corn. Celsus lib. 1. initio. *Concubitus frequens solvit corpus.* Galen. lib. 16. c. 3. de tuenda sanitate. *Coitus multus & frequens vires corporis destruit, corpusq; corrumpit.* Lucret. lib. 5. *Venus imminuit vires.*

Fortitudinem militarem luxuria frangit

Vt suos Romani fortes in bello haberent excludebant à castris mulieres: ut patet

ex Propertio lib. 4. & hoc Poëtæ innuebant, Venerem non uxorem sed adulteram Martis vocando. ut advertit S. Aug. ad Faust. *quia belligerantibus incongrua est.* Plato asserit quòd Icon Tarentinus, Attilus, Theopompus, & alij bello & Olympicis ludis clarissimi continentissimè vixerint. ita ille lib 8. de legibus. Smyrnenses à Sardis obsessi eorum robur debilitârunt missis in castra illorum fæminis. ita Plutarch. in paral. Rom.

Vitam abbreviat luxuria.

Omnia animalia luxuriæ dedita sunt vitæ brevis. Aries incipit luxuriari post septem menses, sed ultra sex annos non vivit, quia ut ait Columella lib. 7. cap. 6. *Immodicâ libidinis, & immaturâ Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhaustus est.* Mulus longioris est multò vitæ quàm lasciviens asinus. *Quia* ut affirmat Aristoteles lib. de longa & brevi vita, *nullus ei est Veneris usus.* Passeres citò pereunt quia sunt luxuriosi. Cicero de Senectute *Libidinosa intemperansq́ adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Manander dixit. *Vitæ raritas naturaliter est viris mulier.* Hesiodus in Theog. dat artem perveniendi ad senium castam agere iuuentutem. & lib. 1. de opere. ait. quod mulcet quantumcunq; robustum consumit, & citò facit senescere. ita Cornel. Gallus queritur quod illum Licoris mulier fecerit senem. Vnde The-

de Theocritus in Aita, *Quos amor iungit, in una luce senescunt*. S. Chrisost. hom. nemo læditur. affirmat quòd podagra sit fructus libidinis, S. Antonius Archiep. Florent. part. 2. tit. 5. cap. 8. causam dat cur veteres nobis diutiùs vixerint, *quoniam ipsi non tantùm rei Venereæ indulgebant*. ratio huius ex Alberto magno de Anim. tract. c. 2 *quoniam subtile, calidum, humidumq; exit per coitum remanetq; vitiosum, frigidum, humectans & non augens*. Pausanias in Atticis, ex libidine sequitur desiccatio, & tandem interitus hominis. ideò veteres Parcarum antiquissimam appellârunt Venerem nec Libitina teste Plutarcho in Hum: pomp. alia fuit quàm venus. & de hac sub nomine Astrates Cicero lib. 3, de natura Deorum. *Diva Astarta hominum, Deorumq; vis, vita, salus, pernities, mors, interitus*. Cornel. Balbus Prætor, Q. Hortensius Eques Rom. Princeps Tarentinus, de quo Petr. Damiani, Beltrandus Ferrerius, Pindarus Græcus, Seusipus Platonicus, Menelaus, in ipso actu libidinis perierunt. Hoc vitium offendit ventriculum. ut asserit Galen. lib. 3. epidem. offendit cerebrum, ut idem de Phil. Hist. Offendit oculos, ut idem lib. 7 de Dict. & ideò fortè cæcum amorem Poetæ finxerunt. Marcelli Constantinopolitani est carmen. *Quæ fors eripuit lucem? immoderata libido.*

bido; Theotimo laboranti ex oculis medici suaserunt castitatem, ut refert S. Ambrosius in Luc. lib 4. c. 17. at ille dum luxuriæ cedit, exclamat. *vale amicum lumen.*

Libido sensus omnes corrumpit & morbos creat.

Aëtius tetr. 1. serm 3. c. 8. *Qui concubitui sæpius indulgent, neq; exactè vident, neq; ut oportet audiunt, neq; alios sensus integros possident.* Nocet hoc vitium renibus, ut docet Arist. 4. Probl. 2. quare Tertull. lib. de Resurrect. *Renes* dicit *conscios seminum*, nocet lateribus, quare Martial. lib. 11. epigr. 105. *Et iuuat admissâ rumpere luce latus.* Adducit dolorem dentium, ita Cels. Aurelianus lib. 2. Chron. c. 4. nocet capiti, ut ostendit Oribasius lib. 1. emporisten. c. 22. nocet cordi, pulmoni, iecori, ut docet Araldus. nocet ventri, ut Arist. 4 probl. 17. nocet pectori, vesicæ, pedibus, Bullæ, ut Aëtius tetr. 1. serm. 3. c 8. Podagram inducit, & vehementer exasperat, quare Hipocr. lib. 6. Aphor. 28. ait. *Eunuchi & pueri podagrâ non laborant*, quia scilicet sunt procul à libidine. Inducit epilepsiam, ut Rasis. lib. 4. ad Alman. c. 17. Tussim procreat, ut Virg. in Priap. Inducit lepram, sputationem & fluxum sanguinis, & alios morbos innumeros. ita Avicēna lib. 14. tr. 4.

Luxuria mentem offuscat.

Tira-

Tiraquell. consil. lib. 15. n. 56. adducit. in hanc rem verba S. Greg. *Intellectualis operationis vis in homine consistit in abstractione quadam à sensualibus phantasmatis* per libidinem vero totus fit homo sensualis, unde intellectus debilitatur, consilium excæcatur, iudicium confunditur. nam quando potentiæ inferiores alicui obiecto vehementer inhærent, superiores impediuntur. ita S. Antonin. p. 2. num. 5. c. 9. D. Thom. 1. 2. q. 15. a. 3. Alber. M. in Lexico. Prudentiam corrumpit. ita Arist. 7. Ethic 9. Ingenium perdit. ita Ficinus lib. 3. de tripl. vita & Seneca in præf. lib. 3. decl. ubi ait. *Nihil est tam mortiferum ingenijs, quam luxuria.* Quare Deam præsidem literarum fecerunt Poëtę Virginem Minervã & Musas Virgines. A sanguinis constitutione dependet tandem prudentia. at verò ut docet Hippocr. 1. de morbis. per libidinem turbatur & corrumpitur sanguis & fit malignus. & quædam phrenesis mentem occupat unde memoria etiam vehementer læditur ut Plin. lib. 2. c. 24. iudicium redditur stolidum ut Plutarch. in Licurgo.

Luxuria facit steriles & prolem necat. Quia ut Galen, lib. 1. de semine, potentiam generativam, *immodicus usus veneris exhaurit.* & Tiraquel. lib. consil. 15. n. 67. non permittit perfectè concoqui semen. quare

lib. 6. Hist. Animal. 23. vt fæcundi sint arietes & tauri iubet primò illos per duos menses recludi seorsim. nam *si frequentius coëant sterilescunt*. Imò conceptos fætus enecant luxuriâ S. Hieron. c. orig 39. q. 4. *Qui dicunt se Reip: causâ, & generis humani vxoribus coniungi, postquam venter vxoris intumuit, non perdant filios, ne amatores se vxoribus præbeant non maritos*. quia vt Glossa ibid. partus necatur agitatione. & hanc affert causam. Tiraq. lib. 15. n. 141. cur impudicæ mulieres non pariant. Quare tulerunt legem Seres ne cum gravida fiat congressus, ut idem ibid. hoc ipsum commendavit Concil. Elibertanum. in decretis Clemens Alex. 2. Pædag. 10. dixit. *Nefas est operantem iam naturam adhuc molestiâ afficere, superfluè prorumpendo ad petulantem iniuriam*. modeŕatam habeat in hoc genere animalia concupiscentiam.

Remedia luxuriæ ex Ethnicis.

Primum est, fugere prava colloquia. Epictetus dixit *Fomentum libidinis est sermo lascivus*. Quare vehementer Hiero. Syracusanus iratus est Epicarmo Pòétæ Comico quòd coram sua vxore quædam impudica dixisset. Plut. in apopht. Romulus voluit turpia dicentes puniri vt homicidas. idem in Romulo. Deinde exempla sunt fugienda. Seneca de tranquill. *Sumuntur à conversantibus mores, & ut quædam*

conta-

contactu in corpus vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. vnde Euripides in Andromache. *Malarum fæminarum introitus me perdiderunt:* Cavenda est tertiò picturarum obscænitas. Chereas aspecto Iove cum Danaë depicto turpiter exarsit. Terent in Euncho. Act. 3. sc. 5. & Propert. 2. eleg. 6 *Quæ manus obscænas depinxit prima tabellas, illa puellarum ingenuos corrupit ocellos.* quare eiusmodi imagines prohibet. Aristot 7. Polit. 17. Quartùm remedium est fugere choreas. Ovid. 2 de remedio. *Enervant animos cythara cantusq; lyraq;, & vox, & numeris brachia mota suis.* Quinto vitandi sunt libri lascivi. Ovid. ibid. *Teneros ne tange Poëtas. Carmina quis potuit tutò legisse Tibulli?* Quare Spartani Archilochũ Poëtam impurum exilio puniverunt. Val. Max. l. 6. c. 3. Sextò, temperantia in vino & potu servanda, Ovid. 1. de arte. *vina parant animos venire.* Quare mulieres Romanæ, ut scribit Halycarn. Milesiæ vt Rhodigin. omninò abstinebant vino. & Cicero 3. de Natura. *Si vinum biberit domi ut adultera puniatur.* & Egnatius vxorem bibentem vinum occidit. Plin. lib. 14. c. 13. Septimò, fugiendum est otium. Theophrast. *Amor est affectus animæ otiosæ.* & Ovid. de remed. l. 1. *Quam platanus rivis gaudet quàm populus vndâ & quàm limosâ canna palustris humo, tam venus otia amat.* Comprehensa hæc omnia sequentibus versiculis,

Causæ

Otia, mensæ, Libri, vaga lumina, verba, sodales;
Hæc tolle, hanc minue, hos muta hæc claude, hæc fuge, vita hos.

Effectus.

Corpus, opes, animum, ingenium, famam, virtutes.
Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.

Remedia.

Lectio, flagra, preces confessio, flere, labores,
Portarum excubiæ, Christi præsentia, pænæ.

Contra inconstantiam.

Consideret verba Eccles. 2. *Ve illis qui perdiderunt sustinentiam.* Quia solus, *qui perseuerauerit vsq; ad finem hic saluus erit.* Bern. epist. 91. *In via Domini non progredi est retrogredi.* Quam procul sane est progressus, secum expendat, vix aliquot passus. igitur cum se parum negliget redibit ad ea à quibus progressus.

Contra Odium.

Consideret quod dictum 1. Ioan. 4. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum & Fratrem suum oderit, mendax est. qui diligit Deum, diligit & Fratrem suum. In hoc cognoscent vos quod discipuli mei estis,* ait Christus, *si charitatem habueritis.* S. Macar. hom. 18. *Qui habet Spiritum Dei, omnes vellet intra viscera includere,* itaq; qui non vult includere, non habet charitatem. & qui hanc non habet, ad Deum non pertinet. vnde monuit. S. Chrysost. hom. 47. in Matth. *Stude chari-*

charitati potius quam jejunio. Si enim charitatem non habes, omnia tua bona opera nihil sunt. imò 1. Ioan. 2. *Qui odit Fratrem suum homicida est.* & quod miserabilius est. Huius peccati in eo manens non consequitur dimissionem. Quia scriptum est. Luc. 6. *Dimittite & dimittemini, eâdem quippe mensurâ quâ mensi fueritis remetietur vobis.* Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Contra Avaritiam, & tenacitatem.

Consideret quàm sit vita brevis, & in quot peccata incidunt avari. Exerceat actus liberalitatis maximè dando Eleëmosynas, quia scriptum est Tobiæ. 4 *Eleëmosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Recogitet quomodo comparebit coram Christo Iudice. Matth. 25. *Esurivi, sitivi &c. quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis.* si certè ut Matth. 5. dicitur. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* quid verò tunc immisericordes! Oeconomus es bonorum Dei non Dominus, ut docet S. Chrysostomus hom. 34 ad populum si aliter dispenses, quàm Deus præscripsit, vide 1 Tim. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in laqueos & tentationes Diaboli.* Quo te his loqueis involutum ducet? vis hîc recipere mercedem bona Mundi aggregando, vt dicatur sicut Epuloni.

ni. *Recepisti bona in vita tua.* post mortem non supersunt tibi nisi supplicia?

Contra neglectum verbi Divini, & lectionis Spiritualis.

Consideret quod scripsit S. August. inter 50. homil. 26. *Non minùs reus erit qui verbum Dei negligenter audiverit, quàm qui corpus Christi in terram negligentiâ suâ cadere permiserit.* Qui est ovis & non hædus, audit vocem Christi Ioan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Ioan, 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Lectio etiam Sacra est verbum Dei. Bern. serm. 50. ad Sororem. *Cum oramus cum Deo loquimur, cùm legimus Deus nobiscum loquitur.*

Contra detractionem & Maledictionem.

Expendat verba S. Ambrosij. 1. Offic. c. 4. *Cum quis male loquitur Dæmon excipit, & suo gladio vulnerat, laqueum stringit. cùm ergo eum senti adesse, tunc tanto magis custodi os.* Origenes hom. 3. in Exod. *Eorum qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit, vereor tamen ne sint aliqui quorum os contra os diabolus aperiat.* Præbet ergo Diabolo detractor linguam ut eâ utatur, aperit os ut ex eo venenum fundat, & inflammet suo igne infernali: ita enim Iacobi. 3. *Lingua est universitas iniquitatis, nam maculat totum corpus, & inflammata à gehenna inflammat rotam Nativitatis nostræ,* hoc totam vitam. simile est quod huius Apostoli Magister Christus dixit. Matth 5

Qui

Qui dixerit Fratri suo fatue reus erit gehennæ ignis. Aliâ imagine Chrysost. super Psalmum. 49. ad explicandam huius vitij enormitatem vtitur. *Detractor est ut scarabæus qui lutum & fætores fert, eoq; nutritur. vt hirudo sugit sanguinem Fratris.* Iam verò quantum sic peccatum, idem docet hom. 14. ad Ephes, *Qui Fratrem offendit, contristat Spiritum S. & Deum spernit non hominem.* S. Bern. in Cantic. linguam talem docet esse nocentiorem quàm fuerint clavi, aut lancea, quæ Christi corpus perforarunt, quia hæc charitatem fodit pro qua Christus mortuus. Scindit Christi vestem inconsutilem cui Crucifixores pepercerunt. Cogitet præterea Detractor quòd ei non dimittetur nisi revocaverit. Quòd multos sibi parat inimicos. Quod detrahenti ut vicissim detrahatur permittat Deus. Studeat, vt potius laudandis alijs assuescat.

Contra violationes Festorum.

Levit. 24. ita Deus de Sabbato quòd erat festum Iudæorum, loquitur. *Affligetisq; animas vestras die illa*, per contritionem cordis; scilicet, & orationes. *anima quæ non fuerit die hâc afflicta, peribit.* Dominica dies significat festum quod in cælo habituri sumus & diem requiescendi, male itaq; ille ominatur, qui illam facit diem laboris & peccatorum.

Contra scandala.

Scandalizantibus alios Christus dixit Matth. 18. *Qui scandalisaverit unū de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* S. Thomas Confession. cap. 10. *Tales rectè assimilantur dæmonibus, animarum damnationem insidÿs suis procurantibus, pro quarum salute Christus Sanguinem suum effudit: & sunt inimici Christi, quia student animas perdere.* ibid. cap. 12. *Omnium eorum peccatorum homo est particeps quibus occasionem præbuit malitiosè.*

Contra invidiam.

S. Aug. alicubi sic docet. *Invidia est Filia superbiæ, suffoca Matrem & non erit Filia.* apprehendat etiam quod dixit S. Thomas Confessioni c. 23. *Invidiæ nequitia directè contravenit Spiritui S. & non remittetur in hoc sæculo nec in futuro.*

Contra desperationem.

Consideret. an fuisset vnquam ausus petere Deum Patrem ut pro illo daret Filium in crucem? dedit. *Sic Deus dilexit mundum*, id est peccatores. an non facilius daturus locum in cælo quem pro te emit Filius eius? ipsemet Filius docet. Luc. 15. in Filio prodigo quâ lætitiâ Pater æternus recipiat peccatores, qui protestatus Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris sed magis ut convertatur ut vivat.* An si voluisset tuum interitum, causas non habuit te perdendi? Ecce quomodo te revocat. Ierem.

ô ani

ô anima peccatrix. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, verumtamen revertere ad me & suscipiam te.* & desuo affectu te facit certum. Isai. 49. *Nunquid Mater oblivisci potest infantem suum, ut non misereatur Filio uteri sui, etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

Contra zelum imprudentem.

Audiat verba D. Thomæ Confession. cap. 11. sunt qui dicunt in Confessione, *Vidi fieri talem defectum, vel audivi dicere tale verbum, de hoc fui valdè turbatus, quia erat contra honorem Dei, & contra bonos mores, & in malum exemplum aliorum. O stulte hypocrita quid dicis? nam te simpliciter laudas & nihil confiteris, taces peccatum tuum quod fecisti videns alienum defectum, quod forte fuit gravius quam iste defectus alterius, quia despexisti peccantem cui debebas compati, & mentiris dicendo te fuisse turbatum propter amorem Dei & proximi, cum tamen fueris turbatus propter superbiam tuam: vel quia non habes charitatem proximi, quæ non permittit contra aliquem turbari. Sic ergo dicas, videns, vel audiens fieri vel dici aliquid quod iudicavi esse malum, & forte esse peius quam fuit propter malitiam meam, quæ non permisit me excusare defectum vel intentionem dicentis, vel facientis, sicut poteram & debebam, non fui motus ad compatiendum ei, vel ad orandum pro ipso sicut debui ex charitate: sed magis fui commotus ad iram contra ipsum, contemnendo & ludificando ipsum, appetendo statim*

 puni-

punitionem eius, vel habere potestatem puniendi eum & hoc mihi accidit propter duritiam cordis mei & quia non recognosco patientiam Dei, qui supportavit me in grauibus peccatis absq; punitione. Memor sis etiam dicti Magni Gregorij. *Verus zelus compassionem, falsus habet indignationem.*

Contra nocturnas illusiones.

Doctrinam totam ex castissimo Doctore utpote Angelico sumamus. Illusionem docet ille ex quatuor causis solere provenire. 1. *Ex repletione*, etiam panis & aquæ, quia quod superfluum est, tandem aliquando debet reijci, & sæpè tunc reijcitur quando quis post repletionem ieiunat, ait citatus Doctor. Confess. c. 12. Oritur 2. *ex otio*, quia dum mens aut pijs aut alijs cogitationibus non impletur, sensus circa vana obiecta exerrant, quæ concitant naturam, ut attrahat materiam, quæ postea pruritum excitat. ideo opus est pijs aut saltem non malis obiectis animam implere. 3. *ex suggestione dæmonis*, volentis turbare animas bonas & puritatis studiosas, quod maximè facit dum se parant ad sacram Communionem, vel aliquam festivitatem devotius agendam, contra hoc adhibeatur oratio, sacræ reliquiæ, aqua benedicta 4. *Ex naturæ debilitate* & tum quidam solet fieri effusio, ait. l. c. S. Thomas sine ullo somnio fædo, & contingit sæpè intra breve tempus, Idem ibid. cap. 16

Sine

Sine libidinoſa delectatione, & carnis motione, nullo modo poteſt pollui vigilando. Vnde ſi homo, aliquis ſine his exeat non eſt pollutio, qui tamen eius cauſas non evitat quas poteſt vitare, ex quibus id in ſe experitur ſequi, ait idem, Credo eum graviter in peccati mortalis eſſe periculo.

CAPVT IV.

De Directione eorum qui ſe dicunt ad vitam Religioſam inclinari.

Pro hac te quaſdam Regulas à Confeſſario ſervandas, quaſdam à Pænitente, conficiemus

Regulæ concernentes Confeſſarium.

In vita S. Auguſtini cap. 27. ſcriptum huius Sancti Monitum quod Sacerdotibus dare ſolitus. *Vxorem cuiquam nunquam poſcat, ne ſecuto iurgio, ei maledicat. nec militare volentem, ad hoc commendet, ne malè agentis culpa ſuffragatore tribuatur.* in hunc modum regula formari poteſt.

1. Neminem ad Religioſum ſtatum inducat, quod etiam Reg. 23. Sacerd. in Societate Ieſu abſolutè prohibitum.

2. Qui ſe profitetur ſentire à Deo impelli ad ſtatum Religioſum monendus eſt ne obicem ponat Deo vocanti, ne eam excutiat; quia ab ea pendet non ſolùm æterna ſed & temporalis felicitas.

3. Qui inhabilis ad Religionem, etiamſi

dicat se maximè ad eam propendere, non vocatur à Deo, ideo monendus ut talis magis oret Deum, ut suam ei voluntatem aperiat.

4. Suadeat tali Pænitenti Orationes; mortificationes extraordinarias assumat, & ipse similiter orationibus eum iuvet iuxta 2. Thessal. 1. *In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione suâ Deus noster, & impleat omnem benignitatem voluntatis suæ*. Suadeat libri pij lectionem, vsum Sacramentorum.

5. Conetur impedimenta auferre. Quæ sunt, peccata Pænitentis, & amor quidam nimius terrenarum rerum.

6. Conetur dispositiones in Pænitentem introducere, quæ sunt, Vehemens desiderium volendi quam maximè Deo placere & indifferentia ad omnia facienda quæ Deus inspiraverit,

7. Vt non contemnat Pænitens, ea quæ Deus illi inspirat, sed potiùs cum Davide expectet. *Audiam quid loquatur in me Dominus*. aut cum Samuele. *Loquere Domine quia audit servus tuus*. interim instruendus est in modo bene confitendi ac devotè communicandi, habenda cum illo subinde pia colloquia, & quo hæc successu faciat examinandus suadendum vt omnes actiones suas quàm purissima faciat intentione. deniq; ne nimis differat si aliquid Deus illi in cor immiserit.

Regulæ Pænitentem respicientes.

1. Periculosius vivere inter Religiosos scandalosos ac vitijs sæcularibus implicitos quàm in sæculo: quia quo minus se ab illis separare potest, tantò vicinior est periculo, ac proinde huiusmodi Religionem non amplectatur, si quæ esset talis.

2. Si in temporalibus eligimus quæ meliora, idem certè multo magis faciendum circa æterna, ac proinde inter ipsas Religiones eligenda magis perfecta. Magis verò perfecta est, quæ propter finem perfectiorem est instituta, & ad eum finem media magis conducentia habet, auxilia maiora, modos faciliores. In qua magis vigent exercitia virtutum præcipuarum, quales sunt Humilitas, Patientia, Obedientia, Castitas, affectuum moderatio. in quæ vota Religiosa observantur. in qua scandala non conspiciuntur, quæ plura bona fecit pro Dei gloria & salute proximorum. Perfectior item est quæ est similis vitæ Christi ac Apostolorum. In qua maiores & frequentiores magnorum meritorum occasiones. Quæ utilior Ecclesiæ, Quæ non defecit à sanctitate quam tenuit initio suæ institutionis.

3. Videat pro qua habeat dona naturæ & supernaturalia magis idonea, & in qua magis illis possit uti: nam in Evangelio sunt

puniti, qui omiserunt talentis vti: videat itaq; pro qua eius vires, valetudo, ingenium, vigor, sensus singuli, memoria, magis valeant, & sciat quod potius illam debeat eligere cujus bona maiora & sibi magis proportionata intellectus agnoscit & si voluntas non ita propendeat, quàm eam in quam magis affectus voluntatis fertur etsi pauciora & minora in ea bona agnoscantur. Voluntas enim cæca est, sæpè magis cupit ea quæ minùs sunt appetenda.

4. Advertat, non statim à Deo vocari ad eam Religionem in qua est salvandus ut constat ex historijs Ecclesiasticis. & quotidiana experientiâ, sed ut plurimum divina Providentia prius abstrahit hominem à gravibus peccatis, deinde excitat odium etiam levium peccatorum. ac tandem virtutum desiderium, demum vitæ Religiosæ amore inflammat, & hoc amore durante nonnunquam contingit ut prius ad Religiones imperfectiores, deinde ad perfectiores impellat, & à facilioribus ad dificiliora deducet.

5. Finis propter quem ingredi appetit Religionem non debet esse vanus vt scilicet literaturam, dignitates &c. consequatur. sed ut melius & perfectius quam in sæculo vivat, & ut magis Christo suo Domino conformetur, Deo se pro beneficijs gratum exhibeat pro

pec-

peccatis satisfaciat, finem pro quo est conditus faciliùs consequatur, & pericula salutis quæ sunt in sæculo evitet Tum certitudo salutis quam fecit Christus cum dixit. *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.*

6. Ad Religionem rigidam non potest inclinare Natura, cùm horreat omnia aspera; non dæmon quia hic ad bonum non incitat. Etiamsi homines inducerent, dummodo prudenter agerent, adhuc vocatio censeri deberet esse à Deo, sicuti censetur esse à Deo cum Iudæus operâ Hominis, aut Hæreticus convertitur, aut aliquis è statu peccaminoso exurgit, quia Christus dixit eiusmodi. *sine me nihil facere potestis.* Et nulla res cui Deus dat vitam æternam, est ab hominibus: Religioso verò statui dat tale præmium: quocirca ab hominibus esse non potest. potissimum cùm habeat adnexam continentiam. *continens verò esse nemo potest nisi Deus dederit.* vt est in libro Sapientiæ.

7. De perseverando vana est tentatio. Siquidem etiam de aliorum statuum successu nemo certus, non ideò tamen eos nemo eligit. Multi militiæ pereunt, multi in mari, multi connubium infelix nanciscuntur. &c. Præterea de sui sequacibus dixit Christus. *Omne quod dedit mihi Pater ad me veniet, & quod*

ad me ueniet non ejjciam foras, & quod spem gratiæ divinæ auget, est illud quia ingressis Religionem confert Deus horrorem peccati, & desiderium vitæ melioris, quales Deus non solet deserere, neq; respicit quid præterita mereantur peccata. Ps. 16. *Saluas sperantes in te* Ps. 17. *Protector est omnium sperantium in se.* Ps. 25. *In Domino sperans, non infirmabor.* cuius rei manifesta exempla in his qui innumeri vsq; ad mortem perseverârunt.

8. Neq; id moveat dubium, te non vocari à Deo, quia es Peccator. Nam Christus D. dixit. *Non ueni vocare iustos sed peccatores.* &c. *Sanis non est opus Medico sed male habentibus.* Ad scholam non mittuntur iam eruditi, sed erudiendi, Religio est schola virtutum, itaq; Deus ad illam mittit eos qui sunt rudes in virtutibus. Religio est castrum munitum, itaq; inermes à virtutibus ad illud se debent recipere.

9. Sed amor Affinium prohibet? Audi Christum. *Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei. Qui Patrem, Matrem, amat plus quàm me non est me dignus.* Et Christus amavit Matrem, & tamen causâ nostræ salutis, illâ relictâ abijt ad crucem. Quo cariora propter Deum amittis, maiora præmia parat Deus. Certe omnis anima quæ est In inferno vellet relinquere Patrem & Matrem vt posset ex inferno liberari.

10.

10. Si seriò vult exequi suam vocationem, nulli eam aperiat præterquam Confessario, alias multæ solent intervenire turbationes. Visiones, revelationes, miracula, non expectet, ut eum trahant. Deniq; solent ejusmodi Homines à suis Confessarijs petere quædam monita, quid cavere quid agere debeant in novo statu Religioso, quæ quidem licet videantur minùs esse necessaria, cùm quævis Religio statim ab initio suos abunde instruat, dabimus tamen aliqua ad omnem Religionē utilia.

1. Omnem regulam & consvetudinem suæ Religionis plurimi faciat, ac quàm diligentissimè observet. Vitas Sanctorum suæ Religionis & non alienæ volvat ac evolvat.

2. Cum Superiore suo candidè agat, nihil illum celando.

3. Otium fugiat.

4. Desideret occupari in vilibus ac servilibus officijs, propter maiorem humilitatem & mortificationem.

5. Ita cum quovis suo Socio agat, ac si ageret in conspectu Superioris.

6. Nullum secretum suum aperiat alteri, nisi Confessario aut Superiori.

7. Quærat & desideret occasiones sui confundendi quam plurimas.

8. Desideret quàm maximè affligi, despici

calu

calumnias pati, derisiones, & infelicem diem reputet quo nihil passus.

9. Si quis eum offenderit, oret pro illo specialiter.

10. Optet ut personæ quæ illi videntur viliores, in Religione recentiores, ad altiora quàm ipse officia provehantur.

11. Post quamvis Confessionem accipiat unum aliquod notabilius peccatum, & specialiter illi attendat usq; ad sequentem Confessionem.

12. Non magis afficiatur uni ex suis æqualibus quàm alteri.

13 Non multùm legat, sed consideratè, ac memoriæ imprimat, & præcipuè regulas memoriæ commendet, mores, & consuetudines Religionis, vitas SS. Thom. de Kempis, &c.

14. Non solùm examinet se de peccatis quotidie, sed etiam de gravioribus tentationibus, passionibus, de intentione utrum ante opera præmiserit, & quomodo ea peregerit.

15. Non offendatur suis delatoribus aut accusatoribus, imò pro signo amoris accipiat, sicuti accipit si quis eius morbum defferret Medico ad hoc ut sanaretur.

16. Etiamsi innocenti aliquæ imponentur pænitentiæ, humiliter & alacriter eas obeat.

17. Nullam corporis aflictionem faciat sine Consilio Confessarij.

18.

18. Quod aliquo præſente de alio non audeccs loqui; hoc neq́, abſente illo loquaris.

19. Nihil tale agas, in quo ſi deprehendereris, erubeſceres.

20. Superiorum actiones & Ordinationes defendas.

21. Ita vive, ne te præſente quiſquam audeat male loqui aut agere.

22. Cùm quid tibi imperatur, quod non eſt peccatum, cum omni promptitudine exequere.

23. Cave amittas cordis lætitiam, nec ob peccata turberis cùm ſit Dei maior miſericordia. Et ſcias certò quòd te Deus non abijciat quamdiu tu deteſtaberis peccata, etiamſi in aliquod ſubinde incideres. Sed lætitia ſit abſq; levitate;

24. Quicunq; inſtinctus te avocat à ſtatu Religioſo, vel ducit ad Regularum vilipenſionem, non eſt à Deo. item qui minuit amorem Dei, humilitatis, Obedientiæ, confidentiam erga ſuperiores;

25. Non quæras guſtum & conſolationem in Oratione, quia hæc non efficiunt bonam Orationem, & ſi ea Deus dederit, age gracias.

De ijs qui dicunt ſe habere Viſiones aut revelationes Divinas.

Solent quidem, maximè qui debilioris cerebri, obnoxij eſſe quibuſdam vanis viſioni-

bus solatijsve dabimus notas aliquas ex quibus discerni possint quæ universim à bono & malo procedunt.

1. Qui expetunt visiones, raro habent veras: quia humilibus dantur veræ, quales isti non videntur esse.

2. Visio in qua docetur quis, vana, curiosa, saluti non conducentia, contra fidem, ac bonos mores, non est à Deo. item ex qua superbit, alios contemnit, superioribus minùs obedit, pertinacior in suo sensu redditur, nauseam concipit vitæ strictioris, aliqua ultra vires sine causa iusta attentat, perturbatur, plenus iræ ac furoris manet, non est à Deo. item post quam relinquitur tædium, tristitia, aversio à personis non solùm ab eorum malis actionibus, condemnatio actionum alienarũ quæ excusari possent, utpote non manifestè malæ, neglectus orationis ac Ordinariorum actionum, & solùm anhelatio ad hanc visionem, non est à Deo. Item si post illam ingerit se in res superantes suum captum cum quadam pertinacia & iactatione, ut si fæmina velit scripturam, aut Mysteria Trinitatis, Incarnationis, explicare, non est à Deo. Item si quandam indecentiam ac irreverentiam contineant. Si Visiones in dubia conijciant, an sit prædestinatus, aut in quandam certitudinem salutis sine timore & custodia morum ac Dei

Præ-

præceptorum, cum neglectu virtutum, maximè humilitatis, obedientiæ, si addant animos ut se conijcat in occasiones peccandi præcipuè in materia castitatis putando se sufficientem ad resistendum. Si ex ijs aliqua Ecclesiæ instituta aut cæremonias minoris faciat. Si teneritudinem & lacrymas excitent, deterreant tamen à sincera peccatorum Confessione, & seria pro illis satisfactione. Si ad vota inconsulta & ultra vires impellant; Si ad occultandum coram Confessario instigent, vel ad nimiam multitudinem precum, ut ijs satisfieri non possit cum devotione. Si ad zelum contra alios cum perturbatione, iudicijs temerarijs. Si ad scrupulos irrationabiles, desperationem ducant. ad mortificationes suum statum dedecentes, inverecundas, Ecclesiæ contrarias, inclinat, ad omittenda ea quæ sunt de præcepto ut suis devotionibus satisfaciat, ut sit magis intentus alienis quam proijs considerandis peccatis, ad laxitatem disciplinæ, vel ut specie humilitatis fugiat quæ tenetur vi seu status facere etsi sint speciosa, item si veniant non suo tempore & cum impedimento debitarum actionum, cum omissione Sacræ Communionis, neglectu Confessionis Hæc universaliter ostendunt illum motum animi, sive fiat per instinctus aliquos, sive per visiones & eiusmodi, sive per somnia, non à

Bono

Bono provenire. Cæterum qui vult de hac materia plura, adeat Alcetas. nam præsens tractatio non extendit se nisi ad magis communia & quæ non rarissime aut quasi instar casùs Metaphysici confessarijs evenire possunt, quibus hoc brevi scripto succurrere decrevimus.

3. Quando consolationes aut visitationes Spirituales non tam ad Dei gloriam quàm ad nostrum solatium, delectationem, honorem tendunt, suspectæ esse debent. v. g. metu laborum, ut non curent actus virtutum externos, sed persuadeant sibi sufficere internos cum præparatione animi ad externos, vel sint toti in externis non curando moderationem passionum vel ut immodico fervore abducti non requirant consilia Patrum Spiritualium, sed suum æstum animi tanquam regulam sequantur, vel ut summa de repente appetant nec gradatim ascendant, contemplationem, antequam vitia extirpent.

4. Etiam Spiritus mali possunt bona suadere etsi male, possunt suffragia pro animabus defunctorum ficte expetere, eas in locis sacris comparere. Boni etiam aliquando homines affligunt, etiam malis se videndos præbent, & mali etiam malos aliquando vexant. Quando tamen spiritus non in forma humana apparet operatur perversa, concubitus appetit

petit, blaſphemat, rebus ſacris abutitur, malus eſt. Item mali ſpiritus agunt amicè initiô, in fine perturbatum animum relinquunt. Boni initiò quidem ſunt terrori, ſed tandem tranquillum relinquunt animum. Qui ſe dicunt ab hominibus cogi, ſuſpecti ſunt: vti & illi qui per Magos aduocantur. item perverſi ſunt qui Crucis S. ſignum horrent, ſacras reliquias, Agnum Dei, aquam benedictam, nomen Christi, ac alia huiuſmodi: verumtamen maligni ſpiritus aliquando hæc ipſa ſuſtinent.

CAPVT V.

De dubijs quæ circa Confesſionem, præcipuè iam transactam, tam Confeſſario, quàm Pænitenti occurrere poſſunt.

1. In dubijs melior eſt conditio poſſidentis ille autem poſſidere cenſetur, qui ſi ad forum externum citaretur, non deberet ſuam cauſam probare ſed eius Adverſarius. v. g. Certum eſt quòd lata ſit eſt lex, dubium an illi ſatisfeceris, tu deberes probare te ſatisfeciſſe, atq; ita lex eſt in poſſeſſione, & illius melior eſt conditio, illiq; debes ſatisfacere. idem de voto. Sed ſi dubium an ſit lata lex, an factum votum, tu es in poſſeſſione tuæ libertatis, & non obligaris illi ſatisfacere.

2. Quando aliquis dubitat an ſe ſatis pro Confeſſione præparaverit: doluerit, an malis

cogitationibus consenserit, procedat iuxta dicta de scrupulosis quo ad hoc punctum.

3. Quando quis dubitat an votum, an solum fecerit propositum, item an post Confessionem proposuerit an promiserit: si statim, aut paulò post dubitat an se obligaverit, censetur non fecisse votum, quia præsumitur non potuisse tam citò suæ obligationis fuisse oblitus. Idem ferè est si post factum, habuit statim animum non exequendi, quia ad quæ nos obligamus ea volumus exequi. Attendat etiam ad verba quibus illam suam voluntatem exprimebat, quæ si ex se non indicent obligationem vel contractum, signum est non fuisse factum votum. contractum sonant in hunc modum prolata. *Si hoc mihi dederit Deus ego vicissim hoc faciam.*

4. Qui habet rationes probabiles quòd peccaverit, ac ideò confiteri videbat sibi esse necesse: si tamen etiam habet rationes æquè probabiles quòd non peccaverit, non tenetur confiteri. Soar. de pænit. d. 22. s. 9. n. 5.

5 Qui scit certò quòd peccaverit mortaliter, sed verum sit confessus dubitat, & habet rationes probabiles quòd sit confessus. probabiles etiam quod non sit confessus confiteatur utrũ.

6. Qui scit certò se peccasse mortaliter, & habet rationes probabiles quod sit confessus: nullas verò quòd non sit confessus, non tenetur confiteri.

7.

7. Qui habet rationes. probabiles ſe peccâſſe mortaliter nullam autem probilem quòd ſit confeſſus, tenetur confiteri. Quia præceptum confitendi eſt in poſſeſſione.

8. Qui dubitat an fecerit peccatum, ſed nullas habet rationes probabiles, pro, vel contra. vel ſcit certò ſe comiſiſſe peccatum, ſed dubitat an ſit confeſſus, neq; vllas pro aut contra habet rationes, ex communi ſententiâ obligatur ad confitendum: etſi etiam ſit probabilis quæ negat, & iſtâ poſſunt uti ſcrupuloſi. Soar. Granado.

9. Qui ſola dubia attulit peccata ad confeſſionem, monendus erat ut aliquid certi adderet, ut ita certam materiam haberet abſolutio. quodſi nihil attuliſſet, ſub conditione, ſaltem in mente habita, abſolvi potuiſſet.

10. Qui confeſſus aliquod peccatum putans eſſe certum, poſtea advertit fuiſſe dubium, non tenetur de novo confiteri, quia moraliter iam illud confeſſus,

11. Qui confeſſus eſt ſe peccâſſe decies, poſtea advertit quòd ſolùm quinquies peccaverit, non tenetur de novo confiteri, quia in maiori numero dixit minorem.

12. Qui confeſſus bona fide ſe decies peccaſſe, advertit verò poſtea quòd multò plurices peccaverit, ſolum illum exceſſum ſupra decem tenetur confiteri.

13. Qui confessus est se decies peccasse, plus minus, postea advertit quòd peccaverit duodecies, non tenetur hunc excessum confiteri, quia hic est parvus, & continetur in illis particulis, *plus minus*. de excessu verò an sit parvus an magnus prudentis est iudicare

14. Qui in pueritia, vel dum erat rudis, confessus peccatum eo modo quem tunc putavit optimum: si postea advertat se malè confessum non tenetur de novo confiteri. Fagundes de præcepto. 2. Eccles. lib. 3. cap. 4. Lugo de pænit. d 16. s. 14.

15. Qui bonâ fide confessus peccatum tanquam dubium dicendo. *Fortassè detraxi*. etsi postea advertat se certò detraxisè tenetur repetere & ut certum confiteri.

16. Qui confessus peccatum de quo dubitavit, aut ipse, aut Confessarius, aut uterq; an esset mortale: si postea inveniat omninò fuisè mortale non tenetur de novo confiteri. Quia ad validam absolutionem non est necesse ut Pænitens aut Confessarius certò sciat aliquod peccatum mortale esse aut non esse.

17. Qui confessus peccatum de quo dubitabat aut ipse aut Confessarius an esset de facto aut de iure reservatum, etsi confessus coram eo qui non habuit potestatem absolvendi à reservatis, valide est absolutus.

18. Qui confessus numerum peccatorum confusè,

confusè, etsi eum postea clarè cognoverit, non tenetur de novo confiteri. v. g. *Vixi cum concubina per duos annos, & singulis hebdomadis circiter quater peccavi*: etsi postea numerus peccatorum exactè illi innotuerit, non tenetur confiteri. Vasq q. 19. de pænit. a. 1. d 6. Lugo.

19. Qui actu celebrat, vel communicaturus flexit in loco communionis non obligatur recedere cum infamia ut confiteatur peccatũ quod tunc primum sibi commemoravit. Si potest absq; infamia tenetur.

20. Qui dubitat an comederit, vel non est certus utrum post mediam noctem, non communicet.

21. Qui confessus non habenti Iurisdictionem, vel in reservata potestatem & sit abijt non absolutus: Si interea Confessarius acquirit Iuridictionem vel illam potestatem & recordatur peccatorum, satis est ut Pænitens novum mortale si in aliquod incidit, expreisè dicat: & de illis accuset se hoc modo, *Me accuso de illis quæ nuper dixi.* Nam licet prior Confessio non fuit Sacramentalis quia non fuit facta coram Iudice, sed per posteriorem repetitur, sed si Confessarius non recordatur peccatorum sufficienter ut de illis ferat iudicium, debet tota clarè repeti Confessio Lugo de pænit. d. 16. s. 15.

22. Qui Confitetur illi qui clarè aliunde

ſcit peccatum. Satis eſt ſi dicat. *Me accuſo de peccato quod ſcis*. Lugo ibid.

23. Quando Sacerdos dixit. *Pro pænitentia ieiunabis, Sacrum audies*. Si non addidit expreſſé, ut idem illud audias, vel ieiunium ſerves ad quod aliunde es obligatus, intelligendum de eo ad quod non obligabaris.

24 Quando non eſt deſignatum tempus pro implenda pænitentia, reſtitutione: idem eſt de voto pro quo implendo non expreſſiſti tempus: implendum eſt quam primùm commodè poteris. & ſatisfacies etſi non in ſtatu gratiæ impleveris.

25. Quando pro pænitentia impoſita oratio, ſatisfacies illam dicendo tempore Miſſæ quam audire obligaris.

26. Qui pænitentiam non poteſt implere per ſeipſum, quæ impoſita illi ut perſe ipſum faceret, non tenetur per alium.

27. Qui confeſſus peccatum quod fecit ex ignorantia, nec addit hanc circumſtantiam quòd fecerit ex ignorantia. Si ignorantia non fuit craſſa, affectata, vincibilis neq; illum excuſans a cenſura aliqua neq; per eam ſe videbatur reſolvere ad peccatum ſimul aliud ſpeciei alterius, neç erat opus ut illam exprimeret, nec eſt opus ut eum illa ad Confeſſionem recurrat. Lugo de pænit. d. 16.

28. Qui Confeſſus aliquod peccatum quod fecit

fecit ex conscientia erronea vg. putando fuisse diem festum quando non erat, & sic non audivit Missam: in Confessione verò solùm dixit se non audivisse Missam, non addito *ex erronea conscientia*. satisfecit, neq, repetere tenetur. idem est si ex simili errore non ieiunavit, idem si volendo noctu furari aurum furatus plumbum, si dixit in confessione *furatus sum aurum* satis fecit. Lugo de pænit. d. 16. s. 4 In hoc tamen casu, si censura aut reservatio fuit in non audientem Missam, non ieiunantem, furantem aurum, non incurrit illam qui taliter peccavit. Qui tamen rem licitam fecisset putans esse illicitam debuerat hunc errorem exprimere, nam eo non expresso diceret in confessione se non peccâsse cum revera peccaverit. Lugo l. c. s. 12.

29. Qui fecit aliquid quod putavit esse peccatum, neq; determinavit, quale: & accusavit se peccati solùm venialis, satisfecit, quia in tali casu solùm veniale commisit Valentia tom. 2. d. 2. q. 14. Sed si occurrit illi *exponis te periculo peccati mortalis forte enim est mortale*. peccavit mortaliter.

30. Qui confessus, oblitus peccati, dum redit cum eodem, non opus ut præteritam totam confessionem repetat, sed tantùm peccatum cuius oblitus dicat.

31. Si quis bonâ fide in Confessionibus solitus fuit mortalium omittere numerum. Satis est ut dicat se bonâ fide eum numerum omisisse, & dicat solùm confuse numerum.

32. Si quis bonâ fide putans esse veniale, omisit mortale in confessione non tenetur Confessionem repetere, sed solum confusè numerum talium peccatorum, id est plùs minùs.

33. Si Pænitens excommunicatus sine absolutione ab excommunicatione absolutus fuit à peccatis, & siluit se esse excommunicatum, neq; ab hoc Confessario posse absolvi, tenetur confessionem repetere coram habente potestatem & hoc ipsum tanquam mortale confiteri.

34. Qui habens reservata confessus habenti potestatem absolvendi à reservatis oblitus alicuius reservati iam illud potest confiteri non habenti potestatem absolvendi à reservatis. Sed si confessio fuit aliunde invalida, tenetur recurrere ad habentem potestatem à reservatis absolvendi. Soar. de pænit. d. 31. s. 4.

35. Si Pænitens ex iusta causa non fecit confessionem integram materialiter cessante causâ repetat.

36. Si Pænitens habens excommunicationem vel casum reservatum, confitetur ei qui

habet

habet potestatem ab his absolvendi, sive per se sive delegatam, sive ratione Iubilæi, sive aliunde: oblitus verò fuit, aut bonâ fide omisit dicere censuram aut reservationem, licet Confessarius non vsus fuisset nisi communi illâ absolutionis formâ. *Absolvo te ab omni vinculo excomm. in quantum possum & tu indiges*, est absolutus. Sed si addita fuit conditio, uti solet addi in Iubilæo ne absolvatur à censura priusquam parti satisfecerit, si non satisfecit parti, non est absolutus. Lugo de pænit. d. 16. s. 15.

37. Qui Confessus habens censuras & reservationes, & Confessarius solâ vsus formulâ *Absolvo te à peccatis*. quod potest evenire in articulo mortis & brevibus Confessionibus, oblitus autem Pænitens bonâ fide censuræ aut reservationis: est absoltus ab illis imò etsi earum meminerit, sed loqui non possit. Soar. de cens. disp. 10. sect. 2. Quia tunc absolvendo à peccatis absolvit & ab eo quod peccata comitatur pro tutiori tamen, dicat Confessarius. *Absolvo te ab omnibus censuris & peccatis.*

CAPVT VI.

De Modo corrigendi errores si qui à Confessario commissi.

1. Si Confessarius non absolvit eum quem debuit absolvere: & Pænitens adhuc est præ-

sens illi moraliter, v. g. adhuc est in templo in conspectu eius: si potest præsumere prudenter quòd non sit lapsus in novum mortale, eum absolvat. Meliùs tamen fecerit, si potest fieri absq; scandalo, eum ad se revocando. Quodsi Pænitens iam sit extra templum nec revocari possit, Christo Domino committatur negotium.

2. Quando Pænitens confitebatur, se in alijs confessionibus numerum mortalium omisisse vel aliquod mortale, & hæc etiam nunc putat bonâ fide, se non teneri dicere, si ex monitione non fructus sed potius conscientiæ perturbatio expectetur, relinqui debet in sua bona fide.

3. Si Confessarius sine culpa sua mortali erravit in aliquo, quod nec valorem Sacramenti, nec bonum tertij lædit: non sit de illo ampliùs sollicitus. v. g. non interrogavit de numero, de circumstantijs necessarijs, reliquit Pænitentem in occasione proxima. Sed si erravit cum culpa sua mortali faciat diligentiam moralem ut admoneat Pænitentem. Lugo. d. 22. de pænit. s. 3. Quodsi positive concurrit ad errorem, sine sua tamen culpa, moneat Pænitentem si potest, id ibid.

4. Si Confessarius absq; culpa gravi erravit cum damno tertij v. g. omittendo præcipere restitutionem, ad nihil tenetur. Si cum

culpa

culpa gravi, tenetur admonere: & si non admonuerit, peccat graviter. Quodsi cum culpa gravi dixit ne restitueret alter, tenetur illum admonere ut restituat: & si ille non potuerit restituere, cum ante erroneam prohibitionem restituendi potuisset, aut etiã nolit restituere, tenetur id ipse Confessarius facere quia est causa damni. quodsi hoc fecit sine sua culpa gravi, tenetur erroris admonere ex charitate si possit absq; suo gravi damno. quanquam alij doceant, etiam tunc illum teneri ex iustitia. Lug. d. 22. de pæn. s. 3.

5. Confessarius si fecit cum suo gravi peccato Sacramentum Pænitentiæ irritum v. g. absolvit non habens potestatem aut Iurisdictionem, vel sine intentione, vel indispositum Pænitentem: etiam cum suo gravi incommodo, tenetur hunc errorem Pænitenti aperire Lugo l. c. si possit illum convenire vel obtentâ iurisdictione & melius disposito Pænitente cũ inducat ad Confessionem in Communi ut de ijs se accuset in communi dicendo se dolere de ijs quæ ipsi Confessus. Quodsi Confessarius non possit reducere Pænitentem nec illi errorem aperire sine gravi scandalo infamia, doleat ipse de peccato, & Pænitentem in bonâ fide relinquat. Suar. d. 32. sect. 6. Quodsi hoc fecit sine sua gravi culpa, & videtur fore probabiliter hæc vltima Confessio Pænitentis

tis, ut morituri v. g. tenetur cum suo etiam gravi incommodo admonere. Si non videatur esse ultima, non tenetur ita monere, si ad eum Pænitens rediturus. Quia in sequenti confessione etiam ab his absolvetur etsi illa non dixerit. id ibid.

6. Cum autem monendus est Pænitens, rogari debet, ut priùs det facultatem sibi loquendi de re ad salutem necessaria, & ad eius Confessionem, quod si eam negaverit, ad nihil ampliùs tenetur Confessarius.

7. Confessarius non obligatur nomine Pænitentis famam vel pecuniam restituere, aut corrigere, nisi vrgeret publica, vel extrema necessitas, & nullus alius posset id facere præter Confessarium.

8. Si Confessarius erravit non satis examinando Pænitentem vel relinquendo in statu proximo peccandi ad nihil aliud tenetur quã ad pænitendum de hoc peccato, & si potest monere moneat.

9. Quanto Maiorem quantitatem culpabiliter restiuere vetuit Confessarius tantò cum maiori suo incommodo monere Pænitentem tenetur.

10. Si absolvit à censuris invalide, postea obtentá facultate absolvendi quâ priùs caruit v. g. potest absolvere absentem.

11. Si aliquem ex errore non absolvit; nec

ille

Ille est amplius præsens, inducere eum tentet vt sibi confiteatur adhuc semel non repetendo peccata, præterita & sic etiam de præteritis illum absolvat: vel saltem hortetur vt non diu differat Confessionem, & sic absolvatur etiam à præteritis.

12. Si contingeret nomine Pænitentis alicui restituere pecuniam, petat schedam quâ iniuriatus testetur sibi satisfactum & eam causâ ædificationis & suæ securitatis exhibeat Pænitenti.

13. Si oblitus aut neglexit culpabiliter Confessarius interrogare de circumstantis peccati, si non possit monere, solum doleat de sua culpa. Soar. d. 1. p 31. s. 6.

14. Si non monuit Pænitentem ut restituat, quòd Pænitens illam omissionem monitionis accepturus sit pro deobligatione à restituendo, dummodo incommodum suum non sit maius damno tertij, etiam cum suo incommodo tenetur monere. Lugo. d. 22. n. 61.

15. Si dixit, ne restitueret, putando quod non teneretur restituere moneat illum si potest sine scandalo Lugo ibid. t. 62. idem sentiendum de eo qui male aliquem sic casum resoluit. v. g. concubinam non dimittendam Soar.

16. Si in vna Confessione oblitus interrogare

gare

gare de circumstantia necessaria, interroget in alia si Pœnitens redierit. Lugo. d. 2. n. 77. quod maximè faciendum si pœnitens fuit absolutus ab Excommunicatione vel reservatis sine facultate quæ nunc obtenta est.

CAPVT VII.

De permittenda aut neganda S. Communione.

Experientia docet quòd illi qui frequenter in eadem relabuntur peccata maximè in carnalia; si frequenter audeant communicare aut sacrum dicere, perveniant ad quandam insensibilitatem, vt sine timore & reverentia id faciant. atq; etiam eâdem die quâ sacram sumpserunt hostiam relabantur in peccata. Præterea actus carnales etiam liciti devotionem perturbant, vnde Canones veteres suadebant coniugatis ut etiam á coniugij vsu licito per sex aut octo dies ante sumptionem S. Eucharistiæ abstinerent. ex quo patet quòd non statim post peccatum deceat admitti ad hanc sacram mensam, nisi dolor extraordinarius aliud faciendum testaretur, Præterea notorij peccatores & Meretrices atq; vsurarij nisi constiterit palam, quòd vitam emendaverint, arcendi sunt à sacra mensa. Accedere ad eandem non finitur qui post dimidiam noctem aliquid comedit aut bibit, nisi accessurus tanqam ad viaticum. Incapaces etiam sunt Eucharistiæ qui vomitu, aut tussi laborant

rant cum periculo reiectionis specierum Luxuriosi confiteantur etiam aliquoties in septimana, hoc enim illis vtilissimum, sed non communicent nisi magnum dolorem ostenderint.

CAPVT VIII.

De Sigillo Confessionis.

Obligatio Sigilli oritur ex Confessione Sacramentali perfecta vel inchoata, facta Sacerdoti vero vel existimato: materia eius peccata omnia audita in confessione, & circumstantiæ ac obiecta eorum, & quidquid potest exosum reddere Sacramentum Pœnitentiæ, circa hæc eiusmodi regulas formamus.

1. Pænitens non sigillo Confessionis sed Secreti naturalis obligatur ad ea tacenda quæ audivit à Confessario, adeò ut peccet graviter si ea revelet: & si insuper revelat ea ad irrisionem, peccat contra Quartum Decalogi præceptum, & si illa revelatio noxia famæ aut vitæ Confessarij, incidet in peccatum diffamationis, aut aliud contra Iustitiam. Lugo de pænit. d. 23. s. 2.

2. Sacerdos obligatur Sigillo Confessionis ad tacendum etiam ea à quibus non absolvit.

3. Sigillum Confessionis tantoperè obligat ut potiùs eligendæ sint omnes pænæ mundi quam eius violatio. & qui illud violat peccat

contra

contra Religionem: & si per hoc nocet Pænitenti, peccat contra Iustitiam, cum onere restitutionis: peccat etiam contra fidelitatem. Audiamus iam quid dicat Ius Canonicum ex S. Greg. de pænit dist. 6 cap. Sacerdos. *Caveat Sacerdos ne dicat aliquod peccatum quod in Confessione audivit. & si dixerit, deponatur, & totâ vitâ suâ ignominiosè peregrinetur.* & de pænit. ac remiss. Cap. omnes utriusq; sexûs. ¶ Caveat. *Caveat super omnia Sacerdos, ut neq; verbo, neq; signo, neq; ullo alio modo manifestet peccatum: & qui præsumpserit revelare peccatum auditum in Confessione: determinamus, quod iste talis non solùm sit depositus ex officio Sacerdotali, sed recludatur in stricto Monasterio, ad perpetuam pænitentiam.* & hoc quidem licet iam mortuus fuisset Pænitens. verùm hæc pæna non est nisi post Sententiam Iudicis, qui illam etiam alijs pænis aggravare potest. In non Sacerdotes qui audiverunt confessionem & violant Sigillum pæna arbitrio Iudicis relinquitur.

4. Obligatur sub mortali ad id cavendum qui casu, aut de industria audivit aliquod confitentis peccatum, aut finxit se esse confessarium, aut scripta alicuius peccata invenit.

5. Obligatur etiam ille quem Confessarius de licentia Pænitentis circa Peccata consuluit. vel cui fortè aperuit aliquomodo.

6. Omnes hi ita; obligantur ut neq; cum Pæni-

Pænitente sine licentia eius de ijs loqui possint. quam etiam licentiam Confessarius petere debet si vult loqui extra Confessionem de peccatis auditis in confessione. Potest tamen loqui statim post datam absolutionem priusquàm abeat Pænitens, quia adhuc moraliter durat Confessio. potest etiam loqui in alijs confessionibus. Lugo tamen monet id rarò expedire, ne per hoc fiat aliqua Pænitenti molestia: opus tamen est aliquando uti licentiâ præteritarum Confessionum in alijs confessionibus & licet, ut petat. siquidem Recidivos ex præteritis iudicamus.

7. Qui extra Confessionem dicit se aliquid dicere sub sigillo Confessionis, non est ibi hoc sigillum, sed secretum quod potest esse maximum, nisi diceret in ordine ad Confessionem.

8. Obligatur Sigillo Confessionis Sacerdos, ne prodat se Pænitentem non absolvisse, aut absolutionem distulisse, quia hoc audito suspicaretur aliquis de mortali statu Pænitentis. nec potest revelare, quòd Pænitens non finierit Confessionem. Sæpe etiam obligatur ne dicat, quis illi confessus, quando non vult Pænitens se prodi, Aliquando etiam scandalum generat, si referantur peccata, aut aliæ actiones, visæ aut auditæ Pænitentis, etsi non possit deveniri in notitiam Pæniten-

tis, expedit & ista silere. Cavere etiam debet ne auditâ Confessione peccatoris ostendat illi vultum torvum, aut nolit iterum audire, aut minora signa benevolentiæ quàm antea, aut minorem familiaritatem, per hoc enim aliquo modo violaretur Sigillum. Lugo d. 23. n. 104. Item si nolit audire.

9. Qui non habet facultatem à reservatis, vel Iurisdictionem, si recurrit ad superiorem dicendo peccata, obligatur Superior sigillo ad illa retinenda. & si nomen incautè prodidit, multò magis obligatur.

10. Monendi sunt Pænitentes ne nimis propè accedant dum unus confitetur, quia audiendo peccata possunt graviter peccare.

11. Non peccat contra sigillum Sacerdos, si dixerit. *Petrus est mihi confessus venialia* dum nullum specificet, debuit enim aliquid confiteri si confitebatur. peccaret verò si diceret *Petrus est mihi confessus multa vel gravia venialia* vel huius speciei, quia id occultum. Lugo d. 23 sect. 3.

12 Neq; in pænitentis bonum quidquam dici potest ex confessione nisi de licentia libera & minimè extorta Pænitentis. Lugo de pæn. d. 23. sect 5.

13. Cùm Pænitens incipit loqui de peccatis coram Confessario eo ipso dat illi licentiam de illis loquendi. Henriq. lib. 6. c. 20 n. 7.

14. Quem non absoluit, ita debet dimittere, ut nemo advertat non esse absolutum.

15. Quando dat Pænitens facultatem metu, dolo, reverentiâ, nimis extortam, nulla est, quod quasi semper accidit quando à pueris petitur.

16. Ita obligat sigillum Confessionis ut Confessarius etiam iurare possit se non audivisse peccatum, à quocunq; demum Iudice interrogaretur. Ita obligat ut nec confiteri possit suum peccatum, si per hoc revelaret Pænitentis peccatum neq; potest dicere quantam imposuerit pænitentiam quando gravis est, quia ex hoc cognosceretur, confessus esse mortalia.

17. Si Confessarius dicat de magna communitate. *In tali loco tale audivi peccatum,* non violat secretum. si de parva communitate dicat violat. ita Lugo. quia licet non diffametur persona, diffamatur communitas. Sic sæpissimè facit Superior qui dicit v. g. Provinciali. *in mea domo sæpe petitur facultas pro reservatis* Turrian. de pænit. q. 11. a. 1.

18. Scandalum est dicere peccata quæ scis ex Confessione, etsi aliunde etiam scias.

19. Neq; potest Confessarius prodere alicuius complicem quem ex Confessione cognovit, licet id Pænitens concederet. Vasq;. de pænit q. 93. a. 4. dub. 5. Suarez verò docet-

 si hoc

si hoc faceret Confessarius non viro laret quidem secretum Confessionis, peccaret tamen graviter. Moneri tamen privatim posse complicem, idem concedit.

20. Nec licet revelare non peccata, quæ attulit Pænitens ut peccata, nec statum Pænitentis an v.g. sit Sacerdos, Miles &c. Si id ille sciri non vult, nec eum circa quem factum est peccatum, nisi aliunde esset id publicum.

21. Si quis conferat cum laico de peccatis, vel cum Sacerdote non animo confitendi, sed causâ doctrinæ vel consilij v. g. ut discat modum explicandi peccatum in confessione, secretum naturale in eum inducit: sed favebis magis Sacramento Confessionis, si dixeris quòd Sigillum Confessionis inducat Sacerdoti.

22. Si quis laico confitetur causâ devotionis, vel humilitatis, non obligat eum Sigillo Confessionis, quia non facit Sacramentalem Confessionem. Secùs est, si putaret se ab eo posse absolvi.

23. Qui confitetur audientibus alijs, uti in naufragio vel alio casu: ita omnibus inducit Sigillum, ut nec inter se possint de eius peccatis colloqui.

25. Qui legit peccata sciens cuius sunt, & iuxta aliquos ad silendum secreto naturali, iuxta alios Sacramentali obligatur, & utraq; sententia probabilis.

25. Si quis se gereret pro Sacerdote cùm non sit, & illi verus Sacerdos confiteri solitus esset: Si illa non Sacerdos aperiret vero Sacerdoti se non esse Sacerdotem adhuc verus Sacerdos obligaretur illi simulatè confiteri, si per hoc, quòd non confiteretur, videretur eum prodere. Lugo. seriam verò Confessionem coram vero Sacerdote deinde facere deberet Sacerdos.

26. Nec dicere potes de Pœnitente, quòd sit scrupulosus, indoctus, blæsus, neq; si in Confessione Confessarium afficeret contumeliâ: quia posset reddere odiosam Confessionem, nisi hæc aliunde essent nota.

27. Sigillum Confessionis in nullo casu violare licet, nec causa vitæ propriæ: nec causa salutis Reipublicæ.

28. Nec potest peccata publica revelare Confessarius quæ audivit in Confessione: Quia fama publica nititur suspicionibus, ex revelatione verò Coufessarij haberetur certitudo.

29. Ex notitia habita per violationem Sigilli non potest Iudex procedere, quia ipse etiam ligatur Sigillo.

30. Dandum est testimonium Confessionis etiam illi quem non ábsolvisti, vel qui non finivit Confessionem, aliàs proderetur quòd esset incapax. Imò si solùm *Confiteor* dixisset: adhuc

adhuc posset dari testimonium semel aut iterum utendo in eo æquivocatione, dum non fiat in fraudem.

31. Qui ex sola confessione scit aliquem esse excommunicatum, non potest eum vitare.

§. *De Vsu Scientiæ habitæ ex Confessione.*

1. Nec ad vitam propriam conservandam potest quis uti scientiâ habitâ ex Confessione, estò Pænitentem non revelat; si tamen ex eo usu periculum est grave ne quis suspicetur de Pænitente. Coning.

2. Si ex Confessione unius advertisti quòd alter non integrè confiteatur, potes eum generatim interrogare, & hortari ad integrè confitendum (sed non potes in particulari:) & si negaverit, est absolvendus.

3. Quando contra vnum Sacerdotem plures conspirârunt, eius vinum v. g. in quo celebráturus veneno inficere, vel postquam domo exierit, occidere: si id cognovit ex confessione vnius illorum, potest simulare causam non dicendi Missam, aut domo non exeundi. Coning. Bonac. & aliqui alij. sed Soar. & Lugo id negant.

4. Cadit sub sigillum complex, & quæ dicit Pænitens volens esse sub sigillo Confessionis, alioqui illis revelatis fieret odiosa confessio. Lugo disp. 29. sect. 3. item cadit sub sigillum non peccatum quod Pænitens confessus ut peccatum, ibid. n. 51. & 59.

5. Peccat contra sigillum Confessarius qui è duobus vnum laudat, dicendo, iste sola venialia habet. quia alterum vel etiam alios paucos facit suspectos mortalium ibid. num. 50. nisi comparatio nulla posset oriri.

6. Violat Sigillum dicens Superior de subdito. Iste mihi est confessus, quia movet suspicionem quod habuerit reservatum. Soar.

7. Violat Sigillum qui relicto Pænitente in Confessionali abit ab consulendum de casu, quia dat occasionem suspicandi de illo. Lugo ibid. n. 14.

8. Violat sigillum qui dicit naturalem defectum Pænitentis ex quo datur occasio suspicandi aliquod peccatum. Lugo ibid. n. 54. dat pro regula. *id esse tacendum quod Pænitens vult taceri; id posse dici, quod ipse extra confessionem diceret; quæ non diceret, secretò velle teneri.*

9. Violat Sigillum quis auditis paucis, dicit se habuisse talem casum, quia movet suspicionem de aliquo illorum.

10. Violat Sigillum saltem in ordine ad hoc ut peccet mortaliter, qui dicit se in tali Monasterio, vel à talis Ordinis persona tale in Confessione audivisse peccatum, etiamsi nomen illius taceat. Lugo ibid. n. 63.

11. Violat Sigillum qui loquitur de peccatis pænitentis licet sint publica si non noverit illa aliunde, si dicat illa se scire. Soar. sect. 3.

 n. 6.

n. 6. & si noverit, caveat ne illa certius affirmet, aut circumstantiam addat. Lugo ibid. 62.

12. Violat sigillum qui audiens à Pænitente sum scrupulosis, detineo Confessarios, ijs non acquiesco, id revelato.

13. Periculosum est etiam non nominatâ personâ dicere se talia peccata solere audire, vel audivisse, quia datur occasio suspicandi de pœnitentibus. ibid. Lugo. n. 63.

14. Violat, qui non ex ipso pænitente audivit peccatum sed à confessario eius consultus, si de eo loquatur cum Pænitente in Confessione id. ibid. n. 127. sed de peccatis quæ in confessione audivit ipse loqui cum pænitente potest etiam datâ absolutione, id. ibid n. 129.

15. Violat si neget pænitenti Communionem etiam occultè, & illo solo præsente, quem ex Confessione novit indignum, excommunicatum id n. 120.

16. Obligantur Sigillo Confessarius, & à Confessario consultus, & superior qui dat licentiam pro reservatis, & interpres, & qui quocunq; modo audivit confitentem. Lugo num. 47.

17. Qui publicum peccatorem audit de quo scitur quod non potuerit illum absolvere, nec potest dicere se eum absolvisse, nec non absolvisse. Idem n. 45.

18.

18. Poteſt Confeſſarius illi munera dare, & ad dignitates promovere quem ijs ex Confeſſione dignum cognovit. Quia nec violat ſigillum nec facit Sacramentum exoſum. E contra, ex ſcientia Confeſſionis caſtigare Pænitentem, tollere quod habet, inſidias ſtruere ut in peccato deprehendatur, non licet. Vti neq; licet negare ſuffragium cognitâ ex confeſſione eius indignitate: tollere officium quod habet cum animæ ſuæ periculo, mittere in locum alium, ſtipem negare, rariùs & ſeveriùs alloqui, furem expellere, Sacramenta negare, res ſuas melius cuſtodire, melius arcam, portam claudere. quia reddunt Confeſſionem odioſam. & pro hac parte decidit Clemens VIII. anno 1594. Maij 20. ex quo deducitur.

19. Subditus ſciens certò quod Superior abutetur ſcientiâ ad exterius gubernandum, non tenetur illi confiteri reſervata, ſed petat per alium licentiam alteri confitendi, quæ ſi negata fuerit, gerat ſe acſi nullum haberet Confeſſarium.

20. Si Pænitens Sacerdotem ſollicitet ad peccatum in Confeſſione, non debet, nec poteſt eũ ſecundò venientẽ audire, ſed cautè repellat.

21. Qui Pænitens ſimulatam fecit Confeſſionem, poteſt eum Confeſſarius fugere ne ſecundò audiat: ſi illam tamen fecit animo

fitendi, non potest fugere, quia iam interve- nit sigillum Sacramentale, quod antea non fuisse supponimus, sed & hic melius non fu- gere.

22. Si ex Confessione sola scias, Ecclesiam pollutam, etsi id nemo advertat nisi idem Pænitens, non potes in eo celebrationem Missæ omittere quam alias cras facturus. Lugo. Quia hæc sententia Sacramento favet. Neq; in hoc casu obligat Ecclesia ut non cele- bres. Bonac. de pænit. d. 5. q. 6. sect. 5.

TRACTATVS III.

De Magisterio Spiritûs.

Confessarijs præcipuè Monialium accommodatus.

CONfessarius non tantùm Iudicem & Medi- cum, sed etiam Magistrum vitæ Spiritua- lis agere debet; de prioribus duobus, egimus superiori tractatione; hîc de tertio, idq; bre- viter, partim quia passim super ea re libri oc- currunt, & nos egimus libello cui titulum in- scripsimus *De Arte Sanctitatis* partim, quia res in longum excresceret, si naturam vitiorum, quod alio opusculo præstitimus, *De Malo, & Bono*, virtutumq; examinaremus. Docere igi- tur Magistro Spiritûs incumbit, triplicem gradum

gradum esse viæ spiritualis. alium Incipientium, alium Proficientium, alium Perfectorum. primum appellant Purgativum, quia ad eum spectant qui se à peccatis peccatorumq; habitibus liberant: Ad Secundum, qui virtutes inserunt. Ad tertium qui se cum Deo vniunt, quos totidem partibus exponemus.

PARS I.

De Via purgativa.

IN via purgativa opus est agnoscere peccatorum causas & remedia. *Causæ* sunt, passiones animi, Tentationes, Habitus pravi. *Remedia* sunt Examen crebrum, maximè particulare, in quo nos supra unum vitium reflectimus: Oratio, Mortificatio, sui abnegatio. Qui vult ergo Pænitentem ad Christianam perfectionem erigere, ante omnia curet ut à mortalibus, tum à venialibus sit liber, denique ut actiones ordinarias agat perfectè & sanctè, uti in Opusculo. *Sancta Exercitia Studiosi*, docuimus.

CAPVT I.

De Causis peccatorum.

Mittimus hîc causas communes, quales sunt voluntas nostra libera ac per originale depravata ex quo cecitas in intellectu, &c. & ad propinquiores accedimus de quarum prima sit.

¶ 1. *De Passionibus animi.*

Præcipuè de numero passionum ducunt ad peccata. *Gaudium*, *Tristitia.* spes, timor, Amor, Odium.

Naturaliter homo gaudet de bono habito, tristatur de malo, sperat bonnm futurum, timet malum, amat sæpe non verum bonum, odit per modum mali verum bonum. Oportet ergo reducere hos affectus ut non ferantur nisi in verum bonum, nec recedant nisi à vero malo. verum bonum est id quod Deo placet, per quod Deus glorificatur. idcirco istos affectus oportet ad hoc elevare, ut non hoc sequantur bonum quod sensibus placet neq; malum hoc quod sensibus est adversum & sic non tristabimur de dolore, si per eum Deus glorificetur, seu, quod in idem recidit, si sit animæ nostræ vtilis ad salutem: non gaudebimus de voluptate si hæc est cum offensa Dei, seu quod idem est si operatur nostræ animæ damnationem, aut ad eam disponit. Inde verò sequetur, quod sola peccata fugiemus, oderimus; de solis tristabimur: de morbis verò, pauperie, infamia, adversitatibus, calumnijs, damnis temporalibus, minimè: imò si viderimus ea nos pro meritis recipere quia per illa glorificatur Dei iustitia, vel alio modo divinæ gloriæ serviunt, quia scilicet per illa Christo efficimur similes, gaudebimus:

mus; imò illa quæremus, desiderabimus, amabimus, & innumeris peccatis ad nos aditum præcludemus, & hinc duo principia oriuntur. *De solo Deo gaudendum. De solo peccato dolendum.* quia non potest esse verum bonum, nisi Deus & propter eum id quod ducit ad eum: nec malum, nisi peccatum.

Rursus qui agnoscit se aliquando peccâsse, ac ideo nullo bono dignum, subtrahere vellet sibi omnem consolationem, cibum potum, nisi Deo placeret, ut sibi hæc subministraret, atq; subministrat. eo modo, in ea quantitate. qualitate, quæ Deo placet. placet verò ne se multum debilitet, ac per hoc ad labores ineptum reddat, ideò dat quantum ad vires reficiendas requiritur, non autem quod merè ad oblectationem gustus aut tactus requirit, & in hoc sua membra mortificat, quatenus meræ necessitati, non autem voluptati servit. & si hîc deficiat dicitur amori proprio & sensualitati non autèm voluutati divinæ servire. & quia facile est succumbere sensualitati, optat, assumit, sibi imponit fatigationes, labores, molestiam, sitim, famem, duras cubationes quantum ratio recta permittit. & rursus, quia facile nostra ratio obscuratur, ac in vtramq; partem potest fieri excessus, qui viam spiritualem ingressus sibi minimè fidit, ac semper orat à Deo illustrari, ac omnia

sua cum vera humilitate Patri Spirituali aperit petens supplicans ab eo dirigi & propter hunc finem Religiosi superioribus se subijciunt ut per eos lumen à Deo recipiant, qui ideò debent solliciti esse pro eis ne loco auxilij lumen divinum impediant, ac fiant Duces Cæci cæcorum, amboq; in foveam errorum ac tenebrarum cadant. quanquam divina bonitas corde simplici ac mente rectâ se subijcientem subditum etiam per Confessarios ac Superiores vitiosos dirigere saluberrimè solet. Hinc vlteriùs, verè profectum Spiritûs requirens, mavult & præeligit Confessarij ac superioris quam suam voluntatem facere: & vbi advertit quòd a sensualitate ad aliquid inclinetur, quantum fieri potest contrarium facit ad hoc respiciendo ut solum hoc faciat quod vult Deus, & quòd ad eius gloriam refertur.

Amoris proprij origo est. quia nos putamus minùs posse facere aut perferre quàm de facto possimus, ideoq; nobis indulgemus. Sic multi putant se non posse iacere in nuda terra, modico uti cibo, vbi tamen id facere ceperunt, optimè perfecerunt.

Vbi quis solum id timere incipit quod solum timendum est, ait Cassianus, lib. 4. c. 43. hic est timor, *Domini initium salutis, ex timore nascitur compunctio salutaris, de compunctione cordis*

dù naſcitur abrenuntiatio, ſcilicet nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate naſcitur humilitas, de humilitate mortificatio voluntatum generatur, mortificatione voluntatum (id eſt amoris proprij) *exstirpantur & marceſcunt omnia vitia: expulſione vitiorum virtutes fructificant atq; ſuccreſcunt, pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur; puritate cordis Apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur.*

¶ 2. *De Tentationibus quæ ſunt altera cauſa peccatorum.*

Tres ſunt inimici noſtri à quibus tentamur. *Caro.* quæ hoc quærit quod eſt ſenſui gratum etiamſi ſit prohibitum: & hoc fugit quod eſt ſenſui ingratum etiamſi ſit virtuoſum. *Mundus* qui nos inflammat cupiditate honorum, bonorum, & rerum tranſitoriarum contra leges virtutis. *Dæmon.* qui nos reducit à rebus bonis quæ ſub ſenſus non cadunt, ut à fide: & incitat ad perfidiam, periuria, blaſphemiam. Caro vincitur per fugam. Mundus per contemptũ, dæmon per reſiſtentiam Dæmon ſe ingerit etiam Sanctis noſtris actionibus ut illas corrumpat, quando impedire non poteſt ne fiant, attendit ut intentio non ſit pura aut deficiat attentio, aut ſi neq; hoc poteſt, laborat ut ſaltem de illa homo vané glorietur nos hic exempla ſubtiliorum eius fraudum afferemus.

1. Cum aliquis facit bonum opus & complacet

placet sibi quia non ob vanam gloriam facit, quia perfectè absolvit &c. iam lapsus est in vanam gloriam.

2. Cùm non habet tentationes v. g. carnis & eò segnius attendit sensibus, colloquitur liberiùs: idem quando diu ab ira liber, non se firmat contra illam, est in laqueo, vel ut cadat in hæc ipsa peccata, vel ut animo cadat, quòd nihil habeat quod vincat.

3. Cùm quis nimis ieiunat etiamsi inde sentiat debilitatem capitis, grandem impatientiam, ducitur ut omnes deinde spirituales actiones omittat.

4. Qui contemnit parvos actus virtutum, levia peccata negligit, est in periculo labendi in gravia.

5. Qui devotionem habet sensualem, flet, suspirat, nec quærit veram patientiam, humilitatem, obedientiam, in via est erronea, maximè si ex illa devotione votis se quibusdam involuat periculosis.

6. Qui nimis multum orat vocaliter non attendendo ut bene oret, vel ideò res necessarias omittit, est deceptus.

7. Si quis ex humilitate nolit orare, ieiunare, ne homines illum putent sanctum, hunc dæmon ducit quo vult.

8. Qui colligit modis iniustis cum oppressione subditorum, fraude &c. ut eleëmosynas largiatur, errat.

9. Si corrigit alienos errores cum sua irâ, perturbatione, impatientia fallitur: vel si permittit peccare ex quadam lenitate quod maximè locum habet quando detractiones dicuntur.

10. Cum quis in morbo non vult adhibere medicinam, sed à Deo se expectat sanandum miraculosè, Dei tentator est.

11. Aliquibus dæmon nimium timorem peccandi ingerit cum quadam perturbatione ut perturbati nesciant quid debeant agere, ac tandem facilius in peccata labantur.

12. Qui petunt consilia quæ non sunt impleturi, his dæmon eripit excusationem, ne dicant se nescivisse quòd fuerit peccatum. Qui verò à solo Deo consilium expectant spretis humanis in superbiam inducti sunt.

13. Aliquando post nimium cibum & potum excitat dæmon sensibilem devotionem: sed sic assuefacit gulæ: si verò id faciat post nimia ieiunia, facit ut sanitatem lædat ac tandem omnia omittat.

14. Magnæ superbiæ facit reum, cum excitat appetitum videndi Angelos, habendi revelationes, visiones.

15. Cùm quis nullam devotionem sentit quando facit bona opera, orat &c. non cadat animo, quia multum meretur, & vincit tentationem quæ avocare illum ab istis posset.

16. Qui alienos magis considerat defectus quàm virtutes non est in via Spirituali, sed tentationum, & ad hoc ducitur ut statum illum vilipendat.

17. Qui in statu quem prudenter elegit, sentit tædium, & ad alium aspirat considerando solas illius consolationes non etiam gravamina, est in periculo & sui amittendi, & illius non consequendi, quæ tentatio est.

18. Si cui suggeritur ut coram hominibus faciat peccata ne sanctus habeatur, est in tentatione.

19. Qui se ipsum reprehendit, & si ab altero pariter reprehendatur, fert impatienter, falsam habet humilitatem.

20. Qui aliena peccata apud se non excusat, imò indifferentia facta peccati damnat, in pessima est tentatione, hinc enim peccat iudicijs temerarijs, labitur in aliorum contemptum quæ est superbia gravis. proinde ubi manifestum est peccatum, debet compati tanquam infirmo, orare pro eo: ubi non manifestum, tam apud se quam apud alios excusare, se multò maiora fecisse, aut facere posse, nisi Deus præservaret; considerare debet. à dæmone verò manifestè procedit, cùm bona aliena facta iudicat fieri ad ostentationem, ad vanam gloriam.

21. Qui non est superior aliorum, aut Iudex·

dex & tamen alios reprehendit, increpat, aspe-rè alloquitur, fallitur si videtur ex zelo facere.

22. A Dæmone est cùm quis corpora pul-chra aspicit, tactus impudicos exercet, non sentiens inde concupiscentiam sed potiùs de-votionem. Hic enim facit de castitate præsum-tuosum, quales deinde à Deo deseruntur: & iste omnia deinde in mentem redeunt ac in peccatum impellunt.

23. A Dæmone item est, etiam inter Spi-rituales personas, mutuus intuitus audax, contactus, risus, talis enim confidentia vel in contemptum, vel in amorem carnalem con-vertitur.

24. Non est discretio sed tentatio, quando quis plùs comedit, bibit, quàm necesse, plùs dormit, splendidiùs vestitur, ut sic vitet sin-gularitatem.

25. A dæmone est, cùm quis cælebs con-iugia suorum affinium & voluptates illis adne-xas considerat, legit Materias Casisticas sine causa circa sextum præceptum, vel libros Ana-tomicos. Vel cum valde reflexe attendit an inciderit fæda cogitatio, atq; in hac custodia otiatur, tanto enim magis firmat in se istas species, meliùs faciet statim aliquid faciendo distractivum ut earum obliviscatur.

26. Tentatio est, cùm non suo tempore sanctæ cogitationes veniunt, v. g. cùm stu-

 dendum

dendum, ut ideò studere non possis, vel cantanti Missam ut errer in cantu.

27. Tentatio etiam est satisfacere, concupiscentiæ spe quod non ita tentaberis. falsum, magis prurit cùm pruriens corpus magis fricatur.

28. Non est ab Angelo bono: vel nihil famam curare, & ideò æquè in publico ac privato peccare; solùm conscientiam & non exemplum bonum curare: vel ita tueri famam, ut inde in iras, calumnias, hypocrises, & alia scelera labatur.

29. In negotium prædestinationis, & Iudiciorum Dei circa se inquirere, periculosa tentatio. Similiter periculosum actus Contritionis elicere enumerando mala quæ debes præeligere quàm peccatum. Similiter est stultum se interrogare, Vellesne rursùm hoc peccatum facere, scilicet illud, ex quo magnam voluptatem, aut vtilitatem temporalem, quâ nolis carere, percepit. in talibus enim simpliciter dolor excitandus de peccatis in communi, & mens aliò transferenda. Similiter imprudentia est comparare se cum alijs, an hoc sis vel illo melior vel vilior? Item se examinare an in illa, vel illa occasione esset peccaturus?

30. Tentatio est, cùm quis non vult communicare, timendo sine causâ clara, ne sit

indi-

indignus, nam nunquam homo erit Deo dignus nec unquam ſciet ſine revelatione quod fecerit confeſſionem talem quam certò ſecuta peccatorum dimiſſio.

CAPVT II.

De Remedijs peccatorum, & medijs viæ purgativæ.

Omiſſis illis quæ tractatu præcedenti attigimus, hîc alia breviter proſequemur. huiuſmodi ſunt Examen, particulare, quotidianũ, & menſtruum, mortificatio, & Abnegatio ſui, tum aliqua alia.

¶. 1. *De Examine quotidiano.*

Hoc examen eſt in quo unius diei acta inſpicimus, & inſpecta corrigimus, per hoc à particulari differt quia ad omnes diei actiones, ſe extendit, particulare verò unico vitio attendit, aut ſi fiat in via Illuminativa, unicæ virtuti.

Ante Examen ſunt quinq; obſervanda. 1. Sciendum hoc examen, vitæ, actionumq; noſtrarum recognitionem, ac collationem eſſe cum divinis præceptis atq; ſtatûs proprij obligationibus; ut ſi quæ ſint pravæ corrigantur, ſi imperfectæ perficiantur. 2. Paulò ante examen colligendus animus. 3. In ipſo initio Deum agnoſcendo ſumma cum dimiſſione ac reverentia eſſe adorandum. 4. Gratias ei eſſe agendas; de beneficijs naturæ, quæ ſunt

creatio, conservatio, gubernatio: De beneficijs gratiæ, quæ sunt Christus ipse, eius merita, actiones, labores, cruciatus, mors; Sacramenta. Gratia sanctificans cum innumerabilibus donis, vocatio [si est Religiosus] ad statum vel ad vitam Christianam. Gloriæ, quæ sunt æterna felicitas, & visio Beatifica ab æterno præparata. 5. Imploranda Dei gratia nobis imprimis necessaria ad cognoscenda & corrigenda peccata. *In Examine* sunt observanda etiam quinq;. 1. Tempus ab ultimo Examine in omnibus actionibus ordine ponderando, dicta, facta, cogitata; & statim de defectu dolendo. 2. Perturbationes, Tentationes, sollicitationes ad malum, tædia, quomodo in ijs sese gesserit, & unde profecta sint. 3. Virtutes inspiciendæ, Erga Deum, proximum, seipsum: quomodo sit ad eas affectus vel paratus; & quomodo in exercitio earum se gesserit. 4. Omissiones bonorum quæ fieri poterant. Scilicet, quæ præscripta fuerant, quæ cum virtute fieri poterant, quorum se dabat occasio. 5. Complectitur malas propensiones, perturbationes animi, motus insolitos. Malos habitus vitiorum, difficultates in virtutibus, impedimenta profectûs, videndo cursim quibus obnoxij simus, à quibus frequentiùs vexari solemus.

Post Examen Quatuor. 1. Poscenda est venia

nia peccatorum quæ advertisti. 2. Proponenda emendatio, & animus contra vitia obfirmandus. 3. Confessionis gratiâ aliqua in memoria adnotanda, 4. Aliqua pænitentia tibi imponenda.

¶. 2. *De Examine Menstruo.*

Hoc Examen est potiùs quædam renovatio quæ studioso profectûs Spiritualis instituenda aliquoties in anno, & si potest fieri, etiam singulis mensibus. in ea verò ad Quatuor attendendum.

Primum est. Videre utrum tepescas in tuis actionibus, quod cognosces conferendo modernas cum illis quas initio conversionis faciebas. v. g. An æquè nunc te mortifices? æquè devotè ores? communices &c. & si intepuisti, bene expende quod scriptum in Apocalipsi, *Habeo adversum te pauca, quia primam charitatem reliquisti. fac igitur opera priora, & vide unde excidisti.*

Secundum. Vtrùm potiùs imiteris ferventes quàm tepidos?

Tertium. Vtrùm facta aliena in malam partem interpreteris?

Quartum. Vtrùm habeas amorem Crucis, an verò adversitatibus perturberis?

Quoad primum. Laborandum est ut fervor non sistat in solo impetu voluntatis, sed etiam in actiones bonas prodeat: ita ut coneris om-

nia grata sensibus & placentia tibi subtrahere, in quo odium sui consistit Sanctum non autem in quadam mentis perturbatione & indignatione contra seipsum. ad hoc verò prodest, otium omninò fugere; victum dare necessarium sed nihil perfluum, punire, quoties error contigit. Intellectum subigere ut omninò sit fidei Sanctæ captiuus, conceptus habeat de Deo sublimes eum uti decet æstimando, & de eo quantùm fieri potest, semper cogitando. Memoriá verò ut rerum divinarum sit plena, Oratione, lectione rerum Spiritualium, & meditatione est imbuenda, ut possit circa Deum per aliquod tempus hærere sine distractione. Voluntas ut amet virtutes, oderit vitia, & ita aptabitur ad Dei amorem. opus verò ut illa dominetur passionibus si vult stabilis esse in Dei amore. huius praxim dedimus in opusculo. *De arte Sanctitatis*.

¶. 3. *De Mortificatione*.

Vt animam nostram reformemus opus est duodecim mortificationibus

1. Vt omnem affectum versùs res temporales deponamus. ita divitias possidendo, ut si esset Dei voluntas parati essemus illas relinquere: idem de honore, fama, amicis, ita ut illis ablatis casu aliquo minimè perturbato animo cum Iobo dicere possimus. *Dominus dedit, Dominus abstulit &c.* & hæc est paupertas

Spi-

Spiritûs quam qui habent, beati sunt, sed qui votum habet Paupertatis, insuper debet se omni re superflua, aut delitiosâ privare, & ipsas res necessarias non sine facultate, sed sine affectu ad eas, retinere, ut si tollerentur, minimè turbaretur aut murmuraret: & libenter etiam ijs careret si non necessitates corporeæ illas exigerẽt. & circumspiciat quomodo per pauciora ac viliora illis possit satisfacere, & omnem à se remittat sollicitudinem de ijs ac totam spem fundet in Deo.

2. Vt omnem sui amorem exuat, ut dum aliquid agit, non quærat in eo suam vtilitatem, voluptatem, gustum, consolationem, sed tantum hoc, quod placeat Deo. Vnde etiamsi nullum à Deo præmium speraret cum pari diligentia & labore, oraret, studeret &c. etiamsi nullam ob omissionem eorum pænam timeret hinc æque studiosè facit sua opera, concionatur. v. g. sivè pauci, sivè multi audiant, sivè laudent sive reprehendant. & hoc est habere puram intentionem & oculum mentis lucidum qui totum corpus faciet lucidum.

3. Vt mortificemus, appetitum gloriæ, honoris, laudis humanæ; curiositatis, videndi, audiendi res nouas, desiderandi habere socios iuxta nostram mentem, habendi res exquisitas ad vsum nostrum. & qui hoc vult

 face-

facere, debet habere omnimodam aversionem à rebus sensui placentibus, & odisse omnem consolationem quæ sensum demulcet.

4 Omnem amorem etiam honestum sed temporalem excludere, quia facit impedimentum in rebus spiritualibus, v. g. in oratione adducit distractiones. sic non amare amicos, affines, nisi quantùm iuvant profectum Spiritualem.

5. Omnem affectum & imaginationem abducere à re creata, & cum sine illa non possumus esse, cor in Christo D. demergamus. sic omnibus actionibus applicanda memoria passionis Christi, uti modum ostendimus in Opusculo dicto. *Exercitium studiosi.*

6. Omnem cogitationem abstrahere à rebus quæ non spectant ad nostrum profectum Spiritualem, vel non sumus obligati ex iustitia aut obedientia illas curare, ut sic nos liberemus ab omni sollicitudine & cura quæ nostras orationes impediret & non permitteret fixam esse cogitationem in Deo.

7. Omne iudicium de alienis rebus & zelum non secundùm sapientiam à nobis amovere. Sic non murmurare contra aliena facta, non tristari de aliquo eventu contra nostram mentem facto.

8. Omnem vanam gloriam & in proprijs bone actis complacentiam extinguere & de-

fides

siderare ut sis contemptus, confusus, vilipensus, abiectus, habitus pro nihilo ad quod faciendum considerare oportet enormitatem culparum tuarum, ingratitudinem erga Deum pro innumeris beneficijs, neglectum vtendi eius gratijs & auxilijs: quod multi Turcæ Deo melius servirent si habuissent hanc notitiam de Deo & hæc adiumenta &c. de quibus in nostris *soliloquijs*.

9. Spoliare nos omni gustu interno etiam Spirituali, nec desiderare consolationes in Oratione nisi in quantum nos iuvant ad magis Deo serviendum ut nos totos exuamus & Deum toto corde quæramus sic non debemus appetere alta lumina in intellectu & illustrationes, & cognitiones profundas mysteriorum, quæ omnia solent esse obnoxia illusionibus, & ad superbiendum incitare.

10. Omnem scrupulum expellere qui nos turbat & non permittit incedere in amore puro filiali, sed ex quodam servili aut etiam nostri ipsius amore procedit, cum videlicet timore pænæ dubitamus ne hoc sit aut illud peccatum, quia hic timor impedit veram confidentiam erga Deum sed procedendum cum omni fervore, & curando ut magis Deo serviamus.

11. Expellere omnem impatientiam & perturbationem quæ nos in adversis perturbat, quando

quando res nostræ vel honor impetitur, & oritur amaritudo in corde nostro erga eum qui nos offendit, sed potiùs nos dignos omni humilitatione credamus, & pati desideremus, ut sic conformemur vitæ Christi nostri Domini. imò istas confusiones cum gaudio acceptemus ex eo quia nos similes faciunt ei: & dicamus. *Improperium expectavit cor meum.*

12. Omnes nostras voluntates mortificemus, resignando nos totos in Dei voluntatem, omnes illas desiderando propter Deum relinquere. Maximè verò qui sunt obligati voto Obedientiæ, qui parùm faciunt si exteriori actu exequantur id quod imperatur, nisi etiam actu interno iudicent id esse factu optimum, & cum omni promptitudine faciant, idq; pro solo amore Dei, ita ut nostram voluntatem & iudicium conformemus per omnia cum voluntate ac iudicio eius qui nobis est loco Dei.

¶ 4. *Aliqua signa mortificati.*

1. Qui se excusat, insuper in alios culpam conijcit, est immortificatus.

2. Mortificatus est, cuius voluntas concordat cum recta ratione, & lege Dei: qui adhuc sentit repugnantiam actus faciendo contrarios vitio, signum nondum plenè mortificati.

3. In quo Spiritus prædominatur, accipit

tem-

tempus præcipuum pro rebus ſpiritualibus; & quod ſupereſt dat corpori. è contra facit in quo inferior homo dominium habet.

4. Mortificatus eſt, qui eſt veluti felix Paterfamilias, qui habet famulos ſuos non litigioſos, ſed ſobrios, aſſvetos ad obediendum, paratos ad laborem, aſſuefactos & eſurire:& ſitire: non qui illi imperent ſed pareant, ut ſi dixerit huic vade, vadat: ſi illi, veni, ſtatim veniat: ita ille ſuos appetitus.

5. Mortificatus eſt, qui ab aliquo reprehenſus, & confuſus non ſolùm ſe non excuſat, ſed eam confuſionem quæ in ſuum privatum pudorem vergit iudicat ſibi vtilem ac neceſſariam. Item, mortuus mundo, & illi mundus, ut nec ille deſideret mundum nec à mundo deſideretur, ſed & ipſe iuxta Apoſtolum Crucifixus mundo & illi mundus,

6. Mortificatus ille iuxta Climachum, in quo non reperiuntur aliæ cogitationes, quàm de proprijs peccatis cum dolore aſſiduo de illis, aut aſſidua meditatio, de cælo, inferno, iudicio, morte. neq; æſtimat divitias mundi aut opes, nec ſollicitatur de affinibus, amicis, rebus temporalibus, imò omnia quæ ſunt mundi, vilipendit, & ſolum Chriſtum ſequi deſiderat, aut ſi quid, propter Deum.

7. Mortificatus eſt, qui implevit illud S. Pauli. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquita-*

quitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem. vt sicut ante delectabatur laudibus, ita nunc vituperijs: sicut ante iucundo cibo & potu ita nunc fame & siti &c.

8. Signa eius qui profecit in mortificatione sunt hæc ex Climacho. Si aucta est humilitas & Charitas, defecit ira & vanitas. rariùs alios reprehendit, minùs attendit suis commoditatibus, promptior est in obediendo, fugit otium, magis compatitur proximo. Item, fugit laudem humanam, promovet divinam: inter ærumnas circumfert dulcedinem bonæ mentis: ordinatum habet zelum ut priùs se bonum curet facere, tum alios: ita Origenes.

¶ 5. *Praxis se mortificandi.*

Vni vitio stabiliter attendat donec illud eradicet, sic enim evadet constantior, ferventior, plusq; proficiet, mentis insuper evagationes effugiet. Sed dum hoc facit advertat ut sit absq; peccato quod illum remordeat: Contemnat id quod carni blanditur: ab externis curis se quantum potest liberet, maximum in se desideriũ expurgandi se ab illo vitio foveat, & non facile mutet media quibus illud oppugnat. Media verò illa debent esse conformia Sacræ Scripturæ ac Sanctis vsitata, neque sine consilio Patris Spiritualis assumantur, quia solet hic latere deceptio dæmonis

nis, medium sit etiam moderatum, nam nimio conatu mentis tranquilitas dissipatur: congruere debet statui tam secundùm exterius quàm interius, ætati, tempori, ingenio. nam quæ aliquibus prosunt alijs nocent. Deniq; si illud prodesse advertit non mutet.

¶ 6. *De abnegatione propriæ voluntatis.*

Abnegare semetipsum est, valedicere proprijs desiderijs & affectibus, ac apud se statuere nolle deinceps illa sequi quæ amor proprij suggerit, sed ea quæ sunt divinæ voluntatis qualiacunq; sint, aut quantumcunq; contraria & inimica carni & voluntati nostræ Caro enim desiderat huius mundi honores, voluptates, longam, commodam, ac liberam vitam, exigit autem abnegatio ne huius mundi desiderijs humanis acquiescamus. Et quia amor proprius in bonis etiam operibus sæpè magis seipsum spectat quàm Deum, ac suum bonum magis quærit quam ut voluntatem Dei impleat, ideo abnegatio requirit, ut in omnibus magis Deum quàm nos quæramus, nec tam quod nobis placet quàm quod illi gratum, faciamus, & hoc est odisse animam propriam.

¶ 7. *Signa amoris proprij.*

1. Videndo quod alij viam salutis strictiorem ambulent, carpere illos, appellare hypocritas, arcum tensum rumpi, tales non solere

in hoc

in hoc rigore perseverare, opus esse discretione; Videndo quod alij spiritualibus rebus se occupent, dicere: satis haberent si Decalogũ aut statûs sui regulas observarent, non oportere esse scrupulosum, oportere sanitatem conservare, quid opus abstinentijs, regnum Dei non consistit in ieiunio aut siti?

2. Non aperire suas tentationes & cogitationes sincere Confessario, in Confessione palliare peccata quæ pudorem movent, Confessiones differe, contemnere parva & levia peccata: si est Ecclesiasticus cæremonijs sacris non attendere. non esse promptum ad signa data obedientiæ, truncare orationem, aut in vocali commoditatem quærere, quærere recreationes sub prætextu, habiliorem se ad orationem vel alia exercitia reddendi.

3. Res ad nos non spectantes diligenter facere, in eis esse studiosos, at res quæ sunt nostri officij negligenter exequi.

4 Res quoad victum & amictum speciosas, valdè commodas quærere, & si minimus sit in ijs defectus indignari.

5. Res suas æstimare, laudare: alienas reprehendere, murmurare contra superiores ubi agitur de nostro commodo, sub speciè alicuius zeli.

6. Esse negligentem in examinanda conscientia, ita ut nihil mali in nobis advertamus omitteret corporis mortificationis. ¶ 8.

¶ 8. *Gradus voluntatis Bonæ.*

Voluntas propria est, quæ eius quod vult nullum habet authorem: & sic non propria voluntas est quæ vult quod vult Deus. v. g. libenter sustinet quod Deus immittit, & ferventer exequitur iussa. Id autem tenemur velle, quod Deus nos vult velle, non autem quod ille absolute solus vult. sic vult mala pœnæ aliorum, quæ nos non debemus velle. Gradus bonæ voluntatis erga *proximum sunt*.

1. Sic adversa proximi tanquam nostra pertimescere. 2. De prosperitate eius tanquam de nostra lætari. 3 Aliena damna sua reputare. 4. Aliena lucra sua censere. 5. Amicum non propter mundum sed propter Deum diligere. 6. Inimicum amando tolerare. 7. Nulli facere quod ipse nolles pati iuxta rectum iudicium, nam Iudex irrogat suspendium Reo quod tamen ipse non vult. sed iuxta rectum iudicium deberet velle, si ipse esse Reus. 8. Nulli denegare quod cum recta ratione velles tibi præstari 9. Necessitati proximi iuxta posse succurrere. 10 Optare illi vltra vires prodesse.

Gradus bonæ voluntatis erga *Deum*.

1. Quando legi divinæ anima consentit sed adhuc carne repugnante non exequitur bonum quod vult, Sed sæpe pro infirmitate sua facit malum quod non vult sed statim conatur resurgere.

2. Quando anima abstinet à malo quod odit, & facit bonum quod vult sed tamen cum aliqua gravedine.

3 Quando habet promptitudinem ad resistendum peccato, sustinet adversa ne peccet, & ut faciat bonum, & potest dicere cum Psalmista *viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum.*

4 Quando voluntas eâ facilitate & fallitate quâ vult, exequitur omnia sicut vult, respondetq; in omnibus executio operis, & hæc in terris non habetur, quia *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*,

¶ 9. *Alia media viæ purgativæ.*

1. Recordari quod sit officium Christiani, 2. quis sit finis propter quem sumus à Deo creati. 3. Quæ sit *Dei voluntas*, quæ certè est *sanctificatio* nostra. 4. Spem de auxilio Dei magnam concipere, iuxta illud. *Posui adiutorium* (meum) *super potentem*. 5. Considerare naturam peccatorum, sed carnalia melius fugere, nam dictum est. *Propterea populus meus ductus in captivitatem, quia non considerat.* &c. *fugite fornicationem*. 6. Legere libros Spirituales de eodem vitio. 7. Petere Deum ut ab illo liberet, idq; petere desideranter, suppliciter, humiliter, perseveranter, confidenter, & frequenter. 8. Attendere sibi ab occasionibus.

Intentatione & occasione si illam fortuitò incurristi. 1. Cor tuum signa Crucis signo, dicendo. *Ecce Crucem Domini fugite partes adversæ.* 2. Nomen Domini Sanctissimum invocando: cum David. *Ecce ego venio ad te in Nomine Domini, Adiutorium nostrum in Nomine Domini. Iesu salva me &c.* 3. Invoca Iesu Virtutem quâ in horto cohortes in terram prostravit, invoca & Sanctam Iesu Matrem. 4. Vtere & iàculatorijs qualis illa. *Deus in adiutorium meum intende &c. Unde veniet auxilium mihi? auxilium meum à Domino.*

Ordinem verò in debellandis vitijs hunc iuxta Hugonem observet.

1. Diligenter suos actus inspiciat, ut advertat cui potissimùm sit obnoxius passioni. 2. Conquirat remedia & videat per quæ facilius & exactiùs illam possit debellare. 3. Incipere ex totis viribus illo medio uti. 4. Fugere omni modo occasiones, & irritamenta illius passionis. 5. Semper in se illius vitij honorem augere. 6. Tamdiu illam oportet premere, donec illam ratio facillime possit reprimere solo nutu.

¶ 10 *Veritates servientes viæ Purgativæ.*

Multum proderit non solum Magistro sed & discipulo Spiritûs si habeat in promptu quasdam ex SS. Patribus depromptas veritates, quas ne cogatur alibi quærere, quantæ sufficient, subijciemus

De timore Dei.

Qui timet Dominum carnis voluptatem non admittit, immodico non est deditus somno, non huc illucq; pervagatur: sed Dominum expectat ne derepentè veniens eum torpentem insperate inveniat: nihil negligit ne eum non offendat, at qui non timet Dominum affectibus fertur, gaudet quiete, afflictiones fugit, humilitatem detestatur, superbiam amplectitur fitq; voluptatum receptaculum, & omnibus dolis ac insidijs diaboli obnoxius est. S. Gregorius.

De Pusillanimitate.

Si rationabilispossibilium mensura servetur eadem observantiæ ratio est in impari facultate. Cassianus. hoc est tantum facit qui minùs facit quàm qui multùm, si facit quod potest.

Nihil Dei miserationibus æquale aut majus est, atq; ita qui desperavit, sibi ipsi mortem conscivit. S. Augustinus.

Iter virtutum amplum est fidelium spei, & si arduum sit Infidelium vanitati. S. August.

De Pænitentia.

Qui post gravia scelera, corporis malâ valetudine impeditus fuerit, per viam Sanctæ humilitatis securus incedat, aliam enim salutis viam non inveniet. S. Climacus.

Caveamus ne fortè non ex munditia, sed ex falsa confidentia, seipsam conscientia desistat reprehendere. S. August.

Signum accuratæ Pænitentiæ eſt, ſi omnibus contingentibus viſibilibus inviſibilibusq; tentationibus, atq; etiam pluribus dignos nos eſſe conſtanter teneamus. idem.

Melior eſt in male factis humilis confeſſio quàm in benefactis ſuperba gloriatio. idem.

Abſtinentiæ regula eſt, neceſſitas præſentis vitæ idem.

Hei mihi quoniam in opere Domini infirmitatem præteximus, ad pugnas autem & conſpirationes ac contradictiones, faciendaq; mala potentes ſumus. S. Ephrem.

Qui re vera reatû ſui pænas dat, is omnem diem quo non luget, amiſiſſe ſe arbitratur, et ſi quæ fortaſſe bona alia in illo fecerit. S. Climacus.

Miſerum eſt quempiam profiteri diſciplinam ſeu obſervantiam cuiuslibet artis & ſtudij (*pænitentiæ*) & minimè pervenire ad perfectionem illius. S. Ephrem.

Væ animæ illi quæ non ſervavit profeſſionem ſuam integram & inviolatam, ſentiet quid illi præparatum. S. Climacus.

Noli falli ſtulte operarie ut tempore tempus reparari præſumas (*differendo pænitentiam*) neq; enim ſufficit dies vel ſuum ipſius debitum Domino integrè perſolvere. idem.

Pænitentia eſt voluntaria & læta totius corporeæ delectationis vel conſolationis repudiatio. Idem.

Qui modò lugere, modò delicijs & risu solvi deprehenditur, ei similis est, qui canem pane lapidat. Idem.

De Oratione.

Mens diffidit accipere posse quod appetit, quæ reminiscitur nolle se adhuc facere quod divinitùs audivit S. Gregor.

Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Salomon. Citiùs exauditur una obedientis oratio, quàm decem millia contemnentis. S. August.

Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, quòd quidquid petierimus ab eo accipiemus. S. Ioannes Evang.

Audit Deus ubi habitat, munda igitur cor tuum ut Templum Dei sit, ut in eo orans exaudiaris. August.

Ne nimiùm festines tuam implere orationem, cæterùm te ipsum paulatim coargue, rursusq; animum tuum collige, atq; ita demum in scientia ora, ut scias quid & cur petas S. Ephrem.

Convenit illis qui nondum veram cordis orationem possederunt corporeæ exercitatio orationis. videlicet, manuum extensio, tunsio pectoris, gemituum singultuumq; perturbatio, sincerus ac iugis in cælum conspectus, perpetua genuum curuatio. Quæ omnia dum non-

nonnunquam propter præsentes facere non possumus, tunc maximè nos oppugnant dæmones: ne succumbas igitur, exili citò si possibile est, abscondere modicùm secretiùs. eleva animæ aciem si potes, &c. S. Climacus.

Suggero remedium, unde totâ die laudes Deum quidquid egeris, age bene & laudasti Deum. Aug. in Ps. 34.

Quem oras, contemplatione mentis, quantùm fas est, appete contueri & cognosces, qualis ante ipsum debeas prostratus offerri. idem.

Mens quæ terrena assiduè cogitat, quia vult, distractiones in oratione etiam tolerer cùm non vult. S. Greg.

Frequens oratio quandam operatur orandi disciplinam S. Ambr.

Orationibus mundamur; lectionibus instruimur, bonum est utrumq; si liceat, melius est tamen orare quàm legere. S. August.

Non vult Deus noster dona sua nimiâ inveniendi facilitate vilescere. pretiosa & concupiscibilis merces, cupidum amatorem, & auidum negotiatorem requirit. Ergo tantorum munerum repromissor, non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum. Euseb. Emissenus.

De Abnegatione sui.

Nihil aliud est sui abnegatio nisi summa omnium rerum vitæ Superioris oblivio, atq; à suis voluptatibus recessio. S. Basilius.

De necessitate benè operandi.

Talis est sine opere intelligentia, qualis sine timore sapientia. S. Aug.

Bene loqui & male vivere, quid est, quàm se voce damnare? idem.

Peregrinis in via hoc placet quod ducit in Patriam. idem.

Quæ est ista perversitas lectioni nolle obtē-perare, & ut, quod bonum est, diutiùs legatur, ideò facere nolle quod legitur.

Quidam scire volunt ut sciant, & est curiositas, quidam ut sciantur, & est vanitas: quidam ut ditentur, & est cupiditas; cavenda hæc tria. Bern.

Non est vera scientia boni nisi ad hoc comprehendatur ut agatur, inutiliter meditatur legem Dei, qui laborat ut memoriâ teneat quod actione non implet. S. Aug.

De amore sui & mundi.

Ad omne bonum ducit timor & amor Dei, ad omne peccatum timor & amor mundi. S. Aug.

De Mortis Memoria.

Verissimum eorum, qui toto corde mortis meminerunt, argumentum esto: si spontè totius creaturæ affectionem abnegant, volun-

tatem

tatem propriam omninò dereclinquunt. S. Climacus.

Qui mortis diviniq; iudicij memoriam semper in seipso continere cupit, curisq; sæcularibus se distrahendum exponit: is ei similis est, qui dum natat, plaudere ambabus vult manibus. idem.

De Passionibus.

Vide in ære nævum viridem rubiginemq; quemadmodum in profundum deprimatur atq; altius penetrat, & sic intelligas quòd efficiat in anima, passio neglecta. S. Ephrem.

Nisi eraseris rubiginem non auferes maculam, & nisi carnis naturam attriveris, fugere passiones non poteris. idem.

Si ferrum humidum reliqueris detrimentū patietur. ita si naturam humidam reddideris (*cibo nimio aut potu*) iam locum corruptioni parâsti quia & Salvator affirmat, Spiritus immundos humiditatem requirere. idem.

Quantò quis perperam carnem suam fovet, tantò ampliùs in seipso passiones auget. idem.

Aliæ sententiæ.

Acedia. Caff. l. 10. c. 25. Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandum.

Ambitio. Sap. 6. Iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Potentes potenter tormenta patientur.

Ava-

Avaritia. Eccles. 31. 5. Qui aurum diligit non iustificabitur. Baruch. 3. 18. Vbi sunt qui argentum thesaurisant, & aurum in quo confidunt homines? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Aug. serm. 169. de temp. Non solùm avarus est qui rapit aliena, sed etiam ille avarus est qui cupidè servat sua. Luc. 11. 20. Stulte hâc nocte animam repetent à te quæ autem parâsti cuius erunt?

Choreæ. Ezech. 25 6. Pro eo quòd plausisti manibus, & percussisti pede, & gavisa es toto affectu, idcircò extendam manum meam super te, & interficiam te. S. Ephrem, serm. quòd à ludicris abstinendum Christiano. Vbi Cytharæ ac chori acplausus manuum, ibi Angelorum tristitia, ac diaboli festum. Chrysost. hom. 49. in Matth. Saltet sed adulteræ filia. Aug. in Ps. 32. Conc. 1. Meliùs est totâ die festi foderent, quàm totâ die saltarent.

Desperatio. S. Isid. l. 2. c. 14. Vnumquemq; Deus de suo fine [id est morte) non de vita præterita iudicat.

Ebrietas. S. Chrysost. in Matth. hom. 58. Quantò melior asinus ebriato est, quantò canis præstantior? Aug. serm. 232. de temp. Melius est vt caro sobria occidatur, quàm per ebrietatem anima moriatur? Ibid. Qui ebrietati resistit si cum Dei adiutorio perseveraverit

verit, & pro ipsa ille aliquas, pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrii gloriam reputabit.

Gloria vana. S. Chrysost. ad pop. Antioch. hom. 43. Anima cupiens honores & glorificari, non videbit Deum. Ps. 52. Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos.

Gula. Deut 21. 20. Filius vester si comessationibus vacat & luxuriæ atq; convivis, lapidibus eum obruet populus.

Inobedientia. 1. Reg. 15. 22. Non te abiecerunt sed me ne regnem super eos. Petr. Blesen. epist. 131. Quidquid tibi Prælatus iniunxerit quod saluti animæ non obviet. sic illud amplecti debes ac si Deus ipse præceperit.

Invidia. S. Chrysost. hom 44. ad pop. Omni veniâ caret invidiæ peccatum. & Hoc vitium & fornicatione peius est & adulterio. & hom 53. Eum quem semel invidia corrupit pænè dixerim carere remedio.

Ira. Chrysost. hom. 29. ad pop. Feræ potiùs quàm iracundo homini cohabitandum.

Iudicium proprium. Prou. 11. Via stulti recta in oculis eius, qui autem sapiens est audit consilia.

Iuramentum. S. Ambr. ex hort. ad Virg. Qui iurat, aliquando necesse est ut incidat in periuria.

Male-

Maledictio. Ps. 168. 18. Dilexit maledictionem & veniet ei, & induet maledictionem sicut vestimentum. S. Ephrem. lib. de Virtut. & vitijs Qui maledicus est, fratricida & crudelis atq; immitis censetur. Id. lib. de linguæ malo. Quemadmodum Latro (in cruce) vel vnico confessionis verbo factus est civis paradisi, ita vno verbo blasphemiæ redditur quis reus gehennæ ignis.

Mendacium. S. Basil. prooemi. lib. de Spiritu S. Extrema malitiæ linea mendacium. S. Cæs. hom. 16. Omnis mendax sine maligno Spiritu esse non potest.

Odium. S. Ephrem. in interrog. Qui odit Fratrem, Deum ipsum odio habet. S. Basil. serm 1. de instit. Monach. Quod si Deus charitas est, ut est 1. Ioan. 4 sine dubio necesse est diabolum odium esse, ut igitur qui charitatem habet Deum habet, sic qui odium habet diabolum in se nutrit.

Relapsus in peccata. Eccli. 34. 31. Iterum cadem peccans quid profuit humiliando se? orationem eius quis exaudiet?

Vestium luxus. S. Cypr. lib. de habitu virg. serico & purpurâ induti Christum induere non possunt. Nazianz. in parenet. Purpureæ & aureæ eximiæq; & splendidæ vestes his demum conveniunt, quibus nullus vitæ splendor, nullum virtutis decus suppetit. Bern. lib.

lib. 3. de Consid. Vestium curiositas, deformitas mentium & morum indicium est.

Vindicta. Nazianz in Iulian. Orat. 2. Hoc homine ijs à quibus iniurias accepimus sublimiores sumus ostendamus quid illos dæmones doceant, quid rursus Christus nos erudiat. Chrysost. hom. 27. in Gen. Nihil omnium ita Deus odit & aversatur vt hominem vltionis avidum.

PARS II.

De Via Proficientium seu Illuminativa.

Qui progrediuntur in Spiritu postquam se à vitijs repurgarunt, virtutes conquirunt. Media verò illas acquirendi sunt, Oratio, Examen, & alia suprapoſita, & infrà ponenda.

Virtutes trifariam dividi possunt, scilicet in Virtutes erga Deum, in Virtutes erga seipsum in Virtutes erga proximum. de his sequentibus capitibus agemus.

Virtutes *erga Deum* sunt, Fides, Spes, charitas, humilis submissio, timor, religio quæ respicit mysteria Fidei, preces tum ore tum mente, cultus Sanctorum, pietas ac devotio erga res Sacras.

Erga se. Abiectio & sui vilis æstimatio. amor sui ordinatus & Sanctus, temperantia, quæ inquantum coërcet concupiscentias carnis dicitur castitas, Fortitudo quæ moderatur

tur amor timorem & audaciam. Patientia, & Constantia. Mansvetudo quæ iram frænat, Paupertas Religiosa. honoris contemptus. Pænitentia quæ peccata expiat.

Erga proximum. Submissio; quâ nos omnibus peiores censeamus, ac omnibus subjaciamus. Caritas ordinata. Tolerantia iniuriarum. Zelus salutis proximi. Iustitia. Mansuetudo. Beneficentia. Liberalitas. Misericordia tam circa spiritualia, quàm temporalia. Silentium. Moderatio. Eutrapelia. Affabilitas. Simplicitas. Veracitas. Modestia Circumspectio, Aedificatio. Observantia erga maiores. Pietas erga Parentes. Obedientia erga Superiores. Prudentia Regiminis erga Subditos. Huc revocari possunt. Amor erga suum statum quem laudabiliter elegit. Solidarum Virtutum, studium. Progressus in virtutibus. Moderatio Superiorum. Manifestatio sui ipsius quibus debet. Absoluta legum sui statûs custodia. Pax animæ.

CAPVT I.

De Virtutibus in Communi.

¶ I.

A qua Virtute incipiendum?

Quia gratiam Deus dat humilibus, & sine gratia Virtutes acquirere non possumus, necesse est volenti proficere, *ab humilitate inchoare* per quam se perfectè subjciat Deo ac præ-

ceptis

ceptis illius, imò omnibus creaturis propter illum, reputando se tanquam opprobrium & abiectionem quandam omnium. hanc enim sequetur *obedientia* quæ voluntatem alienam suæ præponit in omnibus quæ nõ sunt expressè contra legem Dei, imò suam voluntatem, iudiciumq; reijcit, ut alienum exequatur: sequetur & *patientia* quia omnia de manu Dei acceptabit, nihil aliud volendo nisi quod Deus vult, patientiam sequetur *mansuetudo*, hanc *benignitas*, quam comitabitur *compassio*, ex hac nascetur *liberalitas*, & ita cæteræ virtutes, & quidem non solùm Morales sed & Theologicæ. Nam hæresi nemo peccat nisi superbus, nemò in Deo plenè sperat nisi qui plenè sibi diffidit. Humilis Deum summè veneratur ac omni colit Religione: Humili dantur *Dona Spiritûs* S. tam ad *perficiendum intellectum*, quam ad perficiendam *voluntatem*. & quidem donum sapientiæ perficit intellectum contra stultitiam: donum scientiæ contra ignorantiam. donum intellectûs contra hebetudinem: donum consilij contra præcipitationem. Dona verò quæ perficiunt voluntatem sunt. Fortitudo contra timorem: Pietas contra duritiam. Timor Sanctus contra superbiam. quæ omnia ad virtutum aquisitionem sunt unicè necessaria.

¶ 2. *Adiumenta Generalia virtutum.*

Ponere se sub rigido virtutis exactore, vel

talem

talem sibi scipsum præstare, Contemnere mundum & contemni á mundo. fugere conversationem carentiũ illâ virtute, subtrahere materiam opposito vitio. Ante actiones advertere, an liceat; debeat, sit opus, expediat. Cordis pacem curare. intentionem frequenter renovare. non esse præcipitem in agendo. non multiloquum. a levitate cavere instinctibus Spiritûs S. obedire. Præsumptionem & pusillanimitatem valde fugere. Tum oppositi vitij lapsum timere; gaudere in Domino, de actu aliquo virtutis facto humilem gratiarum actionem pro illo Deo referendo; dolendo si in contrarium aliquid inciderimus: semper illius virtutis in nobis augendo amorem: verecundando si in actum oppositum ceciderimus.

¶ 3 *De Adiumentis Proficientium.*

Curent. 1. Compositionem exteriorem; & interiorem. 2. Discretionem & attentionem in suis actionibus 3. Frænum & gubernationem linguæ. 4. Rigorem & asperitatem erga seipsos. 5. Obedientiam perfectam. 6. Mortificationem continuam & perpetuam. 7. Fortitudinem ad vincendam omnem difficultatem 8. Odium & contemptũ sui ipsorum. 9. Humilitatem interiorem, & exteriorem, 10. PaupertatemSpiritualẽ & corporalem. 11. Patientiam in omni adversitate

12. Puritatem in intentione. 13. Fidem vivam. 14. Spem firmam. 15. Amorem accensum erga Deum & proximum.

Signa profectûs. 1. Qando post orationem tenet fixum cor in Deo cum omni humilitate 2. Quando in nobis manet ardens desiderium nos affligendi propter Deum. 3. Quando in nobis crescit desiderium & studium iuvandi proximi. 4. Quando crescit amor & desiderium patiendi pro Christo, in rebus, vita, fama, & honore.

Alia tria generalia adiumenta profectûs sunt. 1. Perfecta obedientia relictâ superiori discretione. 2. Reductio corporis sub animæ servitutem. 3. Actiones præmeditatò aggredi, & supra transactas se reflectere.

Incitamenta. Possunt ad hæc reduci. 1. Miles es Christi *nemo coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* 2. Emptus à Christo. 3. Emens cælum. 4. Sequeris Christum. 5. Es expectans Christum quando revertatur. 6. Vir prudens, similis prudentibus virginibus. 7. Vas Deo consecratum. 8. Templum SS. Trinitatis. 9. Holocaustum Dei. 10. Bibens de Fontibus Salvatoris. 11. Iudicaturus olim cum Christo etiam ipsos Angelos, vel certê iudicandus. 12. Quidquid facis, æternitati facis, & conspectui totius Cæli ac mundi.

¶ 4. *De impedimentis Proficientium.*

Hæc sunt impedimenta. Tepidum esse in actionibus ordinarijs, easq; qualitercunq; peragere. Rarò in Deum mentem elevare. raro compungi. Obedire sine animi devotione. Orare sine attentione. Legere sine reflectione. loqui sine circumspectione. Et quidem voluntas remissa operatur hominis instabilitatem, mentis levitatem, morum inconstantiam, vanam lætitiam, propositorum neglectum. Et quidem si voluntas negligatur generat cogitationes ociosas, corruptas, servo Dei indignas.

Hæc impedimenta hoc modo etiam exponi possunt. Velle tepidum, virtutis horror, diffidentia de Deo, effusio ad exteriora, in discretio, Mobilitas sive inconstantia, loquacitas, in curia circa minima, proprij sensûs & judicij retinentia, & sui amor ex quo in oculis suis videtur sapiens.

His addi possunt. Vana præteritorum recordatio, otiosa præsentium consideratio, in ordinatus futurorum timor, curiositas non necessaria sciendi multa, exterior distractio.

CAPVT II.

De virtutibus in particulari.

¶ I. *De Humiltate.*

Tres sunt partes humilitatis. 1. est in cognitione, quâ homo se reputat omnibus viliorem. 2. in exhibitione, talem se etiam foris osten-

ostendendo. 3. in affectione, ut etiam quærat haberi talis, non solùm patienter sustinendo se ab alijs vilipendi, & contemptibiliter haberi, sed hoc ipsum amare, ac gaudere dum videt se contemni

Qui incipiunt humilitatem, habent in odio propriam excellentiam, & reijciunt à se omnẽ iram ac indignationem, sed in his actibus sentiunt laborem. Qui proficiunt, omnia sua bona opera contemnunt & solos suos defectus respiciunt, & quomodo gratiæ Dei non cooperantur. & sic perfectus non offendit vanà gloria.

Gradus sex humilitatis iuxta S. Benedictum.

1. Est timere Deum, & habere in memória eius præcepta & illa observare, frænando appetitum qui ducit ad peccata mortalia.

2. Non delectari facere propriam voluntatem sed potius Divinam.

3. Submittere se toto vitæ suæ tempore S. Obedientiæ, obediendo Superiori propter amorem Dei, ad imitationem Christi, *qui factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis.*

4. Sequi consilia Christi qui suasit. *Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe ei & sinistram &c.* & sine murmuratione recipere omnes adversitates, & quæcunq; sensui repugnantia.

 5.

5. Implere quod Propheta dixit. *Pronunciabo adversum me omnes iniustitias meas Domino*, & aperire suos tam manifestos quàm occultos defectus superiori cum omni humiliatione.

6. Credere se omnino ad res omnes inhabilem, & esse servum nequam ac invtilem, & ita non offendi vllo modo si ad viles occupationes detrudatis sed pro honore sibi ducere quod talibus applicetur, ad quæ & non ad maiora se habilem iudicat.

His opponuntur gradus superbiæ sex quos S. Bern. enumerat.

1. Quando homo omnem conscientiæ stimulum amittit, nec recordatur severi Iudicis Dei, & ita peccat sine vllo metu inferni.

2. Quando perdidit debitum Maiorum respectum & æqualium, facit quod illi lubet, & omnia sibi reputat licere.

3. Quando rebellat superioribus nolendo illis obedire, & publicè ac sine pudore contraria illorum mandatis facit.

4. Quando de aliquo defectu reprehensus, etiam illo quem ore suo fassus, nihilominus murmurat, neq; pænitentiam cum humilimilitate acceptat.

5. Quando suos defectus excusat, errores defendit, negat peccata, & non vult reputari quasi malè egerit aut peccaverit.

6. Quãdo de se præsumit & se iudicat idoneũ ad om-

ad omnes altos gradus & administrationes; & si illi non obtigerint, perturbatur. neq; illi videtur aliquod bene factum nisi quod ipse fecerit, vel suaserit.

Reliqui sex gradus humilitatis ex S. Benedicto.

7. Qui iuxta Prophetam dicit in corde: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum. & abiectiò plebis.* & ita sentit, & profitetur quod nihil habeat boni & inferior omnibus, etiamsi aliquando ignoret super quam rationem hæc sua fides fundetur.

8. Qui fugit singularitatem in vestitu & victus in ieiunio, oratione, conformando se alijs, vel regulæ suæ, non aliud faciendo quàm quod illa iubet, & in suo ordine maiorum exempla.

9. Qui considerando illud. Vir *linguosus non dirigetur*. &. *in multiloquio non deerit peccatum* frænat linguam, neq; loquitur nisi quando obedientia uel necessitas exigit, quia non reputat se dignum ut loquatur coram alijs.

10. Qui se valde considerat, & ideò obliviscitur omnis externæ recreationis, nec sentit in se omnem ad risum inclinationem.

11. Quando verba eius plena sunt mansvetudinis & humilitatis, rara, rationabilia, sine dissolutione, voce moderatâ.

12. Quando homo ita est immersus in consideratione sui, iudicando se dignum inferno,

nec mereri ut gestetur à terra, & ideò nec audet oculos erigere versùs cælum, & opera sua facit cum humilitate & in ijs non tam quod bonum, quàm quod malum egit, attendit: & hoc facit cum quadam facilitate ac delectatione.

Reliqui sex gradus Superbiæ ex S. Bernardo.

1. Arogantia, reputando se habere quod non habet, vel si habet aliquid, id putet esse excellentius quàm sit v.g. prudentia, doctrina, genus &c. & solùm attendit ad executionem exteriorem, & si aliquis de ipso aliquid boni dixerit, id totum credit esse verum, & se inde inflat.

2. Qui vult præferri alijs, nec contentus est id facere quod alij, sed plus, & in sua singularitate sibi plùs complacet, quàm in operibus communitatis. & à regula ordinatis. & ne excellatur ab alijs inquirit de aliorum factis curiosè, ut ideò plùs, illis faciat.

3. Iactantia, ex qua procedit & vult esse primus in loquendo, & respondendo, licet non interrogetur, resolvendo dubia non requisitus, interrumpendo sermones aliorum discurrendo de virtutibus ut non doceat de illis, sed ut se ostendat scire.

4. Si videat quòd aliquis illum excellat in aliquo, tristatur, ut ideo nec vult suas imperfecti-

fectiones considerare, sed sola bona sua & aliorum defectus, & inde se replet vento vanæ gloriæ.

5. Levitas mentis & instabilitas cum inclinatione & promptitudine ad dissolutionem, & inde mordacia profert verba, indiscreta, insulsa, detractoria, temeraria, cum arrogantia.

6 Curiositas, inquirendo scire quæ ad se non spectant, inde corpore & aspectu inquietus redditur.

Signa Superbiæ ex Cassiano.

In loquela clamor, in taciturnitate amaritudo, cùm tacet quia alteri infensus. Effusio ad exteriora. in lætitia risus. in Societate irrationabilis tristitia, in responsione rancor facilitas in sermone. verba passim sine necessitate errumpentia. Obedientiæ aut Regulis non attendis, neq; doctrinæ Spirituali, loco non consistit, inquietat se & alios, movet digitos, scalpit caput. in incessu arrrogans. Quando audit, ad sui sugillationem credit prolatum. nec curat emendari sed se defendere. Deniq; superbia, est expers patientiæ charitatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, pusillanimis ad tolerandas, ad obediendum difficilis nisi cùm propria voluntas prævenerit, ad resecandas suas voluntates infirma, ad succumbendum alie-

næ durissima, definitiones suas statuere contendens, alienis autem cedere nunquam acquiescit: vnde incapax salubris consilij, in omnibus suo potius quàm seniorum credit consilo.

Signa Humilitatis.

1. Quando cum vilibus & abiectis personis libenter conversatur. 2 quando fugit honorem. 3. Mavult res vtiles & morales legere quàm curiosas & ab intellectu abstrusas. 4 Quando libenter vult corrigi & emendari. 5 Non publicat suas virtutes & dona quæ habet, nisi vrgeat obedientia vel vtilitas proximi. 6. Quando facit quidquid potest, & nihilominus iudicat se in vtilem servum. 7. Quando reputat se indignum omni bono & fortunâ, & totum quidquid habet meré divinæ liberalitati adscribit. 8 Timet ne propter sua peccata immittat illi Deus quovis loco flagella aut ijs qui cum eo sunt. 9. Iudicando se dignum pænis infernalibus, orat cum S. Augustino. *Hîc vre, hîc secá, modo in æternum parcas*. 10. Libentiùs moratûr in officijs vilibus quàm honoratis. 11. Quando videt se despici gaudet, quia ista via est assimilandi se Christo & vniendi cum Deo, vnde dicit. *Saturatus sum opprobrijs*. 12. Eligit magis obedire qàm imperare, & si regimen acceptat, solùm id facit propter maius Dei servitium.

vitium, & quia iudicat hanc esse Dei voluntatem. 13. Quando obstupescit si laudetur quia id illi mirabilissimum videtur. 14. Credit sua opera bona aliquibus malis permixta, & ita aliena pluris facit. 15. Existens in dignitate vellet esse à suis subditis contemptus si id ad bonum eorum expediret. 16. Nec iudicat se dignum ut alijs loquatur. 17. Libentissimè tolerat iniurias. 18. Si appelletur rudis, indoctus, peior omnibus, id verum esse credit. 19. Obliviscitur omnium suorum bonorum operum, vel solùm ideò meminit ut pro illis gratias Deo agit. 20. Gratias agit Deo, si permittat eius defectus propalari. 21. Non exaltat se ob dona quæ habet, neque ob illa sibi offeri sinit maiores commoditates, imò paratus est pati contemptum, & si illi acciderit, non iniuriam sed iustititiam secum factam existimat. 22 Occupat locum ultimum sed non nimis pro illo contendit sed eum cum simplicitate acceptat. 23. Quos honore afficit non expectat ab eis compensationem.

Media comparandæ Humilitatis.

Docent SS. Patres humilitatem non posse acquiri sine vera humiliatione, abrenuntiatione omnium quæ quis habet. Media verò eam acquirandi, hæc præscribuntur.

1. Ardens illius desiderium, & præparatio cordis ad illam à Deo recipiendam. 2. Ar-

dens oratio. 3. Frequens resolutio ut humiliemur, quia id meriti sumus, & ut superbia hoc modo vincatur, & ut hoc modo Christo D. assimilemur, aptioresq; ad serviendum Deo efficiamur & ideò cùm aliquis honor obvenit, ab eo voluntatem avertere. 4. Conscientiæ diligens examen ut ita sui errores cognoscantur. 5. Conversatio cum abiectis sed bonis viris. 6. Hoc potius cogitare quo caremus quam quod habemus. 7. Qui de virtute multa legit, audit multa, de illa sciet, sed qui illam exercet, ille habebit. 8. Meditari de Dei excellentia ut tantò magis suam vilitatem agnoscat. 9. Considerare in omnibus Christum, qui dicit, *quod vni ex minimis fecistis mihi fecistis*, & ita coram omnibus se humiliare ac coram Christo. 10. S. Bernardus docet. Quatuor esse quæ Homini conferunt humilitatem scilicet; Vilitas operis, assiduitas subiectionis, comparatio melioris, subditas cium Conditoris. his adde. quatuor novissima. his ergo utendum.

11. Supportare contemptus à quibuscunq; nobis illatos. Sed ubiq; cavendi scrupuli qui valdè profectum impediunt.

¶ 2. *De Obedientia.*

Ordo in obediendo servandus hic est, 1. Oportet nos obedire Deo. 2. Prælatis proportionatè. 3. Eorum substitutis,

Condi.

Conditionis obedientiæ. sunt 1. Vt sit prompta sine dilatione. 2. Devota sine dedignatione, quia Deo non homini obedimus. 3. Voluntaria sine contradictione, ut conformetur superiori, non solùm actus externus sed etiam iudicium & voluntas. 4. Simplex sine discussione, nam qui discutiunt ipsi sibi tentationem suscitant. 5. Ordinata sine deviatione: ut ex duobus præcipientibus, Maiori obediamus. Iucunda sine turbatione, etiam tunc quando res ex se non placeret. 7. Strenua sine pusillanimitate quæ posset accidere ex rei dificultate. 8. Vniversalis sine exceptione, in omni re quæ non est manifestum peccatum. 9. Perseverans sine cessatione, vsq; ad mortem. Quæ in easdem recidunt cũ sequentibus.

Quarum 1. Vt sit voluntas in corde, non nostra sed Superioris, nam si ex tua voluntate aliquid facis, iam non ex obedientia. 2. Simplicitas in opere, nullam rationem præcepti requirendo. 3. Hilaritas in vultu. ut non sit ex tristitia aut ex necessitate. 4. Velocitas in actu ut nesciat moram, fugiat crastinum, ignoret tarditatem, præripiat præcipientem, paret oculos visui, aures auditui, linguam voci, manum operi, pedes itineri, totum se colligat ut imperantis faciat voluntatem. 5. Constans ac fortis, in rebus difficilibus viriliter agendo atq; cor confortando.

Gradus obedientiæ sunt tres. 1. est cæcitas, quando non admiscet voluntatem aut judicium proprium, totam discretionem reservando Superiori. 2. Exterior tantum ut actum imperatum faciat etiamsi non cum voluntate, & aliud judicando, & ista non meretur nomen obedientiæ. 3. Quando idem vult ac non vult quod Superior.

Signa obedientis 1. Quando gaudet quòd videat Prælatus dum facit quod est imperatum & dum ille abest imaginatur eum adesse, & æquâ facit diligentiâ. 2. Omnibus Superioribus etiam minimis cum omni promptitudine obedit: nam qui Dignioribus promptiùs obedit, videtur non in omnibus Christum cogitare, & aliquid facere propter humanam personam. 3. Omnes res abijcit, quæ possint illum in obediendo impedire. 4. Rem imperatam credit longè meliorem eâ quæ non est imperata: nec deliberat an sit bonum illam facere, sed statim facit. 5. Non habet suum velle aut nolle, sed totas suas curas reijcit in Prælatum, ita ut singularum suarum actionum non aliam possit causam reddere, quàm, *ita imperatum est*. 6 Non expectat expressum mandatum, sed si advertat in his circumstantijs hoc velle Superiorem, facit.

7. Nunquam se satis obedivisse putat, & credit se inobedientem,

8. Valdè sollicitus est, si aliquid relinquatur ejus arbitrio, non ex obedientia imponatur.

¶ 3. *De Pænitentia.*

Gradus Pænitentiæ sunt. 1. Infimus. Quando acceptâ iniuriâ uel tribulatione tristatur, & sentit perturbationem, sed refrænat suam linguam & est via timoris. *Media* Quando gaudet in afflictione, sed tamen illam spe præmij sustinet, hæc via est mercenarij. *Supremus* Quando tolerat, & ambit tribulationem ob solùm amorem Dei, est via Filiorum.

Actus Patientiæ. 1. Non capere vindictam de eo qui offendit. 2. Non mumurare in ijs, quæ accidunt vel casu ab hominum malitia. 3. Non excusare se, non defendere, ab iniuria illata, infamia, etiam coram superiore. 4. Desiderare in animo plures iniurias, & ad illas se offerre. 5. Non permittere, ut in nobis ob acceptam iniuriam aliqua perturbatio oriatur aut amaritudo. 6. Non dolere de nostro malo, sed de proximi, quod scilicet peccet dum nos afficit iniuriâ. 7. Amare inimicum, & eius necessitatibus succurrere, ac benevolentiæ signa ostendere, nec ullum impedire quo minùs illi beneficium faciat. 8. Optare à Deo ut si est ad eius gloriam, dona & gratias quas nobis collaturus est conferat nostro inimico, & pro eo seriò orare.

Signa Patientis. 1. Quia virtus cum delectatione operatur, delectari in adversis. 2. Desiderare contemni, ac esse despicabilem. 3. In conspectu inimicorum animo non commoveri, imò erga illos habere inclinationem amorosam. 4. Cùm expectas alicuius adventum, eo per longum tempus non veniente, non attædiari, nec damnare eum tarditatis.

Adiumenta Patientiæ acquirendæ. Amare Patientiam, & varijs rationibus adductis concipere odium impatientiæ. 2. Statim manè quotidie sibi persuadere nullam iniuriam alicui obtigisse quæ tibi non possit obtingere & ad illam tolerandam facere resolutionem: etiam tibi illam inferri imagineris, & te ob peccata tua, illâ dignum iudica, 3. Crede quod Deus spectet tuam pugnam cum iniuria & lætetur si vincas. 4. Exempla Sanctorum quia multa passi propone tibi. 6. Considera quod illas iniurias velit à te Deus ferri. 7. Considera quod æquum sit, ut cùm à Deo multa bona acceperis aliqua etiam mala sustineas. 8. Non conversari cum iracundis.

¶ 4. *De Modestia exteriore.*

Motus exteriores, ut sunt signa interioris dispositionis pertinent ad virtutē veracitatis, secundùm quam quilibet debet se exhibere verbis & factis qualis est interiùs. unde prohibe-

hibetur fictio & affectatio. Sed tamen non prohibetur, imò mandatur correctio immoderati interni affectûs. S. Thomas. 2.2.q 68 a 1.

Cavendum est à gestibus ridiculis qui alios provocant ad ridendum: vel molestis, quia alios turbant: vel derisorijs, per quos alij deridentur: vel simiaticis per quos aliorum gestus repræsentantur: vel turpibus, ut impudici faciunt: vel iocularibus, ut faciunt histriones. Vmbertus.

¶ 5. *Veritates servientes viæ Illuminativæ.*

De Humilitate.

Vera humilitas de interna cordis humiliatione descendit, tuncq; evidentissimis patientiæ patebit indicijs, cùm sibi quæ ab alijs irrogantur ingesta crimina, contempserit: & irrogatas iniurias mansuetâ cordis æquanimitate toleraverit. Cassianus.

Humilitas obedientiæ virtute, & cordis contritione, corporisq; fatigatione discitur idem.

De Patientia & Adversis.

Divina bonitas misericorditer temporalem adhibet severitatem, ne æternam iuste inferat ultionem. S. Aug.

Nihil infelicius est felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impietas & mala voluntas velut hostis interior roboratur. idem.

Non vincit bonum in malo, qui in superficie

bonus est & in alto malus, in opere parcens, corde sæviens, manu mitis, voluntate crudelis. idem.

Nulla infelicitas frangit quem nulla felicitas corrupit. idem.

Pati meliùs est iniquitatem quàm facere. idem.

Nulli irascenti sua ira videtur iniusta. idē.

Necesse est ut mundus nos oderit, quos videt odisse, quod ille diligit. idem.

Mansvetudinem Moysis elige tibi, ut cor tuum lapideum in stagnum aquarum transmutet Deus. S. Ephrem.

Opta potiùs gladio invadi, quam irâ corripi. idem.

Ille propter Deum diligit qui diligit eos à quibus non diligitur, charitas enim per odij retributionem probatur. S. Gregor.

Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam suam testis est quia bonus non est. idem

Abel esse renuit quem Caim malitia non exercet. idem.

De Abstinentia.

Si tibi dominetur gula extra monumentum omni loco periclitaberis. S. Ephrem. Gulæ ingluvies exsiccat lacrymarum fontes. Cassian.

Tantò quis debet sibi præesse moderamine, ut ad culpam caro non superbiat, & tamen

men ad effectum rectitudinis in opere subsistat. S. Aug.

Cavendum ne sub necessitatis regimine vitium voluptatis crescat. S. Gregor.

Escarum præsentium nequaquam poterimus spernere voluptatem, nisi mens contemplationi Divinæ defixa amore virtutum potiùs & pulchritudine rerum cælestium delectetur. Cassian.

De Perseverantia.

Qui dicit, sufficit; hæsit in via ante finem, nec dicit, quòd perseveraverit vsq; ad finem. S. Aug.

De Paupertate

Vtiliùs terrena opulentia humiliter retinetur, quam superbè relinquitur. S. Aug. Tenuitas, sobrietas, simplicitas victûs & vestitûs, est voto paupertatis indispensabiliter adnexa. Carthus.

Nisi priùs didicerit contemnere terrestria, non poterit mirari æterna. S. Greg.

De Silentio.

Vanum dicentes non tantùm ideò peccamus quia aliquem lædimus: sed quia locum damus in nobis immundis Spiritibus agendi quod volunt. S. Chrysost.

Cum Deo multis, cum hominibus loquere paucis. S. Ephrem.

De Castitate.

O quanta iniquitas! quanta perversitas! ut animam quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisq; propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo pessimo inimico suo tradat & vendat! Vere nimiùm miseranda & piangenda conditio, ubi citò deperit quod delectat & permanet sine fine quod cruciat! S. Aug.

Castitas perfectè exercetur per temperantiam, mansuetudinem & tranquillitatem, quæ est cum charitate coniuncta. S. Ephrem.

PARS III.

De Via Unitiva.

Hæc via est eorum qui se Deo uniunt per contemplationem ac charitatem, ita ut sint ipsi in Deo & Deus in illis, & utriq; unum ad quod non pervenitur nisi quis duâs vias supradictas decurrerit. facit enim hæc animam sibi ipsi perire, nec tam esse in se quàm in suo dilecto Deo, hæc habet extases in quibus anima supra seipsam elevatur, & quasi deservisset corpus, ita illi parùm se impendit. Maximè verò solet se occupare circa perfectiones Divinas, circa gloriam cælestem, &c.

¶ 1. *De decem Divinæ bonitatis perfectionibus.*

Obiectum dilectionis & amoris est, *bonum & pulchrum*. ut S. Aug. lib. 4. Confess. cap. 13. dixit. *Num amamus aliquid nisi pulchrum*

chrum? Quid verò est pulchrum? & quid est pulchritudo? quid est quod nos allicit & conscilliat rebus quas amamus nisi decus & species, quâ si carerent nullo modo nos ad se moverent? ut ergo cor ad Deum rapiatur expendi poterunt, præter innumeras, sequentes Dei excellentiæ.

1. Deus absolutè est per se, propter se & ratione sui Bonus & amabilis: alia verò non sunt bona, nec ullo modo amabilia, nisi propter Deum, ratione Dei, & quia habent aliquam connexionem cum illo. Sicut v. g. Medicina non est amabilis nisi propter sanitatem. cifra non est æstimabilis nisi propter adiunctum sibi numerum. unde multò stultior est iste qui relicto Deo, amat creaturam, quàm ille qui speratâ sanitate totus inhiaret medicinis: qui contempto auro eligeret scoriam, & relicto grano tritici colligeret paleas, & relicto thesauro coacervaret lutum.

2. Nullum bonum creatum est sine aliquo malo, nullum commodum sine suo incommodo, nihil ex omni parte beatum, & ideò nemo suâ sorte contentus, omnia sunt admixta multis defectibus, nulla dulcedo sine amatore aliquo, mæror insidiatur gaudijs, in Deo omnia pura, ibi nullus defectus, nulla egestas, illuc ergo evola mea anima ut possis esse in omni parte beata.

3. Deus est bonus à se, à nullo bonum suum accipit, sed omnia ex ipso pro suo captu bonum sugunt: quàm ergo stultus ille qui relicto fonte lutulentos petit rivos citò deficientes: relicto Oceano, guttas sectatur: relicto sole vivo, quærit lampadem quæ citò extinguitur! Omne enim bonum creatum, & parum lucet, & citò deficit.

4. Nullum bonum creatum est vniversè bonum, sed est tantùm cum adiecto bonum: v. g. bonus homo, bonus cibus, bona vestis &c. & omnia sunt brevia, omnia curta, omnia angusta, certis limitibus circumscripta: vnde nullum bonum totum nostrum affectum explere potest. Deus autem est vniversitas totius boni, non enim est hoc aliquo bonum tantùm, sed est omne bonum quod cor desiderare potest, imò est tale bonum, quale nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit. Ipse infinitè superat omne desiderium nostrum: in ipso sunt infinitè omnia maiora & meliora quàm nos concipere, aut desiderare possumus: in ipso est omnis gratia, venustas, forma, & decus omnium Angelorum & hominum, amænitas divitiarum; gloria honorum, dignitatumq; est deniq; omne illicium amoris. *Cur ergo* (exclamo cum D. Aug. man. c. 34.) *per multa vagaris homuncio quærando*

rendo bona tuæ vitæ & corporis tui? ama vnum bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit: desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est.

5. Nullum bonum creatum est semper bonum, quia nec semper est: nunc oritur, & mox moritur: vix prodit & statim perit: antequam capiatur aufugit. deinde, non semper placet. Deus autem semper bonus est, & nunquam ulli, qui habet rationem aliquam displicere potest. *Ecce illa* (ait S. August. Confess. 4 c. 11. de bonis creatis) *discedunt ut alia succedant, ut omnibus suis partibus constet infima universitas. nunquid ego aliquo discedo? ait Verbum Dei, ibi fige mansionem tuam, ibi commenda te. Quid ex rebus mundi habes anima mea? saltem fatigata fallacijs accede ad veritatem, non perdes aliquid, & reflorescent putrida tua. & sanabuntur omnes languores tui.*

6. Nullum bonum creatum ubiq; est bonū quia vt pote limitibus inclusum, non potest esse ubiq; nec nobiscum ire potest. deinde non ubiq; in pretio est: in hac vita in pretio sunt diuitiæ, in altera sunt viliores luto: in hac vita homines probi plerumq; viles habentur, sed in altera nihil est illis pretiosius. Deus autem vbiq; est bonus, quia immensus est, vbiq; est Beata anima quæ Deum diligit, nam Dilectum suum secum vbiq; habet. vbiq; eum in sinu portat, vbiq; ei loqui potest cum

amplecti, osculari, in suo corde potest. Deinde vbiq; Deus placet. pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in cælo, pulcher in cruce.

7. Nullum bonum creatum est tale quo aliquid aliud non reperiatur melius. Deus autem tale est bonum, quo nihil melius est, sed nec cogitari potest. Vnus est sed super omnia amabilis & desiderabilis: ipse solus est, solus pulcher, solus gratiosus, solus beatus, solus totus, (ut ita dicam) amore compositus.

8. Nullum bonum creatum tantum est, quod non habet in pretio & magnitudine sibi æquale. Deo autem in pretio æquari nihil potest.

9. Nullum bonum est cui aliud non sit simile. Solus Deus sibi simile non habet; & ideo solus cor nostrum totum exigit, solus totum amorem nostrum vendicat, ut nihil extra illũ nisi propter illum, & in gratiam illius quæramus & diligamus.

10. Nullum bonum creatum est tale quod omnia dulcorare possit, imò ab adverso ita aliquando obruitur, ut ne quidem vestigium eius appareat. Deus autem tantum est bonum tam excellens, tam præstans, tam nobile, tam abundans, tam sufficiens, ut præsente illo omnia etiam amarissima, sint dulcia: omnia ignominiosissima in honorem convertantur,

Vbi

Vbi ipse est, ibi cælum. vbi ipse non est, ibi infernus & infinita miseria. Quid dulcoravit Martyribus tormenta nisi ipse, & amor eius? Quidquid deinde vides in mundo in aliqua creatura, boni, pulchri, hoc totum multò pulchrius reperitur in Deo, & sic omnia vrgent ad Dei amorem. Si iucunda tibi sunt bona creata, multò iucundior & gratior esse debet ipse creator, in cuius conspectu omnia bona creata nihil sunt. S. August. lib. 2 Confess. cap. 14 Ecce Domine, cælum & terra clamat quod facta sint. *Tu Domine fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim: qui bonus es, bona sunt enim. sed nec ita bona sunt, nec pulchra sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt.*

¶ 2. *Modi aliqui se vniendi Deo.*

1. Est per applicationem sensuum, quando imaginamur nos videre, audire olfacere, tangere, gustare quodammodo Deum, & ita in ipsum transimus, ut voluntas in eum extra nos feratur.

2. Excitando in nobis affectus varios. admirationis, exultationis, laudationis, & cuiusdam liquefactionis, vt illá sancta anima in Cantic. *Anima mea liquefacta est ut dilectus meus locutus est mihi.* abstrahendo se ab omnibus creatis. *Quid mihi est ut cælo & à te quid volui super terram?* & in quodam Sanctosilentio ab omni-

...bus sæculi cogitationibus totus inhæret ...uo dilecto Deo, illi felicitatem eius congratulando. & in eo ut in causa vniversali omnia contemplatur, & in illis eum ut omnium fontem, & eius attributa, Sapientiam, Immensitatem, Bonitatem, contemplatur, sed hæc sufficiant, quia in præsenti non est nobis propositum agere ex professo Ascetam, sed solùm paucula insinuare, iuxta quæ Confessarij aliquam directionem suis Filiis Spiritualibus possint impendere. Quæ omnia & sint Iudicio melius sentientium, subiecta & cedant.

Ad M. D. Gloriam.

S. Aug. lib. 1. de Trinit. non procul ab initio.

Quisquis hæc legit, vbi pariter certus est pergat mecum: vbi pariter hæsitat quærat mecum, vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, reuocet me. ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est. Quærite faciem eius semper.



